

M

del Collegio della Comp<sup>a</sup> de S<sup>er</sup>eny de Granada

438 PL- 6549

CHRONICORVM TVRCICORVM,

IN QVIBVS VI-  
TA, INDOLES, ET AD-  
VERSVS TVRCAS RES GESTAE  
GEORGII CASTRIOTI, EPIROTARVM PRINCI-  
pis (qui propter egregia & praclara facinora SCANDERBEGVS, hoc  
est, Alexander Magnus, cognominatus fuit) Libris XIII. de-  
scribuntur à Marino Barletio, Scodren-  
si facerdote:

ACCESSERVNT AVTORIS EIVSDEM LI-  
bri III. de Scodra, vrbe Epiri nobilissima, à Tur-  
cis expugnata.

OMNIA FIGVRIS ET VIVIS IMAGINIBVS ILLVSTRATA:  
Cum rerum, ac sententiarum notatu dignissimarum INDICE amplissimo.




CVM GRATIA ET PRIVILEGIO CÆSAREO.  
Impressum Francoforti ad Moenum, 1578.



1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34

2



Handwritten notes in a small box on the left side of the page.

Handwritten numbers and markings in a small box on the left side of the page.

Small vertical text or markings on the left edge of the page.

Small vertical text on the right edge of the page.

M. del Collegio della Comp<sup>a</sup> de S<sup>er</sup>u<sup>o</sup> de Granada

PL- 6549

CHRONICORVM TVRCICORVM,

IN QVIBVS VI-  
TA, INDOLES, ET AD-  
VERSVS TVRCAS RES GESTAE  
GEORGII CASTRIOTI, EPIROTARVM PRINCI-  
pis (qui propter egregia & praecleara facinora SCANDERBEGVS, hoc  
est, Alexander Magnus, cognominatus fuit) Libris XIII. de-  
scribuntur à Marino Barletio, Scodren-  
si sacerdote:

ACCESSERVNT AVTORIS EIVSDEM LI-  
bri III. de Scodra, vrbe Epiri nobilissima, à Tur-  
cis expugnata.

OMNIA FIGVRIS ET VIVIS IMAGINIBVS ILLUSTRATA:  
Cum rerum, ac sententiarum notatu dignissimarum INDICE amplissimo.



CVM GRATIA ET PRIVILEGIO CAESAREO.  
Impressum Francoforti ad Moenum, 1578.



NOBILI ET STRENVO  
FRIDERICO ADELBERTO AB  
HESSENBURG, IN SCHNOZENBACH ET HAIVVIN-

*da; Pratori & Consiliario Herbipolensi: Domino & pa-  
trono suo colendissimo,*

S. P. D.



VM, Nobilis & præclare vir, superioris volumi-  
nis huius Tomos duos abtque patrocínio viro-  
rum præstantium non existimavit edendos Loni-  
cerus, hac quoq; in præfatione aliquem autori-  
tate & dignitate insignẽ compellare visum fuit.  
Circumspicienti igitur mihi Germaniæ nostræ  
Proceres, atque cum alias nationes, tum Franci-  
cam illam, non minus rerum gestarum gloria,  
quam antiquitatis & nobilitatis splendore florentem, animo lustranti,  
tu præ cæteris occurristi, qui operis huius à me summa cura denuò ad-  
ornati, latineq; editi, patrociniũ fusciperes, & studiosis historiarum  
nominis tui celebritate acceptius, idem gratiusq; redderes. Etenim ea  
Francicæ gentis est dignitas, vt anteferri huic nullam, paucas esse pares  
videam. Hæc enim, cum in Germania pleriq; omnes olim supersticiosa  
solicitudine infanda gentium (Gentiles ipsi) idola colerent, Christi-  
namq;

namque Religionem hostiliter confectarentur, sola ferme DEVM verum  
 possessa est, atque imperium & summam potentiam maximis in Remp:  
 neritis, praestantissimisque rebus gestis confecta, non tantum Sarace-  
 ios aliosque populos Antichristianos proffigauit, sed Germanos, pro-  
 pinquos nimirum, & conterraneos suos, multo labore, multis bellis  
 exhaustis ad Religiosae Pictatis veritatem conuertit. Quo facinore praec-  
 claro certe, nullum DEO praestare gratius, nec patriam communem to-  
 tamque posteritatem rectius demereri potuit. Atque semper nationis vestrae  
 Procures aut ipsi rerum summam laudabiliter praefuere, aut alijs ad impe-  
 rij fastigium euectis summa fide operam nauarunt. Tua igitur quoque  
 cum familia in equestri Francicae gentis ordine praeclearae semper fuerit  
 existimationis, Maioresque tuos in Rep. cum primis floruisse, resque ma-  
 gnas tum domi tum foris gessisse constat, non moleste feres, quod ad  
 commendationem illius operis, tui nominis vtor autoritate. Etenim  
 cum in istius voluminis Tomo secundo luculenta extent testimonia,  
 seculis omnibus ex familia tua prodijisse viros, qui domi ad pacis, foris  
 ad belli studia fuerint idonei, quique haereditarium istum nominis Chri-  
 stiani hostem, & perennem Legum, pacis, ocij, tranquillitatis inimicum  
 Turcam a ceruicibus nostris propulsantibus, sese, vel sanguinis sui dis-  
 pendio, strenue coniunxerint: qualis ille ad praecclaram a Turcis frustra  
 oppugnatam Viennam Sigismundus, & deinceps VVolfgangus He-  
 spergij, aeterna posteritatis memoria digni: nemo (spero) vitio mihi ver-  
 tet, quod tuo patrocinio volumen hoc ornare sum ausus. Atqui, vt nec  
 patriae tuae, nec gentis, nec familiae laudibus commotus essem, vt hoc  
 te loco affarer: nihilominus tamen singulari humanitate tua, pari cum  
 grauitate coniuncta, vt opus hoc Historicum sub patrocinio tuo ede-  
 rem, adduci potuissem. Etenim si bonis scriptoribus nobilis illa Biblio-  
 theca tua patuit haecenus omnibus, neque ex ea vllum voluisti excludi  
 vtilitate aliqua commendatum opusculum, nequaquam tibi hocce li-  
 bros, quorum lectione nihil neque vtilius, neque necessarium magis esse  
 possit, ingratos fore putavi. Nam cum non tantum hostem, a quo teme-  
 re vinci nolimus, nosse, sed eiusdem quoque reprimendi perspectam ha-  
 bere nos oporteat rationem, haec vero ex illustrium virorum exemplis  
 rectius, quam doctentium praecceptionibus discatur: certe illud opus, in  
 quo propulsandi Turcam exempla maxime proponuntur illustria, bo-  
 nis omnibus non minus necessarium quam vtile fuerit. Magnanimus  
 enim ille & fortissimus Heros Georgius Castriotus, cognomēto Scan-  
 derbegus, Albaniae olim & Epiri dominus, cuius res gestas Barletius lu-  
 culente in hisce Tomi tertij libris descripsit, summus in Turcam pugnan-  
 di fuit artifex, & exercitatus cum primis atque felix rei militaris magister.

Quoties

Quoties enim exiguis ille copijs ferocem ac potentem hostem aggres-  
 sus, ingentem Turcarum stragem edidit? Quoties vel solo aspectu Bar-  
 baros, quasi fulmine perterritos, in fugam coniecit? Quale item illud,  
 quod Turcam ipsi aggredienti, omnesque fortitudinis spiritus indignanti  
 quasi acienti, copiosus e labris prorupit sanguis? Cuius Principis res  
 gestas cum Nundinis superioribus sermone Germanico nostris cum  
 hominibus communicassem, vt nimirum essent illis exemplum forti-  
 tudinis, in quod inspicerent, quodque imitarentur: eruditorum virorum  
 cohortationibus sum adductus, vt eadem latine quoque castigatus &  
 elegantius edenda curarem. Suscipe igitur, nobilis & clarissime vir, il-  
 lam Barletij nequaquam contemnendam lucubrationem, & hanc com-  
 pellationem tibi displicere ne sine. Equidem cum consilia & actiones  
 tuae, doctrinae vniuersae, quae ex illustrium virorum exemplis peti solet,  
 correspondeat, atque ciuili prudentia, partim e Iurisconsultorum libris  
 petita, partim longo rerum vsu comparata, ita excellas, vt a studijs hu-  
 manioribus, lectioneque tum sacrarum literarum, tum historiarum mi-  
 nimis sis alienus, gratam te habiturum esse hanc operis vtilissimi dedi-  
 cationem plane confido. Et quoties ab illis grauissimis Aulae negotijs  
 non nihil feriari interdum, atque Bibliothecae tuae procures illos lectissi-  
 mos alloqui per occupationes licuerit, tedia saepe, fat scio, librorum  
 istorum lectio tollet tibi, optimam viuendi rationem animo circum-  
 ferenti, quod nimirum tum sua cuiusque Experientia, tum alienorum  
 exemplorum consideratio, optima viuendi sit ratio. Vale. Data Fran-  
 cofurti, Calend. Martijs, Anno CIO. IO. LXXVIII.

Sigismundus Feyerabendt  
 Bibliopola.

\* 3 MARI-

MARINI BARLETII SCODRENSIS SACERDOTIS, DE VITA ET GESTIS SCANDERBEGI, EPIRO-  
tarum Principis,  
LIBER PRIMVS.



**D**OST antiquatam Turcarum imperij gloriam, & Lapsus & penè abolitio Ottomanorū imperij, eiusdemq; restitutio atque augmentatio. abolitum penè Ottomanum nomen, superato in finibus Armenia Puiaz ete seniori Scytharum armis, Amurathes nepos ex eius liberis, qui ita forsitan poscentibus fatis seruati Græcorum leuitate tot Christianorum futuris malis fuere, post multas suorum contentiones, & domesticum effusum sanguinem, primus auorum regnum feliciter obtinuit, restituit fortunam, & viribus auctis, Turcarum nomen formidabilius quàm antea vnquam fuerat, effecit. Tamen dum nunc in Asiaticis rebus firmandis, nunc in persequendis Græcia populis, & extorquendo eorum imperio occupatur, aliquot annis abstinere à Macedonia & finitimis regionibus est coactus. Per id tempus ( ne nimis altè exordiendo Origo & genus Castriotq; familia. alienas historias percensere velle videar ) in Epiro inter ceteros Regulos  
A Prim-

est o dize el mismo sac Augustin.

Principesq; satis nobile nomen Iohannis Castrioti, tum ceterarū urbium, tum Croia precipuè imperio erat. Et quia neq; latere penitus Scanderbegi genus aequum duco, neque omnem auorum eius seriem perscribere in animo est, illud unum attigisse contentus erō, auctores gentis Castriote ex Aemathia nobili ortu fluxisse, imperitasseq; pari gloria fortunaq; in Epiro: eos omnes (ut iam orsus sum) Iohannes prudentia, grauitate, ac animi inuicti magnitudine, ceterisq; deinceps virtutibus, atq; egregio etiam Voisaua vxor: (si quid ad rem facit) corporis decore facile superauit. Uxori Voisaua nomen erat, non indignam eo viro, tum pater nobilissimus Tribalorum Princeps, tum forma moresq;, ac insignis super muliebre ingenium animus faciebat. Potest et à prole illi, à quo merito commendari fœmina consueuerunt, non minor fortasse fieri accessio laudis, nouem nanque liberos peperisse, educasseq; narratur, quinque fœminas, Marcam, Fellam, Angelimam, Ulaicam, Mamizam, mares reliquos, Reposium scilicet, Stanisam, Constantinum, et Georgium. Minimus natus Georgius fuit, cui postmodum apud Barbaros (ut suo loco dicemus) Scanderbegi nomen inditum est. Sed antequam progrediar ulterius, omittendum non censeo, quod vel prodigijs ipsis ostensum, et à plerisque vaticinatum de hominis gloria accepi. Licet id antiquis simillimum fabulis aspernaturus plurimos non ignorem. Ferunt enim, quod quum concepisset eum mater, serpentem se enixam eius magnitudinis somniauit, qui totam fermè operiens Epirum, caput inter Turcarum fines protenderet, et cruentis faucibus eos absorberet, caudam verò teneret in mari inter Christianos, et Veneti maximè imperij terminos, narratum id sibi, Iohannes, quum non eius generis res esset, quæ extis ullis scrutaretur, vel Apollinem exigeret interpretem, ingenti letitia solatus uxorem, nasciturū ex ea virum ominatus facile est, clarum bello, factisq;, qui Turcarum simul hostis acerrimus, idemque dux fœlicissimus, et Christianæ fidei propugnator, ac Veneti cultor imperij perpetuus existeret. Nihil sefellit se, vel alios sollicitus parens, sed aucta magis est vaticinio fides puero nato, nanque aliud pulchrius longè clariusq; bellici decoris signum in dextro infantis brachio visum, forma ensis ita expressa, ut manu facta videretur. O insignem naturæ liberalitatem, vel nascentibus nobis subijcit documenta, et in corpore ipso figit insignia, quæ postmodum sint sequenda. Infans deinde protinus cum passa est atas, ad arma et arcus reptauit, atque in ipsis puerilis ætatis rudimentis id specimē præbuit sui, ut scitis cuiq; futura virtutis dilucere indicia, is posthac in dies visebatur in adolescente vitæ cultus, ea morum elegantia, et Christianæ fidei promissa religio quadam, ut omnium in se ora oculosq; conuerteret. Unum parentes, unum fratres, unum ceteri illius religionis homines cum tacita admiratione suspiciebant, de eo omnes sermones, et

Aemathia.

Voisaua vxor:

Vaticinia siue prodigia de Scanderbegi natiuitate.

Signa quædam naturaliter in corpore Scanderbegi in fita membrisq; eius manu velut impressa.

Quæ studia &amp; exercitia Scanderbegi in ipsis puerilibus annis exercebat, &amp; quod morum, virtutis ac fortitudinis specimē in eo dilucere cepit.

nes, et lata ubique vulgi murmura erant, velut rarum illud ea ætas specimen protulisset. Nam ad ea præfagia natura, gratia quoq; quadam corporisq; species, quæ condit omnia, non deerat. Sed non ex tam fœlici (ut ita dixerim) palmitis, fructus villos colligere sollicitis parentum votis, fata concessere. Nam quum imposito Græcis iugo Amurathes in Macedoniam conuertisset signa, eamq; satis longo afflictam bello contriuisset, Iohannes diutino defessus bello, ac longis exhaustus incommodis, pacem ab eo petere coactus, ea lege impetrauit, ut obsides filios omnes traderet, vix poterat seruitus maior, aut funestiora, et fœdiora vincula parentibus iniici. Quod enim pacis, quod imperij eo pacto seruati, solatium parentibus superesse poterat? Tamen quid non misera vitæ cupido, et regni sollicitus amor timidis mortalibus suadet? Maluere infœlices senes cruentissimi hostis fidem sequi, et tot simul se pignoribus exuere, quàm diutius collabentis iam fortune ruinam expectare. Datus proinde cum fratribus Georgius est, qui præ ceteris nimis multum secum priuati, publiciq; luctus tulit. Sed non ideo patrem concepta iam pridem de filio spes deseruit, multis osculis amplexibusq; in eum precipuè prolapsus, ac Deorum fidem appellans, ne inanem expectationem suam redderent, à se dimisit. Atque aliquis ex vulgo, protensam vitam, virilesq; annos precatus puero, domesticum sibi hostem, incendiumq; educaturum Amurathem dixit. De-

Bellū ortum inter Ioannē Castriotum Scanderbegi patrē &amp; Amurathem Turcarum Principem, paxq; inter eosdem iuita.

Obsides dantur Turcæ Ioannis Castrioti filij.



ducti ad Ottomanum adolescentuli, primam perfidiam eius in eo sensere, Quod abiecta, quæ eorum parentibus præstita erat, fide, circumcidi Ma-

Forma circuncisionis Macomethana: feta, ac ea, qua ipsi Turci obseruant, circa illos, qui ad eorum sectam transeunt.

Daruiffa.

Hoze.

Talasmani.

Noua nomina Scanderbegi, & fratribus in eorum circuncisione iussu Tyranni indita, & prouiso circa eodem facta.

cometano ritu ilico iussi sunt, Qua de re, quoniam scitu non est iniucundum, quadam hoc in loco recensere non malum esse duco. Haud absimilem omnino in hoc morem à Judæis seruant Turca, præterquam illud quod Macometo sanciente additum est. Quod priusquam circuncidatur quispiam, si capax rationis est, ductus in medium turba, monente eorum sacerdote, quos Daruiffas appellant, digitum indicem exerit, & relictus cælum spectans altiori vocis sono, ut bene audiri possit, La, Ila, La, inquit, Mehmet ruselam. Idem quod, Deus, Deus, Deus, vnus, & Macomethus suus Propheta. Postea à perito quopiam circuncisus offertur populo, eiq; aliud, obliterato priore, inditur nomen. Astantes autem omnes si Christianus prius, vel alterius secta erat, promptissimis animis, & maxima letitia stipem conferunt, laudant, deosculantur, & domus ei posthac victusq; ex publico decernitur. Sed hinc parumper digrediens, describam qui & quales sint in Macomethana & Turcica religione ordines, conditiones, & sacerdotum, siue religiosorum gradus. Primi enim, qui & strictioris ordinis & religionis apud eos sunt, Daruiffa appellantur. De quibus paulo ante meminimus, qui idem haberi possunt, ut apud nos fratres, qui obseruantes appellantur. Hi autem (regnante Pazaitæ eorum Principe, Cabumetis postremi filio) multifariam delinquentes & exorbitantes, ob eorum scelera & delicta perpetrata, omnes ad vnum ab eo delati, extirpati, & fuere. Hi enim sub specie sanctimonie & religionis tanquam mendicantes, se ad solitudines ponebant, compita, vias, & itinera, qua mercatores, peregrini, & viatores transituri crant, obsidebant, in quos capta occasione tanquam grassatores & latrunculi irruentes, illos opprimebant, interficiebant, & bonis spoliabant. Quæ res cum ad Ottomanum Principis aures peruenisset, is agrefereus, omnes, ut dictum est, ad vnum tolli iussit, ita ut eorum memoria prorsus extingueretur. Hos verò & secundo loco Hoze (sic eos Turcica lingua appellat) ordine consequuntur, quibus apud nos pares æqualesq; esse censeari possunt fratres, qui conuentuales nuncupantur. Post hos verò & tertio loco Talasmani sequuntur, qui sacerdotibus secularibus appellatis, similem vltimum locum tenent. Hi etenim tantummodo tres ordines, gradus, & conditiones sacerdotum, siue religiosorum, in Turcica secta esse reperiuntur, qui in omni eorum religione, sacerdotio, ceremonijs, & sacris suis, inseruiunt & famulantur. Nunc ad propositum reuertar. Epirensibus varia nomina, prioribus mutatis, indita sunt, ex consuetudine gentis. Georgius, seu casu, seu quod nobilior inter ceteros indoles, egregium nescio quid præ se ferre videbatur, Scanderbeg appellatus: idem quod apud nos Alexander Dominus. Maxima leticia ea res apud Amurathem celebrata, ut facere apud nos vulgò solent, quum aliquem ex Judaicis sordibus

dibus emergentem ad lucem & ad salutem redire vident. Decreta sunt eis copiosa, honorificaq; alimenta, sed Scanderbegum præcipue, cum indoles ipsa tum etas (vix dum enim nonum attigerat annum) Tyranno conciliabat. Præceptores (ut aptior est ea ad discendum etas) varij generis non negati. Breui itaq; temporis spacio, promptum ad omnia ingenium, linguam, literasq; Turcicas, Arabicas, Græcas, Italicas, Illyricas didicit. Crescentibus verò paulatim cum etate viribus, adolescentem illa vnica incesit libido, nullum sanè genus bellicæ virtutis intentatum transire, ac nunc gladio, nunc arco, iaculoq;, tum eques, tum pedes, incredibilia propè omnia promptissimi corporis experimenta adere, audere aliquid semper maius annis. Et priusquam vis ipsa membrorum ferociam æquaret animi, ac nondum pares bellicis sudoribus spiritus viderentur, amor fuit vario certaminum genere æquales quotidie prouocando, crebris spectaculis fauorem sibi apud omnium animos, Principisq; præcipue ipsius conciliare, & semper aliquid ferre laudis, ac iam inde viam ad futurum decus, & alimenta ad famam præstruere. Nox ingentibus lacertis, confirmata iam etate, ardua quaq; fortissimi viri munia obire, pati famem, sitim, algorem, æstus, vigilias, quibus ex rebus assidua exercitatione optimum profecto se ad omnem militiam breui præstitit. Quare non passus Amurathes diutius priuatum eum apud se versari, Sanzachi insignibus primium decorauit. Gradus autem is est dignitatis apud Turcas secundus post Bassas, maior tamen minorq; auctoritas inest officio, prout latius eius liberalitas ipsa Principis tribuit. Scanderbeg igitur tunc quinq; equitum millibus præpositus fuit. Ceteri quoque fratres isdem ornati dignitatibus, atque ad varia munia, & bellorum necessitates in diuersas partes missi, satis nominis quotidie promerebantur. Ceterum is non multo post vix dum octauum & decimum egressus annum, in Asiam iussu Tyranni profectus, ac ceterorum signa latissimis secutus initijs, ibi prima belli auspicia sumpsit, & hostili cruore auidam iam pridem tinxit dexteram. Tum ibi conflatis alijs (ut fieri solet) & alijs bellicis pluribus expeditionibus cum copijs suis semper interfuit, & victor cum socijs ad Ottomanum reuersus est, quibus in expeditionibus opera semper eius, virtus, fortunaq; præcipue, tum priuatim, tum publicè laudata. Omne victoria decus, omnis euentus belli ad eum asseneranter relatus, de duce exercitus, quasi non facta mentione, soli ei triumphus ac victi gloriam hostis militaris fauor, clamorq; adiudicauit. Nondum inuaserat Tyrannum æmula virtutis inuidia, & licet tum ingenium, tum fortuna hominis obnoxia ei esset malo, conciliabat tamen fauorem potius apud omnium animos sibi rudis, atque simplex, & sicut cupida, ita non auara gloria adolescentia. Honoratus itaque verbis donisq; egregie est ab Amurathe. Paulum quietis datum homini

Ingenium Scanderbegi.


Sanzachi dignitas apud Turcam.

Inuentus Scanderbegi.

De vita & gestis Scanderbegi,

Scanderbeg  
dux exercitus  
Turcici.

(*Et ut nunquam Turcis bella desunt*) nunciati sunt novi motus ex Asia, electus ad id certo decreto, *Et sine variatione* Scanderbeg, delataque ad eum totius exercitus summa, ac Imperatoris fascibus ob res priore bello bene gestas decoratus. Ad quod delatus bellum, fuis pari celeritate fortunaque hostibus, priorem gloriam omnem facile superavit. Nam prater ingentia militum testimonia, alia quoque certiora longe eius gloria *Et fortuna* monumenta ad Ottomanum attulit, captiuorum magnum numerum, casorum hostium spolia, ac signa militaria complura, ceteraque bellica instrumenta usque ad abusum, exercitus praterea ita integer, ac penè illesus reductus est, ut victi quidem apparerent, in victoribus autem nulla concertationis vestigia cernerentur. Admirata magis ferè prudentia eius est ab Amurathe, quam rerum tam felix successus. Quum is non solius laus, sed cum fortuna quoque communis esset. Prudentia verò atque consilij fructum, solum sibi ingenium vendicaret. Proinde auctis stipendijs, copiisque, missus denuo ad ea ipsa loca, ac relegatus quasi est, donec quosdam populos vrbesque subegisset Tyranno. Sed nunquam vel fessit, vel distulit fortuna ullum desiderium iuuenis. Expeditis ex animi sententia omnibus, atque imperio Ottomano latius etiam quam iniunctum fuerat ampliato, famam iam sibi ingentem apud exterarum etiam gentes peperit. Reuerso Adrianopolim, quum foris sublatuisset hostis, domi non defuit, Venerat namque ex Scythia quidam ferox magis *Et insanus*, quam fortis



Scanderbegi  
duellum cum  
Scythia.

bellator, qui familiam omnem Tyranni prouocabat, si quis ferro secum vellet decernere. Genus verò certaminis id proposuerat, ut in angusto loco nudi ambo relictis, singulis tantum gladijs fortunam experirentur. Ceperat tam stolidum consilium Barbarus, vel quod prodigum vitæ *Et sanguinis*

Libri Primus.

guinis sui esset, vel ea fortasse inani spe, quod nullum tam ancipitem impendentis periculi sortem petiturum crederet. Indeque *Et laudem eam se* *Et premia sine certamine laturum sperabat.* Nam proposuerat non indigna quoque munera victori Amurathes, ut illorum saltem spe excitaretur aliquis, quum nuda tantum gloria fructus segnius alliciat homines. Omnes tamen tam funestum decus, premiaque eodem tenore aspernabantur. Sed surgens, stupentibus singulis, plenus animi Epirensis: Non incruentus, inquit, Scythia, hac premia laudemque domum feres, aut honoratior me occiso, *Et ijs quoque spolys onustior ibis.* Agedum igitur, accipe tandem quaesitum hostem. Licet accommodatius feris bestijs hoc certaminis genus, sperni à fortibus viris, saluo pudore, *Et possit, Et debeat:* veruntamen liceat semel *Et mihi hoc corpus contemnere,* quippe quum par membrorum *Et sanguinis seruandis ratio tibi esse debuerit:* sed nihil vilius est homini querenti laudem. Donabo proinde hoc *Et ipse cruoris hodie Amurathi, sociisque.* Scythia nihil territus, ferocioribus adhuc verbis iniicere pauorem ei conabatur, puerum appellans. Adhuc enim in annis pubertatis erat, neque dum hispida prorsus lanugo grata ora exasperauerat. Tum deducti ad Tyrannum ingenti clamore vulgi sunt, *Et assignatus,* ut peterat Barbarus, certamini locus, deposita ocius ambo veste, ultimisque tunicis, nudi proficientes in medium, nouo genere spectaculi omnium oculos hausere. Et quamuis fiduciam ingentem vultu, verbisque ostenderet Castriotus, ingens tamen cura mixto dolore spectantium animos incescit. Et simul atas, simul pulchritudo ipsa corporis, ac decor membrorum subiectus, oculis multum *Et pietatis Et fauoris excitauerant.* Statura celsa, proceraque, brachia in homine pulchriora non visa, collum robustum obstippumque, ut laudatur in Athletis, humerorum mira latitudo, color candidus, latenti velut purpura suffusus. Aspectus oculorum non toruus, non vanus, sed gratissimus. Adiuuabant hæc multum ceteras virtutes, atque animi bona augere videbantur. Intrepidi acceptis breuibus gladijs, non enim longiores loci angustia patiebatur, ingressi locum, ac ibi dimissi sunt maximo populi silentio. Non consilio villo ibi, non multum animos, sed impigra quadam *Et veloci dextera agendum erat.* Erecti ad ictus ambo, Scythia prior incubuit in hostem, *Et punctim intenso ferro ilia eius petijt.* Scanderbegus toto maxime corpore inflexus, ac velut in arcum deductus, *Et leua simul apprehendens barbari dexteram, ictum inhibuit, Et adacto castro gladio, guttur illi cum singulis arterijs impigre abscidit.* Balbutienti adhuc lingua, ille collapsus humi locum ferè totum corporis mole compleuit. Sublatus repente ab his, qui spectaculo aderant, *Et accurrentes regij iuuenem illesum inuiolatumque, lati ad Amurathem perducunt.* Caput casti hostis cruentis ipse manibus Tyranno alacer obtulit.

Epirensis vobis  
cat Scanderbegum:


Filium corporis  
Scanderbegi.

Premia



Scanderbegi  
conflictus cum  
duobus Per-  
sis, Iaiâ &  
Zampsa.

Premia inuitus accepit, quum non argenti aurius causa, sed domestici decoris tuendi, & reprimenda barbarica arrogantia, susceptum sibi id oneris diceret. Magis itaq; ea modestia acuebat in se studia. Et quod apud sui generis homines plus nimio enitescens virtus parturiebat inuidia, liberalitas natura & dexteritas ipsa ingenij amouebat. Haud pigebit referre & illud, quod nihilo minori laude dignum iisdem animis, armisq; edidit: nam profectus cum Amurathe in Bythiniam magis solatij, quam belli causa, quum in Bursa ciuitate essent, qua nunc est Asiatici imperij caput, duo ex Perside viri, tum ex more gentis insigni vestimentorum habitu, tum egregia figura corporis, ad Tyrannum aduolarunt, Iaiâ & Zampsa eorum nomina erant, stipendium ab eo petiere, impudentia magis quadam, quam fiducia virtutis, agentes alter alterius causam, & facta extollentes sua, ac mutuis se inuantes testimonijs. Postremo Zampsa minor natu, ne appositis tantummodo inquit ad hoc ipsum verbis: *Mcagne Rex, stipendia tua petituri venisse videamur, & in ea incertitudine rerum inanis aliqua arrogantia in nobis, & sordida temeritas arguatur. En daturi vltro tibi sumus experimentum cupidorum saltem, ne dicam magnorum animorum. Quotquot homines fortissimos viros inuitamus, ut ferro iudicent nos dignos, indignosue, qui tuis viuamus auspicijs. Equum tantu, gladium, lanceam, scutumq;, ac reliquum corpus omnibus armorum praesidijs nudatum*



ostentantes, ita se dimicatuos dixere. Amurathes (ut facilis erat) allocutus benignè homines, promisit, nihil eis apud se defuturum. Deinde circumspectans hinc inde, expectabat, si quis eam prouocationem acciperet. Sed ubi velut obmutuisse omnes vidit, & tacitam praeberi à suis confessionem

nem ignauia, ignominiam ratus suam, si ita inulta ea Persarum insolentia abiret. Conuersus ad Scanderbegum, non ignorans qua eius ferocia atque ingentes spiritus erant, licet praecipuam periculi sortem omnino tamen petiturum ratus: *Quid expectas macæ virtute, ait, fili? Tua hæc laus, Hæc te manent premia. Age insignem adolescentiam hanc, & inuictam dexteram hodierno quoque spectaculo redde. Nihil moratus Castriotus, deosculatur ex more Principis pedes, equum & arma poposcit, eductusq; maximo plausu vulgi in patentem campum, qui destinatus certamini erat, hostes ad se vocatos, intrepidè interrogauit, quem ordinem vellent seruare in dimicando. Statutum est, ut Iaiâ prior experiretur fortunam, qui victor finem certamini faceret, victum verò socius in quocunque casum sequeretur conditionem. Non recusauit Scanderbegus, licet circumfusi regij iniquum dicerent, ut idem, si vicisset, fessus & saucius fortasse, recenti atque integro subijceretur. Summota postmodum ex loco turba, praco signum dedit, concurrunt concitatis equis viri. Persa infixâ scuto hostili cuspide magna vi incumbens, ut ex equo illum deijceret, hastam perfregit. Epirenses capiti tantummodo hominis intentum ictus omnis sefellit. Itaque uterq; elusi, gladijs tum demum congressuri, hinc inde abibant. Sed impatens animi Zampsa, non expectato socij euentu, infensa cuspide Castrioto occurrit. Ille non ignaua verborum contentione eo periculi tempore perfidiam hostis accusandam ratus, impigre ad nouos se ictus accingens, iugulum venientis scrutatus lancea transfixit. Vix eo humi collapso, aduolans Iaiâ, horrenda voce compellans hostem, stricto gladio fermè oppressit. Victor gyrato ocyus equo ad eum conuersus, nudato & ipse ferro impetum venientis excepit. Et dum triplicatis hinc inde ictibus, alter alterius cruorem haurire contendit, Scanderbegus dexterum viri humerum, qui collo iungitur eodem tenore ictus ea vi cecidit, diuisitq;, ut duplex, quasi domini cadaver ea die infelix traxerit equus. Sic duo fortissimi viri sub vnius manu maximo spectantium gaudio cecidere. Sed & si eo fato erepti forent, Amurathis certe indignationem non effugissent, qui tam perfide, & proditorum more, militem suum circumuenissent. Ductus ad regem Castriotus est, sicut duplici ouans victoria, ita duplici capite onustus. Jam priores res omnes bello gesta, jam recens Scythæ memoria præ noua gloria euanuerat. Rex, purpurati, ac socij deinceps omnes varijs donis cumulatisimè honestarunt, vindicem atq; auctorem publici decoris eum appellantes. Nimio plus fortasse in hæc facta hominis incubui, sed hæc potissima mihi bellatorum laus ac tota prorsus ipsorum esse videtur. Nam quæ in bello gerimus, communia sunt cum alijs: hæc Castriotus peculiaria sibi peperit manu. *Mcalui proinde, si ita necesse sit, ut redundans potius, quam ingrata nostra notetur oratio, maxime quod in alijs**

Scanderbeg  
victor mune-  
ribus hono-  
ratur.

Luxuries ora-  
tionis in au-  
thore.

B huiusce

huiusce generis, quæ ab eodem gesta veniunt non procul dicenda mihi moderatiore prorsus stilo sum vsurus. Haud cedit his periculi presentia, vel magnitudine ipsa rei illud, quod in expugnatione Nicomedia, Prusia, Otræaq; non ignobilis Asiatici oppidi spectante Amurathe patrauit. Primus namq; murum conscendit, signa victoricia fixit, urbem fermè solus intravit, ac cepit. *Missus postmodum in Europam, sapius contra Christia-*



nos, nunc Græcos, nunc Hungaros, prudentis magis quam audacis Imperatoris nomen tulit. Nam quum eam bellandi necessitatem iniunctam sibi videret, quam neq; præter suspicionem recusare, neq; exequi sine maximo dolore poterat, ante omnia Deum orabat, ut id laudis genus à se auerteret, neq; in eo sanguine hauriendo atroci sibi esse liceret. In cute enim tantummodo & exteriori habitu *Macumetanas* ineptias, intus Christiana præcepta tenacissimè seruabat. Tamen quando sic exigente fato aduersus eos progrediebatur, querebat assiduè, qua ratione & illos minus laderet, & exercitum sibi traditum incolumem seruaret. Ita igitur tum in omni cura castrorum, tum in ipso ingressu pugna cuncta exequabatur, & modum quendam cauti ducis ac optimi Imperatoris seruabat, ut neq; Christiano esset insensus, & modestia illa eius, cuncta atq; disciplina prudentiaq; militari, quam fraudi cuiquam, seu imperitia, vel timori propior videretur. Gerebat namq; se ita semper, ut neq; superari ipse quoad posset, pateretur, & Christianis salutis opportunitatem omnibus modis ostenderet. Vel si aliter non posset, viuos caperet, tolerabiliorem seruitutem eorum ratus, quam necem. Ita suos tum in castris, tum in ipso belli ardore hortabatur, ut nunc pudorem

Quo animo  
Scanderbeg  
contra Chri-  
stianos bella-  
rit:

dorem singulis, nunc metum videretur incutere. Ita deinceps crudescente prælio; maximo ingenio rei suæ atq; exercitus statum in quandam deducebat difficultatem, ut maiori postea laudi sibi apud Amurathem conseruatus exercitus foret, quam alijs multiplicæ atq; insignes victoria. Exin nullius maior vel gratia vel autoritas ferè apud regem erat. Militum animis nemo acceptior. Idem mitis, facilis, clemens, laudem nõ ex communi ad se trahens, sed in medium conferens. Pecuniarum quantum colligebat, tantum erogabat. Efficacissimam ad conciliandas amicitias merito existimans, & aptissimam ad vulgi ingenia liganda vinculum. Non inuitatus vltro quisque signa eius sequebatur, & illius gratia vel in apertum tendebat discrimen. Sed non tardata diu fortuna venenum deprompsit suum. *Moritur interea in Epiro Iohannes pater. Auditum id à Scanderbego, Qui, quam-*

Scanderbegi  
pater mori-  
turi.



uis (ut par erat) acerbissimè lugubre nuncium percepisset, non tamè apertis lachrymis, aut manifesto dolore occultum animi sensum indicauit, quum Amurathem verè patrem & principem appellaret. Tyrannus, velut successor regni, nihil moratus, validissimum presidium ad Croiam & alia oppida occupanda misit. Sicq; facile arrepta locorum omnium incruentata fuit possessio, quum neque exhausta populorum vires idoneæ ad tuendam libertatem essent, neque negare possent Ottomanis ius in rebus Joannis, filios eius omnes apud se habenti, quos idcirco (ut arbitror) acceperat, ut vacans demum sine hærede sceptrum ad eum deuolueretur. *Voisanus*, quæ viro superstes, cum *Mamiza* filia domi sola ex eius infelicis regni reliquijs restabat, in *Aemathia* agri nescio quid ad alimenta & sustentationem anilis spiritus assignatum iussu Tyranni. Hanc ante aduentum filij in Epirum senio confectam, obijisse quidam narrant, relictâ filia, quæ fra-

Croia occu-  
patur.

tri reduci atque victori eodem virginitatis tenore inuicta seruata, ab eodem postea viro tradita, & restituta omni pristina dignitati est. Dissimulauit hac omnia ferox iuuenis pari animo, atque dolorem ex morte patris dissimulauerat. Amurathes satis coniectans molestissimum id ei & fratribus apud se degentibus visurum, utpote qui debitum sibi imperium non iniquis votis tacite expectarent, perfidiam suam secutus, fratres primum Scanderbegi (ut fama est) occulte structis insidijs veneno absumptos, sustulit de medio. Deinde ad Scanderbegum conuersus, multa versabat animo, quomodo & eo viro, quo tanquam Alcide ad ardua quaque & difficillima obeunda utebatur, imperium suum non exueret, & eo se onere atque suspitione leuaret. Quare illum ad se vocatum fertur longo sermone, & pluribus verbis ad id ipsum appositis solatus, tum ob patris mortem, tum miserabilem fratrum fortunam. Obtulisseque regnum auitum, vel ditius longe imperium in Asia, quando sui iuris esse vellet, rogasse tamen, ut nondum se relinqueret, in ea praesertim mole bellorum. Parata maxima quaque ei apud se fore, quae vel gloriam, vel fortunam condiant humanam. Cognita fraude iuuenis non minori consilio, vultuque verbis accommodato, sic Amurathi respondisse dicitur: *Viuent in te fratres mihi, viuit Iohannes pater supreme regum, ac indulgentissime Amurathes. Neque dum ita mihi apud te esse licebit, vllum vel patriae desiderium, vel regnandi libido animum incesset meum. Itaque licet cogas hodie me ad hac munera, vel verius onera, accipienda, libenter accipio ingentem animi tui munificentiam, amplector gratissimi Principis liberalitatem. Sub huius tamen umbra capitis viuere nunc certa stat sententia. Vix tum forte mutaturus consilium, quum emerita bello atque inutilis senectus inuictum ab hac cupiditate reuocabit animum. Aptior ad militiam subeunda onera, quam ad imperij pondus sustinendum, hac est atas aptior gladio, quam sceptro dextera. Quam ob rem da hostem nobis Amurathes, ut latiores virtute nostra partum, quam te dante regnum accipiamus. Latus audiuit eum Tyrannus, & tum etiam atque etiam augens promissa, spe ingentiore credulus onerare studuit. Coepit iam inde latenter morbum, atque erumpens paulatim malum sentire Epirensis, Et licet omnia summa ratione dissimularer, diligenter tamen vite suae custos est factus. Et quo magis timebat Regem, eo plus conciliare sibi multitudinem atque militum animos studebat. Semper tamen aliquo bello occupatus, alimentum quotidie ad famam, sed non minora ad inuidiam addebat. Nam non potuit ita elaborata ingenij modestia & quotidianis obsequijs perfidia humana vias occludere, ut hostes sibi tandem virtus ipsa non pareret. Namque exciti purpuratorum nonnulli, quum tantam indolem crescentis indies peregrinae virtutis aequo animo ferre non possent: ubi promptiorem aliquantulum ad credendum*

Castriotus affectati regni accusatur.

videre

videre Amurathem, occultis sermonibus apud eum assidue criminabantur hominem, affirmantes ex nimia largitione in multitudinem, & ambitione popularis fauoris potentiam illum sibi astruere, suspectumque dicentes in aula merito id ingenij specimen esse debere, facile cuncta persuasa Tyranno, praesertim quod de largitione vera omnia dicebantur, & senectus ipsa suapte natura timida, caetera studiose in peius interpretabatur, ut non de Epiro tantum, sed ipsa summa imperij tacitus quidam suboriatur timor, mensque forsitan ipsa proprijs sceleribus obruta, & regni male quassati sollicitus amor, cuncta inter ipsos etiam domesticos penates infusa atque infesta reputabat. Quare aucta ea suspitione odisse ex occulto coepit, & intentior inuigilare, si quo efficere posset modo, ut eum latenter de medio tolleret. Non quo deesset scelerato consilio licentia, & potestas omnia patranda, sed nec causa hominis perdendi, nec vlla subesset ratio. Verebatur aperta vi immeritum opprimere, quum tam acceptum videret omnibus, ne & plurium aliorum animos ab se alienaret, & eo pessimo exemplo in posterum externa virtuti suum clauderet regnum, quae maxime semper Ottomanum creuerat imperium. Sed per id tempus orta alia maiora negotia foris, eas domesticas suspiciones exhansere. Decretum namque bellum est in Georgium Mysiae Principem, Despotem Scruiae vulgo appellant. Non inuitus Tyrannus id onus ad Scanderbegum detulit, vel quod

Scanderbeg pluribus ab Amurathe in Mysiam cum exercitu aduersus Georgium sine Despotis iussu, victor inde Adrianopolim semper reuertens.



nullius opera felice in rebus suis utebatur, vel videns adeo militiam cupidum, & promptum ad pericula, sperabat aliquo hostili casu, quos plurimos afferant bella, plane casurum. Facto itaque delectu, Castriotus in Mysios

B 3 profectus

Tyranni con-  
siliū, & infi-  
diarum genus  
pro morte Ca-  
strioti:

Libertas Epi-  
ri.

Scanderbegi  
consiliū de  
regno pater-  
no occupan-  
do.

profectus est, præter morem suum iniquior tum aliquantulum Christianis fuit, ne si tergiuersando oblata victoriæ occasione in eum hostem usus non fuisset, fomenta ad suspicionem præberet Amurathi, inclinato iam pridem ad omnia credenda illius animo, quem maxime conciliare sibi studebat, donec pulchra aliqua opportunitas effugij affulsisset sibi. Itaque sapius Despotem bello fudit, & victor Adrianopolim est reuersus. Rursumque, quum idem Despotes, recuperatis viribus, cornua erigere cœpisset, denuo exercitu aucto missus aduersus eundem Castriotus, superatum prælio, fugatumque pluribus castellis exiit, ac militem multa hostili gazâ diuitem reduxit. Sedato foris tumultu, senex in auctorem ipsum victoriæ, ocijque eodem scelerati propositi tenore conuersus est. Hinc audio ingentibus præmijs propositis multa singularia per id tempus certamina edixisse, quum satis sciret Scanderbegum nihil unquam detrectaturum, ut ita periculis eum exponeret omnibus. Sed hæc consilia sicut impia, ita vana irritaque apparuerunt. Nam quum plures tum ex domesticis, tum externarum gentium viri fortissimi, ad eam præmiorum & gloriæ spem accensi indices confluissent, consurgerentque, hic semper maximo animo, nec minore fortuna, singulis sese obtulit, & velut fatalis quidam victor suprema omnium admiratione atque fauore, & præmia, & laudes solus reportauit. Vni tamen Ottomano tanta viri virtus, quæ vel hostis fauos atque superbos animos fregisset, nunquam aliquid poterat clementiæ inurere, quin magis quotidie crescente suspitione, eius animus irritabatur, exandescibatque perseverantius ad querendum aliud tacite ultionis genus. Sed cur tam credulus ipse inanes has ultiones Amurathis & stolidæ consilia, Scanderbegique, contra providentiâ vane sequor, & non ad Deum potius unico verbo seruati salutem hominis refero? Hic profecto mentem ademit Tyranno. Hic bellorum impedimenta, & novos ex Mysia motus. Hic demum Hungarorum arma excitauit, ne deuotum Christianæ dignitati caput tam fæde extingueretur, ut prisca aliquando libertas illa resurgeret in Epiro. Nam si nulla fuisset hic diuini numinis ratio, compos certe sua sententiâ Ottomanus extitisset. An deerant mille alij necis modi, quibus præter minimam seditionis suspitionem eum potuisset circumuenire? Vbi venena, vbi insidia, vbi confictæ criminationes, regum arma, erant? Castriotus his insidijs paulatim detectis, quum difficile videretur si diutius mansisset apud Tyrannum, tot laqueos deuigare, decreuit tandem paterni regni, virtute aliqua & ingenio vendicandi consiliū expedire (id quod olim non immemor libertatis animus concoquebat) tacite occasionem querens, ut Amurathe relicto, in optatam tandem patriam se recipere posset, vbi ingenti studio, ac omnium votis expectabatur. Sed nulli unquam mortaliū ea consilia sua patfecit, non verbo, non indicio villo tacitum eius desiderium à quo-

piam est deprehensum, licet & plures ibi essent maxime Epirotici generis, quibus propter familiarissimam vitæ consuetudinem non iniuria fidere potuisset, & post Iohannis patris mortem excitatum fama eius, tum cupiditate amissa libertatis recuperanda, aliqui ad ipsum diuersis temporibus ab optimatibus Epiri mitterentur, offerentes facultatem, occasionemque adiuuantibus populis, extorquendi paternum imperium ab Amurathe. Consciens tamen ipse humana leuitatis, & magnitudinem periculi perpendens, prudenter dissimulabat, præsertim quod facilem ceterarum rerum possessionem ratus, de Croia recuperanda, cuius præcipua erat sollicitudo, anceps animi erat. In ea enim validissimum præsidium imposuerat Tyrannus, ut neque armis, aut vi vlla, sed præclara aliqua arte ingenioque vendicari posset. Est enim Croia Epiroensis imperij caput, in excelsa & prærupta montis crepidine sita, inuia undique & inaccessa penè, adeoque insigni naturæ opere munita, ut præter famem, reliquum omnem hostilem furorem facile possit contemnere. Quare Scanderbegus, si quando tentaretur, laudabat omnium voluntatem, & non abolitam ex pectoribus gentis memoriam libertatis. Sed magnas vires Amurathis dicebat, neque durum imperium, non esse excitandos stolidè motus ad quos non sufficiant vires: neque curandum de tam momentanea possessione libertatis, ut postmodum non in eandem seruitutem, quæ satis tolerabilis erat, detruderentur, sed in grauiora longè vincula compingerentur, & victimarum more ab indignato ex ea rebellionem Tyranno postea ingulenter, & inter cetera consolans semper eos quantum gratia ipse posset, & auctoritate apud Amurathem annexurum se pollicebatur, ut quo rei natura pateretur, lenè id eis iugum atque moderatissimum illius imperium efficeretur. Ita prudentissime & illis & sibi usquequaque consulebat, expectabatque quotidie, ac struebat tacite sibi occasionem ad erumpendum, non alio certe similitudinis modo, quam si quispiam conclusus, seditionem in urbe, & consternationem rerum omnium tacitis votis exposcat, ut conuersis eo in casu ad id incendium extinguendum ciuibus, ipse diffractis vinculis pariter & cupitam tam diu libertatem vendicet, & duras prætoris secures effugiat. Neque tamen diu fortuna desiderium eius frustrata est. Despotes namque Mysia, de quo retro diximus, interea partim rebellantibus suis ab Amurathe, partim vicinorum armis, & opera amicorum adiutus, nunc eiectis, nunc cæsis quibusdam Turcarum præsidijs pristinum statum recuperauerat. Ottomanus itaque acriter in eum accensus, non amplius rem per alios, vel duces, vel exercitus gerendam ratus, ipse delectu ingenti habito ad opprimendum Georgium, & exuendum regno contendit. Et æquè facile, ut conceperat, ex animi sententia per egit omnia. Nam impar Tyranni viribus Despotes, primo ferme impetu præsidijs omnibus nudatus, confugiens ad Hungaros, relicto imperio illi in-

Descriptio vrbis Croiæ.

Simile.

Despotes vendicat sibi regnum à Tyrannide Amurathis, à quo iterum expellitur.

cruentum

cruentus cessit. Scanderbegi consilio operaq; in ea expeditione potissimum usum fuisse Amurathem dicunt, quoniam pluribus antea bellis ibi feliciter gestis, locorum & regionis peritior erat, sed nulla tum usquam voti sui explendi occasio homini affulsit. In propinquo tamen aderat, quia vix Adrianopolim reuersus Amurathes dimiserat exercitum, quod alij motus increbrescere ab Hungaris, & alia vis periculi instare cepit, Quum Despotis fortuna Juliano Cardinale sancti Angeli agente, quem ad id ipsum Eugenius Pontifex miserat, Vladislauum regem ad arma excitasset, ut eum in regnum Mysia reponerent. Tyrannus eo audito, insauratis impigre copijs 80. hominum millia confecit, & non expectans eorum aduentum in Mysiam, Bassam Romaniam, & Scanderbegum cum 20. millibus in Hungariam maxima celeritate venientibus occursum praeiussit. Ipse de more cum reliquo robore exercitus & impedimentis est secutus. Christiana quoque copia tum numero, tum militum ducumq; virtute insignes erant, 35. armatorum millia. Hunniades praeterea ille, Jancus vulgo dictus, ingentis nominis bellator, cuius vel solo nomine victos sapientius Turcas audiimus, represserat tamen illud ferociam hominum, quod deficiente pane, quum frumento cocto vescerentur milites, maior pars illorum egritudine subita fuerat oppressa, causato ex eo genere cibarij immodico quodam ventris profluvio. Aduolans igitur ocyus Bassa, non longe à Moraua flumine castra

Vladislaus Pannoni rex, exhortationibus Eugenij Pontificis, maximis copijs contendit ad restituendum Despotem in regnum, cui Amurathes valido exercitu occurrit.

Victoria Hunniadis, qui & Jancus dictus.



metatus est. Impatiens eius rei Hunniades, spectatores primum occultè ad contemplanda singula, & perscrutanda de Amurathis aduentu misit. Ubi de numero copiarum, & Tyranni consilijs certum iudicium tulit, ut decem

decem millibus ex toto exercitu suo utilibus ad arma electis, relicto in castris Rege Moraua superato, maximo impetu contra barbarum processit. Ille animi dubius, primo retrocessit aliquantulum, mox paucitate contempta, expectato Hunniade pugnam iniit. Scanderbegus contemplatus tempus, quo initum iam pridem consilium desideriumq; ex animi sententia exolueret, summo studio cladem Turcis procurabat. Et primum cum legionibus ipse suis paulatim hosti cedere, atque terga dare cepit. Deinceps alijs eo exemplo metum incutere, ac fugam quandam suadere. Bassa quoque concepto inde timore, vel quod praeter morem tam peritum militia virum ad fugam magis, quam ad pugnam paratum videret, vel proditum se ab eo crederet, segnius intulit pedem. Ex quo Hungari crescente (ut fit) ex alieno metu audacia, haud magna cum re, ac incurienti ferme hostem fuderunt, profligaruntq;. Turca relictis impedimentis pallati sine ordine, sine signis, nullo ducum, nullo sociorum respectu, fuga qua sola poterant, se saluabant. Hunniades victoriam secutus, finem cadi non fecit, donec quippiam superfuit reliquiarum. Strages ubique, & omnia pauoris ac tumultus plena erant, praesertim in direptione ipsa castrorum. Vnus ex Satrapis Tyranni, magna vir auctoritatis, viuis captus, ceterorum quatuor millia, Bassa vix cum paucis euasit. Tum Scanderbegus, qui sedulus obibat omnia, comunicata ante re cum amicis, inter quos & Amesa nepos fuit egregia indolis adolescens, quem Reposius, postea Caragusius dictus, à Turcis ante insidias Ottomani uxore ducta susceperat, ubi inclinatum Turcarum fortunam, & stratas suorum acies vidit, affectus scribam auricularium Bassa, quem ad id summa ratione obseruabat, apprehensum hostili animo coniecit in vincula, ab eoq; confestim mortis timore nihil quicquam recusante, fallaces literas ad Croia magistratum extorsit, quibus iubebatur nomine Amurathis Scanderbego nouo praefecto designato, praefecturam & urbis curam omnem tradere. Aliaq; multa scribendo addita, qua probabili quadam ratione rem fulcirent, & ad credendum magis inuitarent. Literis exaratis, scriba repente cum ceteris comitibus fuga obtruncatur, quo diutius ea res lateret Amurathem. Neque in eos tantum seuitum, sed quotquot tum in Castrioti ditone venerunt, omnes necati. Ita ille exercitus penè ad internecionem casus est. Nam qui militarem furorem subterfugere, in incolarum postea manus incerta fuga delapsi, eodem fato sunt absorpti. Milites plures Epirotici generis, qui in eo praelio fuere, ubi id factum Scanderbegi audierunt, ut pallantes ex fuga hac illac oberrabant, tum hostis fugiendi causa, tum patria praecipue desiderio tacti, circa eum se collegerunt, factumq; subito est trecentorum non ignobile agmen. Hunniades victor cum suis ingentibus spolijs onustus, ad socios se recepit. Non omittam hoc loco, quod multi dicunt, Scanderbegum

Vladislaus pugna contra Bassam.

Hungari vincunt.

Scanderbegi velox consiliu in Croia recuperanda.

Cedes Turcarum, & fuga Scanderbegi e castris barbarorum in Epirum.

ea consilia communicasse cum Hungaris, Hunniademq; prius de singulis latenter per nuncios ab eo instructum, atque accersitum maximo studio cum copijs. Quicquid extiterit, ut pro comperto non habeo, ita haudquam magnopere affirmare contendo. Id autem crediderim, omnia summa ratione acta, quum alioquin rei euentus non iniquus saepenumero consiliorum Index, huic suffragetur sententia. Caterum in praesentia relicta paulisper Hungaria, dum tanti fama mali, & eius cladis nuncius graditur ad Amurathem, in Epirum reuertamur. Expleta igitur hinc inde irà & exolutis votis omnibus, Castriotus victor non ignobili & ipse praeda ornato magis quam onerato milite, cum agmine suorum inde maximis itineribus discedens, septimo die Dibram superiorem peruenit. Locus autem is est in finibus Triballorum, 70. millibus passuum distans à Croia, celebris multum apud Epirotas, eò quod fortissimos viros gignat. Fide praeterea & multis rebus egregie gestis pro Johannis patris imperio, dum is ab Ottomanis vexaretur, Scanderbego non ignobilis gratissimusq; erat. Urbem aliam vel Castellum non habet, praeter Sfetigradum in limitibus ipsis ad Macedonia ora. Sed tum per valles, tum per montes, nullis septos muris, circumfusi incola solo munimento naturali locorum ab iniurijs hostium sese tutantur. Primo itaque hic constitit Castriotus, neque ulterius procedere illi visum est, donec quaedam, quae in rem suam erant, ordinasset. Accersitis igitur ad se maximo silentio optimatibus quibusdam loci (nam noctem quoq; ad aduentum suum obseruauerat, ut exactius calaret omnia) apertis suis consilijs omnibus, singula ex animi sententia peregit. Nemo autem (ut perhibent) tunc repertus fuit, qui vel timore Ottomanis, vel tam audacis facti diffidentia, vel ita (ut fit) proprio suadente ingenio de postulatis eius aliquid demeret, quum potius & tamdiu alitum desiderium, & ingens viri fama per tot annos percepta (quod maximum erat) praecipuum libertatis studium, cum mirum in modum singulorum animis conciliauerat. Circumfusi igitur omnes in ipsum contentione quadam, nunc festiui & gestientes, nunc manantibus ex nimio gaudio per ora lachrymis, hi manus, hi faciem, caputq;, hi pedes, ac totum deinceps corpus longis amplexibus deosculabantur, gratulantes iam inde fortune, gaudentes imperio, nominiq; Epirotico, ac res extendentes suas, simulq; ei corpora, filios, animos, & si quid melius in anima latet tradentes, deuouentes. Prouisum id primo, ut disponerentur maxima diligentia custodia, ne interim aliquis veniret à Tyranno nuncius ad detegendam eam fraudem praefecto Croia. Deinde statutum de delectu habendo, ut quum ab eo accepissent signum, omnes quam maximis possent viribus, consurgerent ad arma. Ex trecentis equitibus quos secum duxerat, paucis retentis, cum quibus Croiam iret, ad tradendas praefecto literas, & accipiendum magistratum,

Descriptio Dibræ superioris.

Triballi populi Moesia, Vide Plin. lib. 3. cap. 26.

stratum, reliquos omnes cum totidem ferme Dibransibus peritis regionis praemisit occultissime ad latitandum per sylvas & saltus vicinos Croia, donec ipse urbis possessionem occupasset. Tunc latenter introducturus eos intra mœnia, ad Turcarum praesidium opprimendum. Haec omnia per eam noctem perbelle procurata, nam in exitu Autumni erat, quum satis protensa sunt noctes, mane nondum clara luce ipse desiderij impatiens, & cui maxima vis periculi in minima morula videbatur: accepto equite impedimentisq;, sequentibus nonnullis Dibransibus, Croiam maxima festinatione perrexit. Et cum approximaret loco, ut ea re fidem maiorem facto adderet, inter equitandum Amesam, cum duobus velut seruulis se praere ad urbem iussit, qui singula nunciaret praefecto, diceretq; se cum impedimentis, & reliqua familia in propinquo esse. Iuuenis (ut sagacissimi erat ingenij, & sermonis, oris, vestimentorumq; habitu verè Turca apparebat) ubi primum urbem ingressus, adiit praefectum. Salutatione de more facta, tum ad Scanderbegi mentionem appositis verbis descendit. se scribam eius fingens, & multa modestia subiciens, illum iam iam cum comitatu suo affore. Credita sunt, ut narrata omnia, permittentibus ita Dijs. Et iam expedire se barbarus, iam sarcinulas componere cepit suas, priusquam literas vidisset, & Tyranni voluntatem nosset. Tum superueniente Scanderbego, illis resolutis, inspectisq;, adhibita abundè fides, &

Maxima periculi vis in minima morula.

Aduentus Scanderbegi ad praefectum urbis Croia, & vasa successio eius in praefectura & urbis custodia.



mox imperio cessum. Ingenti latitia omnium exceptus in urbem est. Tum praesidium ipsum hostium, tum veteres ciues, & omnis ferme atas obuiam (ut fieri solet) processit. Ingens fama viri, quae ubiq; ferebatur, tunc ex-

peccatorem singulorum animis honorabilioremq; reddebat. Adamabant Turca populare ingenium viri, quare latus quisque imperium eius accepit. Crocenses visa Principis sui prole, veluti ex profundis emergi sordibus iam inde spiritum & sanguinem recipere, tacitis subinde votis occultis Scanderbegi consilia reputantes. Atque aliquis ex senioribus, seruatō usque ad eam diem antiquo desiderio indolem infantis, omnem educationis seriem, ac primordia ipsa nascendi, & sollicita parentum vaticinia memoria repetebat. Nullus tamen audebat animum suum aperire duci, & tam iusta arma capere, nisi ultro ipsum auctorem ad vendicandam libertatem prosilientem vidisset. Scanderbegus cum paucissimis re pertractata, ut cum opus esset, iuuentutem excitaret ad arma, aliud quippiam mouere prohibuit, donec presidium illud armorum accepisset in urbem. Eo autem noctu clam accersito, & accepto, obseratis portis vici omnes, ac tutiora urbis loca impleta armatis, ignaris adhuc Turcis, vel timore dissimulantibus, augente pauore nocte, tum à Castrioto signum ad cadem datum. Primo procursum militum, stationes vigilum petita, qui per muros contextis (ut sit) casis, oportuni iniuria, iacebant. Cesi itaq; facile omnes, & iisdem locis mox alij ex nostris suffecti. Eodem tenore impetus in domos priuatas factus, præunte agmine Crocensium, Scanderbegogq;, tum militis, tum ducis officium egregio obeunte, effractis claustris multi in lectulis oppressi, ac iugulati sunt. Sed ubi is rumor alius ex alio ad reliquos peruasit, exciti magno numero ad arma, prout furor noxq; concedebat, prodeuntes in forum conflare aliquam agminis formam conabantur, ut vel laudabilius caderent, vel inhibito paulisper hoste, prorumpentes ad portam, fuga se saluarent. Occlusis tamen vijs omnibus, re utraq; frustra tentata, passim iumentorum more matabantur. Tum quando neq; fuga spes ulla, nec speciosa moris occasio aderat, ad compressos tamdiu gemitus, & inuisas fortibus viris lachrymas conuersi, compellare nomine Scanderbegum, orare, obtestari, ut iam finem cadi faceret, neq; ulterius felicitis auspicia regni sanguine humano pollueret, malletq; viuos saltem seruatō seruili fortuna speciem triumphis sui augere, quam fœdare omnia cadaveribus occisorum, & tam letum diem ea inclementia debonestare, ac innoxio illorum sanguine imperium sibi licet iustissimum vendicare: nihil se tale meritis, non inensos ciuibus, non iniurios ulli extitisse. Commissam sibi urbem ab Amurathe velut amicos, non hostes, incoluisse, neque nunc obstaturos repetentibus libertatem: iam ferrum & arma deponere se, atque supplices victori tendere dexteras. Ingens conseruatio rerum, clamor, gemitus, querela, mina, lachryma confusa ubique resonabant. Quantum potuit in illo furore suorum, & ardore cadis Castriotus, nunc verbis ipse reuocans milites, nunc signo dato deprecantium rationem habuit, & in ortum

Scanderbeg  
signum dat ad  
cadem.

Clementia  
Scanderbegi  
iuncta pru-  
dentia.

tum diei rem distulit, sperans oculos undique, & tot oneratos malis homines, tum blanditijs, tum minis alluci forte ad Christianam fidem posse. Tamen ordinato summa ratione milite, & assignatis suis quibusq; locis obseruare iussit, ne aliquid per fraudem moliretur hostis: ipse cum Amurathe & alia multitudine sequente extemplo ad portam perrexit, & inde eum cum Dibrensibus nonnullis Dibram misit, ut nunciarent participibus consilij recuperationem urbis, & cetera quæ acta erant, monerentq; omnes capeffere arma, ac sollicitare socios, & populos vicinos, ad libertatem vindicandam, atque in eo tumultu rerum, & improviso pauore, opprimerent hostium presidia, præsertim dum Amurathes partim ignarus rerum, partim Hungarico bello occupatus esset: se namq; expurgata urbe Turcis, ac pacato ciuium statu, cum instructis copijs, & quam maximo posset robore virorum illico aduolaturum, Conuersus deinde, orto iam sole, ad reliqua in urbe peragenda, voce præconis, præmoneri iussit, ut qui baptizari, & Christianam fidem profiteri vellent, abiectis armis ad se irent, vim ullam eis fieri passurum, sed ad munus ipsum vita, alia quoq; officia cumulatissimè additurum. Qui id negligerent, in hostium numero censerentur, & omne in eos ius supplicij permissurum. Non multum tam horrida vox obstinata pectora, & perditæ ingenia mouit. Pauci sana consilia accepere, ita vetusta præcepta auorum, teneris infixæ animis, coaluerant, & osibus ipsis fixa inhaferant. Maluere infelicia corpora fontes potius sequi animas, quam cum superis, tum hominum præstanti perfrui clementia. Dimissis itaq; iam præcibus Turca, quum nimis dura viderentur conditiones nostris propositæ, ad inanem prorumpentes fugam, differebant magis supplicium quam fugiebant. Namque dispositi per omnes urbis aditus armorum ordines, facile pauidas opprimebant, licet multi velut in rabiem versi, quum oppetenda iam mortis species ante oculos obuersaretur, stricto ferro viam sibi quibusdam locis per medios hostes aperirent, tamen non omnes manus effugere poterant, vel decursantes hac illac, sicut cauea occlusæ aues, singula urbis compita oberrabant, & non inuenta effugij via, aut à superueniente hoste opprimebantur, aut suis ipsimet gladijs concidebant. Accipio namq; aliquot manibus suis perijsse, alij per phana & delubra peruagantes, latitantesq;, ab auido sanguinis milite extrahabantur, & velut victima pro libertate immolabantur. Libertas in omnium erat ore. Libertatis dulce nomen undiq; resonabat, multi illorum domos adhuc timore non egressi, & ibi se continentes, ea ipsa loca sanguine suo replebant, nisi qui in intimis recessibus, & penetralibus latitantes, sagacitatem militum paulisper sefellere. Ad Scanderbegum quoque satis magnus confugerat numerus, non quod tam fœnsti spectaculi timore propositum, mutassent homines, sed ad prorogandos, quoadusque liceret, infelicitis vita

LIBERTAS  
vinducanda.

Libertatis  
dulce nomen.

terminos. Nam quum sedato eo furore, & sublata in urbe belli materia, Castriotus ad baptizandos intendisset animum, maior pars ad preces & obsecrationes versa rogare, ne inuitos cogeret ad eam rem, simulare se posse presenti eo mortis pauore Christianos futuros, sed nunquam veteres suorum sanctiones obliuioni tradere posse, nihil recusaturos, si ad supplicium spectent, nihil tamen ad animum transmissuros: uolentibus ea tradi, non coactis debere, obsecrare tamen per inuictam eius dexteram, per satis iam uultos patris, & fratrum manes, ut se nuncios saltem eius cladis, & tanta rei gesta dimittat ad Amurathem. Deposita iam cum armis ira, Scanderbegus, licet indignam aliqua miseratione, sceleratam censeret gentem, conspectans tamen inermes & supplices tendentes dexteras, facile uita pariter & libertate donauit. Sed paucis (ut audio) uti eo munere licuit. Nam urbem egressi, in libidinem aliorum, & audias vulgi manus incidere. Nouis Christianis (nam aliquot fuere) ad ingentes gratulationes, affatim de omnibus prouisum, stipendia, domus, victus, & reliquum famulatus ex publico decretum: tamen custodiri iussi, donec noua character religionis recentibus animis coaluisse cognosceretur, precipueq; in ea nouitate rerum, ne aliquid fraudis molirentur. Qui postea ex varijs latebris emer-

Castriotus op-  
presso Croia  
praesidio Ty-  
ranni, vrbeq;  
recepta, Chri-  
stianos Prin-  
cipes de ijs  
certiores fa-  
cit, eosq; ad ar-  
ma excitat.



sere, alij prout in mitiora incidere ingenia, seruati in uinculis, quum ingentem pecuniam pro uita pepigissent: alij occisi ex templo. His perfectis, & renouatis omnibus ac ordinatis in urbe, vexillisq; Tyranni ac signis, sicubi sunt inuenta, laceratis, incensis, & abolita penitus eius memoria, atq; uestigijs deletis, primores quosdam urbis Castriotus per uicina loca Croien-

sis no-

sis nominis, ad nuncianda omnia, & excitandos ad arma quamplurimos impigre expediuit, sed nullo opus uel nuncio uel hortatore erat. Armati fere omnes inuenti, ducem tantummodo & auctorem aliquem certis animis expectantes, Quare confecta confestim non ignobiles copia, tum longius progressi, alios sollicitare pergebant, praesidia Turcarum, qua inuenta fuerunt, omnia ad internecionem casa. Ubi hincinde satis aucta uisa sunt uires, itum sine mora ad urbem. Nihil tardatus Castriotus, motis signis, maximis itineribus Dibram contendit, insignis armatorum numerus ibi circa Amesam inuentus, ac quieta omnia: nam praesidia hostium qua fuerant, iam pridem sublata. Praefectus quoq; uetus Croia, & familia omnis, ad unum occisi, ac direpta impedimenta. Primum omnium Scanderbegus, antequam ad uendicandum sibi reliquum imperium pergeret, duo amplius fortissimorum hominum millia ibi in sinibus non longe à Sfetigrado oppido & Mocreo monte locauit, tum ad occludendos exitus hostibus, qui in prouincia erant, tum ad obsidendos aditus, si qui ab Amurathe interea mitterentur. Nam inde magis commodum & tritum iter in Epirum ex Macedonia Thraciacaq; erat, ipse cum reliquis copijs in Dibram inferiorem descendit. Obtulit ibi inter ceteros fortuna Mosem Golentum Petri generis, atq; animi nobilitate insignem uirum. Quo praecipue comite omnis tum uirtutis, tum laboris Scanderbegus in cunctis magnis atque difficillimis rebus est usus. Tum alia loca & oppida circumadiacentia permeauit, Qua quum neque muris circumdata essent, neque magnis hostium praesidijs munita, facilem profecto aggressum & aditum praebant, & iam omnis ferme atas ceterorum uelut ommissa cura, armis tantummodo acceptis, eum sequebatur, ac uindicem libertatis conclamabat, libertas in omnium ore pectoreq; resonabat. Dum hac agerentur, multi (ut audio) pluribus ex locis collecti in unum Turca, facto agmine occurrunt nostris, tentaturi fortunam, sed nihilo difficilior eorum quam aliorum uictoria. Tum ceteri, uidentes inania iam consilia per uim ei resistendi, dedentes se, armaq; ante eum proyicentes, malebant fide quam dexteram experiri. Ille tum ne inermes, ac subdentes iugo colla sauiendo crudelitate sibi nomen adscisceret: tum ut animos suorum ea humanitate ac ingenij dexteritate conciliaret, omnes militibus delegabat, ac totum ius clementia supplicijq; ad eos transferebat: inanes preces, inanes uociferationes apud eiusmodi ingenia erant, surde ad omnia militum aures. Nemoq; seruatus praeter paucos, à quibus aliquid magnum pro redemptione sperari poterat. Scanderbegus neque approbat palam, neq; eam damnabat crudelitatem. Tacite tamen id ipsum cupiebat, & ita agebat omnia, ut penitus nomen Turcarum in prouincia deleteretur. Ceterum quia ubiq; ipse adesse non poterat: ratio enim suscepti negotij celeritatem exigebat, di-

Dibra.  
Amesa.

Moses Scan-  
derbegus ad  
focius labo-  
ris.

Nomen Tur-  
carum delatum  
in Epiro.

bat, di-



Oppugnatio  
urbium in E-  
piro magna  
molis erat.

Oratio Scandi-  
bergi ad mi-  
lites.

bat, diuisis copijs, nonnullos ex Principibus inuentus cum varijs agmini-  
bus hincinde ad cetera expedienda, ac excitandos socios, & ad praecocu-  
pandos hostes, praeiussit. Amesa cum ducentis fere viris ( quia non satis  
idoneum praesidium ibi, neque praesidij caput relictum videbatur ) Croiam  
ire iussus, ipse nunc hac, nunc illac pererrans, ac perlustrans omnia, ali-  
quot dies in recuperandis reliquis locis, ac conciliandis praesentia sua popu-  
lorum animis consumpsit, unum restabat, sed praecipui laboris, ac difficul-  
tatis opus, oppugnatio reliquarum urbium, in quibus potissimum stabat  
recuperati imperij momentum: tamen quum praualidis Tyranni praesidijs  
omnia tenerent, maioribus viribus aggrediunda ea res, & non sine consul-  
tatione aliqua agenda visa. Quare impetratum, ut omnes qui diffusi pas-  
sim, & ad varia ministeria missi ab eo fuerant, auctis quam maxime pos-  
sent copijs, quam primum integrum, forte Croiam conuenirent, ipse quoque  
cum suis urbem petijt, ibi eos expectaturus. Non multum inter eius &  
illorum aduentum intercessit mora. Sed & fama ipsa rei plures alios exci-  
uerat: aduolarunt enim ad eum plerique nobilissimi duces, praesertim eius  
affines, cum praecleara militum manu: inter ceteros Musachus Angelina,  
ita vulgo dictus, ex Angelina sorore nepos, Goicus, ac Georgius  
Stresij fratres ambo ex Jella, item sorore. Ginus Musachus Ulaice ma-  
ritus, nam Johannes pater priusquam vita cessisset, filias omnes diuersis  
principibus ac optimatibus prouincia in matrimonium collocauerat, pra-  
ter Kamizam, qua recuperatum a Scanderbego post imperium, ac pa-  
catum prouincia statum, Musachio Thopia nupsit. A Stephano quoque  
Cernuichio, qui Maram uxorem, & ex ea liberos habebat, gratulatio-  
nes cum parte & militum & pecuniarum non defuerunt colluuium. Prete-  
rea vulgus confluerat, & in omnes horas confluebat, ut XII. iam millia  
hominum numerus armatorum excederet, erectus maxime eo suorum fa-  
uore Castriotus in procinctu habitis omnibus, & ad proficiscendum para-  
tus, priusquam moueret signa, simul de ratione agendorum consultans, &  
militibus adhortans suos, in hanc maxime sententiam exorsus fertur: Ne-  
que nouum, neque inopinatum quippiam hic video, Duces ac milites for-  
tissimi, quod non iam pridem animus meus praesagierit, & sibi promiserit,  
quum & veterem gentis nobilitatem, & publica vestra ac priuata in Jo-  
hannem patrem officia mecum sedulus repeterem. De me enim ( verbo ab-  
sit audacia ) nullo unquam vita tempore dubitavi, quum hanc mentem,  
hanc pietatem in patriam seruarem, hos gererem pro libertate spiritus, ea-  
dem vestra quoque desideria paria mecum retinebant, ut saepius ( id quod  
libenter memini, & nunc audacter refero ) deus apud Tyrannum  
omnibus studijs atque officijs ad hoc muneris inuitastis, & fortasse tum  
patria, oblitus mei decoris, & immemor prorsus libertatis visum sum vo-  
bis,

bis, quum nulla satis certa spe, nullo praecleara cogitationis indicio mastissi-  
mos domum remitterem, consulebam certe mihi vobisque, eo silentio, Cives,  
ea simulata animi remissione, quippe quum & eius generis res essent, qua



prius fieri quam dici debebant, & vos freno potius quam calcaribus indi-  
gere videremini. Calau, fateor, consilia mea vos, subitici tamdiu vo-  
luntatis rationem omnem: non quod vel fides vestra mihi suspecta, vel a-  
nimi non satis noti essent, quum priores ipsi in ea rerum alea cogitatis ve-  
stros praemonstrassetis, sed deterrebat mortalium fragilitas, & inconstan-  
tia humana, qua quum ad omnia praecipua feratur, ad libertatem rapitur  
magis quam ducitur, nihil pensi, nihil ordinati habet: & si minimum oc-  
casionis ad eam non modo vendicandam; sed tentandam arriserit, non  
mille ( ut aiunt ) enses, mille pericula, non manifesta mors, & apertum  
fortunarum vitaeque discrimen a proposito auertere potest. Verum ubi fru-  
stra tentata re inanes conatus detexeris, aut funestissimum supplicium,  
aut deterior longe seruitus manet, omnisque in posterum abscinditur spes,  
ac lapsa semel occasio in perpetuum evanescit, semel tentatur ea res: quod  
si perperam cesserit, imperpetuum facultas amittitur. Proinde ( verum  
ingenue fatebor ) vix mihi ipse satis tutus eius consilij particeps videbar,  
timebam ne lingua tanta impatiens rei, ne parietes ipsi domus me prode-  
rent: testis est Amesa nepos, praecipuus postea adiutor consilij, & comes  
laboris, & alij perpauci, quorum opera & fidei & impigra in exequenda  
ea re usi sumus. Quod quum eadem mihi cum illis vita intercederet consue-  
tudo, idem victus, idem proprie animus esset: nemo tamen me patriae me-  
morem,

Periculosum  
libertatem ap-  
petere.

Amesa adiu-  
tor consiliorum  
Scanderbegi.

D morem,

morem, nisi in Hungarico bello deprehendit: nemo Christiani & liberi hominis vocem, nisi tum cum impunè potuit, audiuit. Poteratis alium vos Epirenses (nō enim deerant præclara ingenia in hac provincia) auctorem libertatis, & ampliaturè rerum vestrarum atq; animorum inuenire, maluistis tamen (ita forsan volentibus Dijs) libertatem hanc licet seram à me expectare, quàm vel per alios quærere, vel ipsimet vobis conficere. Non est pertesum tam egregios spiritus in libertate educatos, animos barbaricis subiectos sordibus tam diu tenere, ut me nunc aliquando videretis. Sed quorsum istud liberatoris nomen patientia vestra vsurpo mihi? Non attuli libertatem huic, inueni, vix solum vestrum tetigeram, vix nomen meum audieratis, cum aduolastis, occurristis quadā contētione omnes, velut patres vestros, fratres, filios, à mortuis remeasse, velut Deos omnes accessisse audissetis. Praoccupastis illico, obruistis ea magnitudine officiorū, ea animorum alacritate, ut tantum seruitutis videar vobiscum contraxisse mihi, quantum acquisuisse apud vos libertatis, non imperium ipse vobis, non urbem hanc dedi, vos tradidistis mihi, armatos inueni, non arma tradidi. Libertatem in pectore, in fronte, in ensibus, in hastis, ubiq; gestantes comperi, & tanquam optimi tutores à patre relictī seruaturū mihi ad hunc usq; diem sceptrum, pari fide atq; diligentia restitulistis, & in maiorū meorum possessionem labore atq; industria vestra incruentum deduxistis: nunc in ceterorum\* (Dijs iuuantibus) ducite. Maiorem vel maximam iam partem operis absoluimus. Croia recuperata, agro omni subactō, Dibris & reliquis deinceps populis nobis adiunctis, ac hostium nomine ex campis sublato, oppida supersunt. Si ad incommoda illorū specto, videns omnibus à nobis obsecsis, praoccupatis, nuda tantum mœnia inclusis relictā, bono sum animo: si ad locorum difficultatem & præsidia intus à Tyranno posita, maximo vel ingenio aliquo, vel pertinacia utendum videtur. Sed melius hac præsentis in ipso hostis conspectu, & ferrum ardenti dextera tenentes, quàm nunc absentes, & suspensis animis, consultantes iudicabimus. Nouenda itaq; impigre signa, & induendi ubiq; vincantium animi, adiuuabit conatus nostros fortuna, quæ hucusq; in singulis nos egregiè est & comitata & secuta. Petrella tamen prima omnium petenda nobis, non quod alijs situs difficultate, vel munimento natura id oppidum cedat, sed ex eo, quod vicinior est huic urbi, maiorem famam, & timorem Craiensis fortune, eo nos credo inuenturos, multa spectacula tum virtutis vestra, tum calamitatis suæ in oculis habuere, mouere poterunt hac non parum fortasse, & in quo non mouebunt, pertinacia certè nostra supplebit, vnum illud fixum omnibus, obstinatumq; esse debet, nisi ea expugnata sit urbs, & voti compotes simus, domum non reuerti, experiendum est omne artis, laboris, patientiæ, ferri, auri, argentiq; genus, ut inde prima huius victoriæ auspicia suman-

Liberatoris nomen Scanderbeg sibi vsurpat.

Libertas.

† Intellige possessionem.

Fortuna comes.

Petrella oppidum.

sumantur, si per vim capere eam annuent Dijs, nullus relinquendus obstinatis apud nos miserationis locus, sed vel insolentissimè utendum victoria, ut caterorum frangamus animos. Si deditibus oppidanis potiri ea incruentis nobis licuerit, magna modestia tum priuatim, tum publicè agendum erit, ad inuitandos alios ad deditiōem animos. Hac oratione cognita maxime modestia Scanderbegi, & laudata est ab exercitu, neque de consilio eius quicquam mutatum, aut grauate acceptum. Moses cum tribus equitum millibus velut antesignanus primum ad urbem missus, Ca-

Parcere subiectis, & debellare superbos.



striotus cum reliquis copijs iuxta secutus. Nonnulli dicunt eum machinas quasdam Croia inuentas secum duxisse ad oppidanos deterrendos, alij sine tormentis & tentata & expedita omnia. Ego (si concedendum est, quod omnes clamant) per integrum ferè mensem totum ab eo imperium recuperaturū, egre assentiar, ea deducta fuisse impedimenta, præsertim quum hiberno tempore concreta gelu, & glacie omnia vix expeditis equis virisq; iter tutum præberent. Deductis sub muros copijs Epirensis, partitis ordinibus, urbem impigre qua melius potuit, ratione cinxit. In Tyranna maiore, sic dicta, propter aliam minorem, quæ prope Croiam iacet, quia aptior ad castra metandum locus erat, maior pars militum exposita, idem obsidens & obsessus cogitabat. Prior tamen Castriotus alloquendi benignitate & munificentia promissorum animos hostium prauenit, electoq; uno fidelis & experta opera viro, quem ex Hungarici belli reliquijs secum in Epirum, illum ad oppidanos misit. Deditiōis præmio, præter vitam bonaq; priuata, si mutata cum imperio fide manere apud se vellent, stipen-

Petrella obsidetur.

dia abunde oblata, si ad Tyrannum mallet reuerti, pecunia singulis, & non vilia munera praefecto promissa. Pronos iampridem ad deditioem homines, vaser miles appositus ad idipsum verbis facile quocumque voluit, impulit: non à Scanderbego primum exorsus, sed à malis, & Amurathis occupationibus, ex Hungarica clade ac conspiratione Christianorum in Turcas, tum ad ipsa mandata ducis praclara quadam fiducia venit, subiiciens crebro audientium animis Croiensis praesidij fortunam, ac ceterorum calamitatem, qui passim per omnes prouincia angulos lupis canibusq; relictis iacebant, ea omnia partim ab alijs audita, partim visa, credita facile sunt, acceptaq; conditiones, dummodo saluis rebus suis abire liceret, cessuros vrbe, de alijs premijs non curatum. Nisi itaque à praefecto, qui rem cum Scanderbego agerent, & iureiurando sancirent, firmatis omnibus, & barbari egressi sunt sine mora, & praesidium nouum acceptum in oppidum. Ceterum non immemor consilij sui Castriotus, honoratos verbis hostes, pecunijs quoque, equis, & cibarijs adiunxit. Deinde Nicosem, & nonnullos equites cum eis misit, vsque ad imperij fines, ne alicubi vel insidijs, vel aperta vi à suis violarentur: sicuti plerisque in alijs, ita hic quoque non minus admiranda ducis nostri fortuna, quam vel virtus, vel prudentia occurrit mihi. Et sicut in seruando eo apud Amurathem praesto fuere, ita hodie in restituendo illi imperio Deos omnes non affuisse solum, sed contendisse non ab re dicere ausim. Petrella oppidum, licet non amplum circuitu, inexpugnabile tamen, propter loci naturam, & altitudinem montis, in cuius vertice stat, armis, viris, commeatu affatim munitum, hyeme praesertim alienissimo ad obsidionem urbium, tempore, tam facile imperium eius accepit, vt non solum militem vllum in ea patiunda, sed ne verbum quidem (vt aiunt) frustra amiserit, laudanda tamen non inanis in hoc patientia eius, indefessumq; corporis robur, quam indefatigabilis vigor animi, omnia celeriter obeuntis. Recuperata enim ea vrbe, & ordinatis intus ac procuratis quae necessaria visa sunt, non modo die, horae, sed ne momento quidem temporis ibi moratus est, quin extemplo collectis vasis, militem ad alia oppida velut fugientia deduceret, operta niue omnia erant, exhausti frigore hominum vultus, gelata manus, indurata & veluti concreta omnium corpora, neminem tamen praeter praesidium tecta vel muros urbis intrare passus est, neq; ipse voluit ingredi, vt pudorem quendam eo exemplo inijceret alijs. Sed neq; illud longe maius, quod de eo fertur, silentio praetereundum censeo, quod à primo scilicet die, ex quo in Epirum venit, vsq; ad vendicatum imperium, vix duabus horis quaque nocte somno indulsisse memoria proditum est, miraculum diuini prope corporis, ac inexhaustae fortitudinis. Ideo fortasse patientia illa laboris, vigilijs, ac exercitatione assidua, & virium magnitudine

In quibus periculis Scanderbegus fuerit.

Descriptio Petrellae.

Scanderbeg paucissimi somni.

tudine consecuta est, quod in Papirio illo Cursore, excusant antiqui, cibi viniq; capacissimus dicitur fuisse. Brachio nudato semper pugnabat, nullo frigoris, nullo astus discrimine habito, rem ausus plus fortasse habituram ad posteros admirationis, quam fidei. Nos tamen eò, unde discessimus, reuertamur. Recto itinere Petram Albam itum est, qua à Petrella 30. millibus passuum, à Croia 30. millibus distat, Petrella à Croia 25. Oppidum hoc in Aemathia est in sublimi montis cacumine situm, paruum a litu tamen, praeter famem nullam vim hostium timens. Praeterea ad ipsas montis radices praeterfluens Aemathus fluuuius, non minus pulchritudine, quam munimenti, & commoditatis loco illi addere videtur. Vix fixis humi signis consedit sub muris miles, & missi ad Scanderbegum quidam ab oppidanis vltro deditioem urbis fecere. His etiam qua Petrellensibus

Obsidio Petrellae, descriptio ac deditio eius.



ante fuerant omnia promissa & seruata, ac missi quidam ex nostris cum praesidio hostium, qui ab iniurijs prouincialium eos tutarentur. Firmata rebus necessarijs vrbe, vix data facultate respirandi, Stelusium eodem ardore petatum, 25. millibus passuum oppidum hoc à Petra Alba disiungitur, à Petrella 40. à Croia 50. ferè. Hoc quoq; oppidum, licet ab amplitudine iure laudari non possit, à naturali tamen situs munimento, amoenitate, ac caeli salubritate non immerito extolli potest. Mons est in Aemathijs campis, excelsus, in medio speciosa cuiusdam vallis velut de industria positus, iugum ipsum pulcherrime muris septum id castellum facit. Huc quum solis occasu aduenissent nostri, nihil ea die actum, sed in crastinum dilata res. Mane missis ad oppidanos legatis Castriotus, primo nihil praeter verba

Obsidio Stelusij, eius descriptio & deditio.

tulit, nullumq; certum responsum datum. Nam variatum maximè sententijs inter barbaros est, & res propè ad seditionem deducta propter pertinaciam, vel ut verius dicam, constantiam præfecti dissentientis à cæteris de deditioe, ac excitantis multitudinem ad arma. Victus tamen à maiori suorum parte, quum æquum conditionis genus acceptare noluisset, coactus est postmodum sordidius longè, & funestius iugum subire: nam milites flectere verbis eum nequeunt, victum cum alijs eius sententiæ socijs ad Scanderbegum deduxere, & conditionibus acceptis, tradidere urbem. His plusquam cæteris liberalissimè de singulis prouisum à nostris. Maior pars ob patratum facinus Ottomanis timore domum redire noluit, ibiq; mota sit. Eorum quidam baptizati: alijs liberum arbitrium eius rei relictum, victus tamen ex publico nemini negatus. Sfetigradum restabat, quod idem apud Illyricos signat, quod sancta ciuitas, nihil moratus in Stellusio Epiroensis, copias illuc summa celeritate traduxit. Hoc oppidum in superiore Dibra ad fines imperij iacet, in excelso monte, ut de cæteris diximus, velut aquile nidus, conspicuum, ambitu pari fermè cum Stellusio. Hæc omnia quæ numerauimus oppida, nullum antiqua memoria conditorem habent. Nam illa, quæ veteres, Macedonia & Epiri reges, ac externi Principes construxere, ut Meandria, Heraclea, Toglus, Nicopolis, Echimus, Leucas, & alia nonnulla, quum Latini nominis hostes, vel totius magis humani generis incendia & pestes, Gotti, ac Gallograci, orbem inuasere, diruta ab eis omnia, atque solo æquata fuerunt. Unde prouinciales, & locorum reguli, longo post tempore cupientes dispersam sordide multitudinem in unum colligere, & aliquam effingere prouincie formam, quum difficilem veterum reliquiarum reparationem viderent, & æquè si fuissent reparata illæ urbes omni pristina calamitati, & hostium iniuria obnoxias, quia maiori ex parte campestris erat, in altissimis montium iugis sedes sibi eligentes, hæc castella condiderunt, pusilla ideo, quod neq; locorum habitudo maiorem circuitum murorum patiebatur, & ut facilius foret eorum defensio, quum aliqua vis hostium ingrueret. Licet Croia, ut imperij caput, sicut pulcherrima omnium, ita amplissima sit, conditorem eius fuisse Carolum inuenio, diuitem virum, ex nobili Thopiarum genere, qui tempore quo Scanderbegus Epiro potitus est, in Scuria, haud ignobili Epiri parte, inter Tyranam & Dyrrachium imperitarunt, ubi sub hostium oculis Castriotus consedit, dispositis ordinibus, stationibusq; extemplo agere cum oppidano de deditioe cæpit. Et ut facilius exemplis moueret homines, commemorari eis iussit singula quæ Croia, Petrella, Petraalba, Stellusio acta erant, præcipuè de liberalitate eius, officijsq; in præsidium Stellusiense collatis, econtraq; ac præfecti vinculis, quem iam iam ante illorum ora cum alijs obstinatis mactari visuri essent. Mouit ea le-

gatio singulos, præfectum præcipuè propter aliena fortuna documentum subiectum oculis. Quare timens prior ipse suam efferre sententiam, & respondere hosti propter multitudinis inconstantiam, & mutabilia vulgi ingenia, accepto, habitoq; honorificè legato, conuersus ad suos multa modestia: Quid iubetis, ait, fortissimi viri, & fidelissimi milites, aut quid ad hæc hosti respondeamus? Tum vnus ex astantibus satis coniectatus ex verbis ipsis tacitam ducis voluntatem, Postquam fortes, & fideles se hostem Scanderbegum appellauit, sublatum strictum enssem dextera concutiens. Hic, ait, fortissime Dux pro nobis responsum ferat. Nihil oportuit appositis ad id ipsum verbis, nunc ex Croiensi, nunc ex Stellusienfi fortuna libera pectora perterrefacere. Sicut diuersi vultus, varia mortalium facies, ita diuersi sunt hominibus habitus animorum. Unusquisque suo ingenio sapit, furit suo quisque facto. Nos leges non Petrellensibus, non Stellusiensibus dedimus, neque ipsi dent nobis. Non transeant tam sordida mancipiorum exempla ad fortium virorum animos. Dedignantur sublimia ingenia in honestis, nedum in turpibus aliena facta imitari. Sui quisque more viuit. Agedum mactetur ante ora nostra Stellusiensis præfectus, immolentur socij: creditis ne in eorum nos corporibus interituros? Nunquid noster ibi extinguetur spiritus? Nunquid noster inde effluet cruor? Sed o felicia corpora illa, o verendos mihi semper manes, qui præclaro libertatis & fidei seruanda studio, aurum, argètum, ferrumq;, & quicquid vel cupit, vel timet misera mortalium conditio, perinde contempserunt. Fer tu itaque hæc vicissim priuati militis mandata ad ducem, si imponere nobis has conditiones querit. Nudet iam brachium illud non adeousque formidatum fortibus viris. Cogere fortasse nos ad suas leges aduersis Dijs poterit, perlicere certè non poterit. Cæterum, neque tamen is est Scanderbegus vester, quem olim audiuimus, sublimi ingenio, virum facilem in ignoscendo, & non minus hosti, quàm sibi ipsi æquum. Cur enim Stellusiensis præfectus, qui liberè, quod fortiter, quod iustè pro rege suo, pro fide, pro libertate senserit, in vinculis tenetur? Cur parantur secures? Non meruit gladium, non mortem, qui tam præclare eam, ut libertatem seruaret, appetijt. Ingenti admiratione omnium auditus est miles, neque interpellatus, donec vltro verbis finem fecit. Tum circumfusa vndiq; turba, scuta, gladijs concrepuere, & iuxta id signum clamor approbantium sublati. Præfectus auctus maximè, & confirmatus animo in ea suorum voluntate, dimisso ex urbe legato, mox ad custodias conuersus, milites ad sua quaq; ministeria transmisit. Per muros licet ordinata pleraq; antea essent, tum augens, tum renouans omnia summa ratione collocauit, multa interserens hortamina inter apparandum, & inuenisse se dicens in omnium animis, quod certa prius spe conceperat, Augeri magis deberi eorum constan-

Obfidio Sfetigradi, cuiusq; descriptio.

Petrella, Petralba, Stellusius, Sfetigradus, conditorum nominibus carent.

Gotti, Gallograci.

Croia conditor Carolus.

## De vita &amp; gestis Scanderbegi,

Petrellenses,  
Stellufienfes:

constantiam exemplis aliarum urbium, quae tam foede iugum hostile subiissent: cogitarent quae essent premia laturi ab Amurathe, si soli inter tantam reliquorum perfidiam libertatis, & Ottomanorum imperij nomen seruassent in Epiro. Contraque si animos summississent, grauiora se omnia quam Petrellenses, Stellufienfesque timere merito debere, quum excusabilior illorum perfidia videatur, quod in visceribus ipsius provinciae constituti obsessi, undique ab hoste circumvallati, velut coacti fuissent ad deditioem, se in limitibus ipsius hostilis imperij collocatos, & fortiori adhuc oppido munitos, eas inanes excusationes, factasque causas allegare non posse, quum adesse subsidium à Tyranno, & solui obsidio momento temporis possit. Solabatur praeterea breues eos labores futuros, propter incommodissimum ad obsidionem hybernum tempus, ac credere facile se hostem ubi pertinaciam eorum nouisset, nihil quicquam moliturum in muros, sed statim conuersis signis abiturum. Ad ea verba consiliaque, illud quoque non minus prudens factum addidit, quod Christianos omnes, & veteres ciues, quorum nonnulli ibi, sicut & in alijs oppidis ab Amurathe fuerant relictis, eductos ex urbe, ne proditori ullus esset locus in suburbia misit. His ita patratiss, hostis intrepidè expectabatur. Castriotus interea audito oppidanorum responso, & elaborata barbari oratione, risu sibi obiecta dissoluens: Insignem apprime militem, inquit, si ita facere sicut dicere nouit: sed si facultas aderit nobis, foelicem eum quoque foelicibus Stellufiensium manibus addemus. Mox duci praefectum ante se cum captiuis illis iussit, & oblata crucis imagine, aliquos credentes & confitentes baptizauit. Desrotus cum ceteris in conspectu omnium necatus. Sublatus ilico clamor ex urbe & multis conuictis nostri sunt concisi. De ratione oppugnanda urbis tres fuere sententiae: Alij nihil tentandum in muros cum opertis glacie ac niue locis omnibus inaccessum esse montem, & vix pedibus consistere posse militem dicerent. Quare relicta prorsus obsidione propter hyemis incommoda, in verum tempus differendam esse oppugnationem. Alij faciendum militum esse delectum, apparandas scalas & machinas, ceteraque id generis instrumenta, & pertinacia aduersus pertinaces utendum, neque dum respirare cuperent ipsi, & velut aues vernam temperiem expectare, relinquendum tempus hosti ad subsidium ab Ottomano capiendum & reparandas vires. Moses inter utrosque neque tentandam oppugnationem, neque deserendam obsidionem statuit, alio tamen modo quam ipsi sentirent: nam per praesidium quod ibi ad consinia ad alias necessitates paratum tenebatur, optime & consuli exercitui, & non interpellari obsidionem posse, & inclusos teneri intra muros hostes, atque ita paulatim rem protrahi in commodius anni tempus, neque illis spacium concedi ad respirandum. Haec sententia quae media erat, accepta, & ad autorem ipsum id onus à Scanderbego delatum, accin-

Sententiae de  
ratione urbis  
oppugnandae:

accinctumque praesidium illud diuum millium, quod non longè aberat, & mille additis relictus ibi cum eis Moses, reliqui sublati signis Croiam petiere. Ibi quoque variatum sententijs est de totius rei summa, & belli ratione, multis agrè deponentibus arma, suadentibusque sequendam victoriam, & inferenda in hostilem agrum signa, ac aliquid de imperio Amurathis abradendum. Alijs alienissima tempora allegantibus, niues, glaciem, imbres, vix suspecturum tot incommodis militem. In campis praeterea exusta gelu omnia, non prabitur a iumentis alimenta. His assentiens Castriotus, ut & aliquam suorum rationem habere videretur, & recuperatum imperium interim melius firmaret, inter dimittendum exercitum, his verbis militi gratiarum actionem exoluit: Nescio quid prius, quid posterius laudandum sit in vobis milites, virtus ne, an fortuna: hanc illa inuitauit, hanc inuit illam, & (quod maxime in hoc genere rerum gerendarum oportebat) consilia, conatusque vestros celeritate aquauit. Quare maximum praesagium hinc futuri Epirotici splendoris, & dignitatis vestrae caepi. Quid

Oratio Castrioti ad Dilectos, praefectosque & milites suos, pro rebus bene gestis, ad imperio recuperato.



negatur a imposterum fortuna nobis? Quid non superatura patientia vestra non video? Vix trigesimus hic dies est, ex quo secundis auibus possessum à barbaro solum possessam patriam animi dubius, ac penè ex tam longa peregrinatione ignotus tetigi. Hodie Sfetigrado excepto, non nomien est, non odor (ut aiunt) eius in prouincia relictus: gratia imprimis agenda sunt Deo, qui ita mentem hostibus ademit nostris, ut tot fortissimorum locorum possessionem incruentam etiam in vos transtulit. Tum pa-

E timentia

Fortē virum  
nihil remora-  
tur.

tientia vestra suis non fraudanda laudibus, quæ non cæli minas, non hybernæ intemperiem, non subiecta tot oculis aspexit incommoda, non caput detorsit, donec conceptum iam pridem desiderium ex animi sententia excoluisset. Nunc vtrorumq; voluntatem laudo, & qui sequendam, & qui differendam victoriam sentitis. Quippe quum nihil debeat fortem virum tardare, per aquam (ut aiunt) per ignem, per inuia quæque permeabile iter habere consuevit virtus. Tamen si nihil hac dilatio iniqui est allatura, potestis citra iniuriam meminisse, humana quoque vobis corpora esse. Ite proinde felices, & vitrices dexteræ, ac quod superest, spiritus refocillate, solidiores postea in novos actus ad clementius anni tempus reuersuri. Tunc arma condico, tunc sudores omnibus, tunc perpetuam belli materiam, tunc stipendia estis, quæ nunc promeruistis, cumulatisime accepturi. Nam si ita per silentium Ottomanum licebit nobis sine obstaculo bellum, ut cœpimus gerere, depopulandus est ager hostilis, diripiendus, incendendus, ac tentanda quedam presidia locorum, si adiungere nobis possimus. Sed si bellum (id quod propius verò puto) aduersus nos decernet Tyrannus, accommodanda erunt ex tempore, & consilijs ipsis hostium, consilia nostra. Quicquid tamen de alijs sumus acturi, in Sfetigradum primus quisq; impetus, prima arma depromenda. Turpe æque ac molestum videtur mihi, ut ibi radices adhuc per summam ignominiam Epirotici nominis teneat hostis. Sed cedendum nunc tempori fuit, ne si pertinaciam Sfetigradensem maiore pertinacia superare contenderemus, frustra re tentata, turpius victi abiremus, & insolens hostis paulatim conatus nostros contemnere assuesceret. Non enim cum viris tantum, sed cum cælo ipso pugnandum esset. Vitio datum accipio priscis quibusdam Imperatoribus, quod per imprudentiam, reiq; militaris ignoracionem, paratissimos exercitus magis incommodis rerum, quàm hostili gladio amiserint. Ceterum adest etiam præforibus natalis Christianus, non puto aliquid tentandū in hostem hoc tempore, non vitam alicui auferendam, quo ipsi vitam & lucem accepimus tempore, sed crebris votis (ut sepius repetam) ubique gratia superis persoluenda pro libertate, pro imperio, pro vxoribus, liberisq;, pro ijsdem ipsis recuperatis. Ego vobis, si ob aliud quippiam impar sim milites, ad gratias referendas, ob id præcipue esse confiteor, quod tot præclara nepotum pignora, tot gratissimorum, & inuictorum ducum aspectum restituisistis mihi. Magna quæq; his ducibus, his adiutoribus animus spondet sibi, dabunt occasionem, dabunt materiam ipsi, unde vobis quoque olim ingentes gratiarum actiones habeam. Nunc si quid in me est, quod ad vos vel ornandos, vel illustrandos attineat, efferte audacter desideria vestra, nanque (ut arbitror) eam pro magnitudine vestrorum in me meritorum debeo vobis animi gratitudinem, in me nunquam desiderabit. Vulgum non tenuit pudor, &

dor, & honestiores etiam quosdam, quin sumpta ex eo sermone fiducia, velut timens unusquisque, ne alius prior posceret, undique circa eum effusi, ut varia pro habitu ingeniorum exposcerent, hi equestria, hi pedestria stipendia, pecunias alij, equosq;, alij quarundam vectigalia villarum, multi



quibus in mutatione imperij arrepta patrimonia fuerant à barbaris, & ad alios translata, restitutionem veteris fortuna. Quæ tum expediri præter contentionem potuerit, facile omnia concessa relicta, qua annexam alicuius iniuriam habebant, in aliud tempus reiecta. Dimisso exercitu, Scanderbegus urbem ingressus cum suis, nam multi mansere cum eo, præsertim nepotes, & Principes consanguinei, primum omnium Amesam cum socijs quibusdam, qui illum ex Hungaria fuerant secuti, lauacro baptismatis fidei Christianæ restituit, & barbaros plures simul qui tum Croia, tum alijs locis inuenti fuerant, intermissa prius re in ea celeritate belli gerendi. Hac latitia ad Natalitiam festiuitatem addita, pluribus diebus est celebrata, Scanderbego à provincialibus tum priuatim, tum pub. de more gentis multa Xenia missa, Principes vicini sicut nuper apud ad bellum, ita nunc pacem, & otium ornantia, varij generis munera dedere vestimenta egregia, & aliam prætiosam suppellectilem, non ignari in eo habitu rerum, & bellico tumultu, nihil eum præter arma attulisse. Breue id ocium Castrioto fuit, nam inter epulas fermè ipsas nuncijs à Mose aduolauit, barbaros, qui ex prouincia in loca vicina confugerant, facto non ignobili agmine sociorum, & collectitia multitudine ad se opprimendum properare. Quare

Amesam bapti-  
zatur cum so-  
cijs.

Xenia missa  
Scanderbego.

Alchria oppidum Turce in Macedonia.

festinaret ipse, nam vereri se vel longius ab hoste protractum deferere cogi Sfetigradense negotium, vel si sub muris tentare fortunam velit, medius ab oppidanis & illis introcludatur. Hac omnis eius motus causa fuit, nam reliquia illa Turcarum, qua manus nostrorum effugerant, praesertim Petrellense, Stellusense, & Petralbense praesidium post eam fortunam collecti circa Alchriam oppidum, id est Ottomanis nominis in Macedonia, quum viderent Scanderbegum misso exercitu Croiam in hyberna concessisse, & foedatos iam velut per ocium omnis belli tumultus: tum ultionis studio, tum cupientes praclaro aliquo facinore ignominiam suam, & perfidiae errorem apud Ottomanum excusare, excitata alia multitudine, Sfetigradum ire pergebant, ubi audierant Mossem cum praesidio ad custodiam finium, & urbis obsidionem relictum. Castriotus licet non multum eo nuncio moveretur, quod nunquam eam colluuiem fines ingredi ausuram credebat, tamen ne aliquid negligenter in noua possessione imperij ageret, vel Mosi deesse videretur, ocius conscenso equo, cum conuiuis ipsis & socijs epularum, ac centum ferme militibus ex urbe ductis, ad eam periculi suspicionem ex orientem extinguendam, contendit: sed nihil vel timore, vel festinatione illis dignum inuentum. Nam ubi aduentare Scanderbegum sensere hostes, sicut timide processerant, facile retroacti, vix vestigia sui reliquerunt. Tamen haec res malorum ipsis causa fuit, nam indignatus Epiensis, quod & data sibi eius incommodi viam causa, & sublata per eorum fugam materia laudis foret, acceptis mille equitibus ex Mosi praesidio, hostile solum ingressus, ut ea iniuria, si posset, lacepsitum hostem prouocaret ad pugnam, multa hincinde procurans per campos subuertit, deuastauit, depulatus est, atque allectum ea praeda dulcedine militem, totius deinceps hyemis cibaria doluit.

MARINI



MARINI BARLETII SCODRENSIS SACERDOTIS HISTORIARVM SCANDERBEGI,


LIBER SECVNDVS.



**Q**UAE gesta in Hungaria sunt (ut iam perfectis rebus nostris ad aliena reuertamur) quum certis nuncijs cognouisset Ottomanus, licet fama quoque ipsa prior, solito perniciosior, quum male quippiam affert, vario tumultu, metuque, & luctu simul publico, simul privato omnia impleset, Scanderbegi opera Bassam profligatum, deletumque exercitum, ac propè ad interuentionem casum, unum cum Amesa illum, & adiutoribus consilio è praelio incruentum euasisse, moxque in Epirum profectum, summo dolore eo Amurathes nuncio percussus, percunctandi studio ubi rei seriem omnem, & Scanderbegi consilia edidicit, in extorquendis praesertim a Scriba fallacibus literis (neque enim vel id latere diutius potuit) primum illi tam audacis facti, & insperati (ut sit) mali admiratio vocem inclusit. Deinde mitigato paulatim dolore, in verba prorumpens, vox nunc minax, nunc querula, vim eam omnem ferme indignationis exhaustit, nunc ingratum Scanderbegum, nunc sceleratum appellans. Venenum iam diu seruatum, euomuisse dicebat. Idem fuisse facturum iam pridem, si ei furo-

Dolor Amurathis ob eadem Bassae suorumque & eius indignatio aduersus Scanderbegum.

ri atque scelerato consilio modus adfuisse, tempus captasse, quo tutior impunitiorq; nefandi voti compos existeret, propter grauiore suas ex Hungarica clade belli necessitates, & maiora rerum momenta. Querebat nunc callidus Princeps, quo magis in eum suorum animos excitaret, sibiq; conciliaret. Qua eum ratio (quamuis nullam ratione scelus habere diceret) ad tam impium facinus impulisset. Quum liceret apud se illi & ditissimo & maximo esse, nihilq; penitus eorum desiderare, qua insatiabilis quisq; hominis animus ad omnem vel domestica, vel militaris rei gloriam sibi ipse votis exposcere potest. Nunquam alienigenum hominem maiori apud se cura habitum, educatumq;, & peregrina virtuti ingentiora premia proposita, ficta quadam rei indignitate, ac doloris impatientia Principum suorum fidem appellans, iterato sapienter sermone clamabat, bene nunc actum secum atque cum Ottomano impio dicebat Amurathes, maximo se onere domestica fraude atque insidijs liberatum, aliam fortasse vim veneni, aliud perniciosum incendiū futurum fuisse, si ea pestis intra parietes suos diutius coaluisset. Illud se tantum dolere, de eo arbitris dijs pariter atque hominibus conqueri, neq; unquam id sceleris inultum fore, pati posse, quod in Hungaria ab illo prater us omne, fasq;, nefario consilio hostibus victoriam traditā audiebat. Si enim aliqua suberat contra eum ulciscendi ratio, & iusti doloris species, quod paternum eius regnum possideret. Quid exercitus meruerat per omnem fœditatem crudelitatemq;, velut victima



hosti oblatus? Quid innoxius suorum sanguis? Quid scriba tandem innoxius, qui neque ipse impias manus effugere potuit? His sermonibus Ottomanus incitatos per se barbarorum animos magis accendebat, sed attulere

tere maiora, ac maxima quaq; additamenta ad eum dolorem alij atque alij ex Epiro nunciū captam Croiam à Scanderbego, capta eodem tenore cetera oppida, cæsa presidia dicentes, ac regnū auitum eius omne in illius potestatem miro totius gentis favore redactum. Ceterum cum hac Ottomanum animus summe mouerent, omiſſa tamen aliarum ferè omnium rerum cura, in Hungarum bellum mentem conuertit. Id unum certamen singulis propositum videbatur. Id omnium consilia, atq; desideria singulorum, & publica vota exposcebant: varia purpuratorum sententia agrum senis animum hincinde distrahebant. Nonnulli qui nihil periculi putabant, donec penitus debellatum non viderent, tendendum omnibus copijs aduersus Hungaros censebant, neq; pro parte victoribus totius belli euentum, atque triumphum per summam ignauiam & socordiam cedendum, præsertim quod & idipsum sine domestica prodicione ac perfidia factum non fuerit, aliud præterea esse Bassam cum 20. antesignorum millibus, aliud totius Ottomanum robur exercitus, & florem Europa, Asiaq;, ac insuetam vincti regiam cohortem expectare. Quibus alia mens erat ab his, & maiorem ruinam verebantur, quantum illi propter Scanderbegi perfidiam Bassæ fortunam excusabant, tantum onerabant isti propter paucitatem hostium, quod Hunniadem cum minoribus dimidio copijs, quam suis rem tantum vel incruentum peregisse dicerent. In eo quod illi regia signa, & magnitudinem copiarum ad Bassam referentes extollebant, adducebant hi Vladislaum cum totius Hungaria ac Polonia nomine, iuxtaq; Italorum auxilia cum Juliano Romanorum legato, ac Germanorum arma, qui omnes adhuc nulla belli eius auspicia suscepissent, sed cupidissime pugnandi copiam expectarent. Despotis præterea satis fauorabilem causam nunquam deserturos Christianos, donec illum auitum reponant in regnum Scanderbegum. Demum nouum hostem exortum contemni non debere, nosse omnes, quo vir ingenio, qua fortuna, qua rerum bellicarum peritia esset. Jam temporis momento paternum imperium omne deletum hostium nomine, sine matris (ut aiunt) dolore vendicasse. Quid deinceps firmatis imperij rebus, & conciliatis populorum animis facturum? Excitaturum profecto ad arma quoscunque Christianos Principes, & non labori, non periculis, non vigilijs ullis parsurum, ut aliquid quotidie de imperio eius abradat, stultum fore inter tot hostes à tergo, à fronte, à lateribus, inter tot arma, euentum aliquem nisi infelicem expectare. Satius esse summittere semel animos fortuna, ne sapienter summittantur, & aliam corporis partē detegere, ut aliam magis iniuria obnoxiam tegas, tempore magis geri bella, quam armis. Haud grauate restituendā Mysiam Despoti, ut a tot incommodis bellorum aliquantulum respiretur. Sed quid restituendam? mutuantā potius, auferri enim quoquo tempore vel facilius quā data sit

Varia apud Ottomanum sententia super bello cum Hungaris renouando.

Hunniades.

Poloni.  
Romani.  
Germani.



Legatio Ottomanica ad inducias ab Hungaris in decennium petendas, quibus etiam Myciam sine bello offerret.

ita sit posse. *Conuere hac multum ad ea iam pridem inclinatum senem, tamen ne tam facile ad eam sententiam prorumpens timoris indicium aliquod praesferens multis hinc inde de industria dictis quasi inuitus ad id applicare visus est animum. Quare decreta legatio ad Hungaros, & oblata Myssia Christianis, ac inducia belli in 10. annos petita. Hunniades qui tunc maxime egrotantibus ceteris, omnia tum belli, tum pacis munia obibat, videns inutiles copias suas ad arma, oblatas conditiones Turcis nec recusauit, nec distulit. Quidam tamen dicunt purpuratum illum Tyranni, quem*



Acceptio conditionum pacis ab Hungaris.

Purpuratus Tyranni, qui apud Pannonas captiuus erat, quadraginta millibus aureorum redimitur.

diximus eo praelio a Ianco captum, ad 40. millia aureorum, quae pro se redimendo promiserat, admonuisse eum, ut Myssiam peteret ab Ottomano, nihil enim negaturum propter Basse fortunam, praesertim quod & in apparatu ipso belli id ipsum suis se concessurum diceret. Et ita factum, atque prius ab Hunniade missos legatos ea cuncta, ut retulimus, transegisse. Sed ferunt Amurathem, ubi postea de nostrorum egrotatione audiuit, multum indoluisse, & defleuisse quasi apertis lachrymis, tam certam victoriam propter inanem timorem e manibus elapsam sibi. Ab Epiro nihil amplius per eos dies auditum, nisi excursions quadam, & ludificationes militares ad fines imperij. Itaque Tyrannus tum propter incommoditatem hyemis, tum quod non satis Hungaricae pacis fidem ad animum transmiserat, quos adhuc audiebat stantes in armis, donec imperium recepisset Georgius, ex tempore capturus consilium Epiroticas res distulit. Iam fessus summe equidem, tot causas quotidie, tot rationes excogitare, allegare, quae noua subinde neccentes impedimenta hosti rerum nostrarum statum augeri, indies firmari, quiescere

tam

tam feliciter sinerent. Nam ea hyberna intemperies suspecta Hungarorum fides, tum materia quietis praebuit nobis. Quid postea constitutis Myssia rebus, abscedentibus Hungaris? Quid bruma fugata tardauit Amurathem, ne aliquod tam diu coctae ultionis genus in Scanderbegum depromeret? Antequam idus Iunias nulla belli auspicia aduersus eum sumpta inuenio, nisi fortasse ex Hungarica clade fractu animis senem magis otium suum, quam Epiri iacturam, & omnes iniurias a Scanderbego acceptas, estimasse dicamus. Relicto Mose, Castriotus Croiam rediit, ibique immunis a bellico labore (tempus enim prohibebat) in civilium rerum procuratione, & componendo priuatorum statu hyemem traduxit, sed non totam: nam in propinquo veris accepto Amesa & paucis equitibus, ad conquirendum militem profectus, confecto exercitu sex millium hominum, Sfetigradum petiit. Quid faciat? Sicut difficultatem loci, ita pertinaciam hostium animi non mutauerant, non minae, non lenia verba proderant, tormenta non aderant: quae si affuissent, aliquid fortasse ad terrorem valuissent, modicum certe ad urbem potiundam. Experiri vero fortunam cum tam aperto suorum discrimine, & certa quasi militum pernicie, temerarium visum est. Proinde & quae melior, & plurimum erat, sententiam secutus, intermissa aliquantisper cura Sfetigradensi, in alia loca imperium ampliaturus intulit signa, primum tamen quicquid frugiferi circa urbem fuit, corripit, deuastauit, & agrum omnem obsessis ademit, ac nihil ferè praeter nuda moenia reliquit. Ferunt tamen venisse occulte ad eum colonos quosdam loci, eos praesertim, qui in suburbis morabantur, rogasseque, antiquorum officiorum memoriam recolentes, quae in Ioannem patrem olim contulissent, ne se quoque eo pacto, nihil tale meritis, euerteret, parceretque vastationibus eius agri, quando inde verius illis quam hostibus auferuntur alimenta. Non deesse tempus, non defuturam viam meliorem, qua sumi ultio de praesidio Tyranni, & extorqueri e manibus eius ille locus posset, se captaturos occasionem, futurosque maxime adiutores eius rei, si quid usquam affulsisset spei. Audita hac libenter Castrioto & credita etiam sunt. Quid enim dubitaret tum de Christianis hominibus, tum de paternis olim subditis? Quare sublatis signis, eam sententiam alio transtulit. Tractus enim quidam eius regionis erat pulcherrimus, habitantium multitudinem refertus, & frequentibus inhabitatus vicis Mocrea accolae appellant Triballos versus. Huc cum exercitu proficiscens, imperij sui terminos latius extendit, ampliavitque, quam Ioannes pater possidet. Hostes nullibi inuenti, nam Turcae aut iam pridem sublatis fuerant, aut aufugerant. Incole & reliqui Epirotici generis, mox abiecta Amurathis memoria, nouum ducem, & nota olim signa, aquilasque (nam rubra vexilla nigris, & bicapitibus distinctis aquilis id gentis insignia) (nam rubra vexilla nigris, & bicapitibus distinctis aquilis id gentis insignia) vel non inuitati sequebantur. Tum exijs

F in alia

Castriotus in munis a bellorum turbine, hyemem pene tota transegit.

Scanderbeg ampliat imperium suum.

Mocrea. Triballi. Vide Plinium lib. 3. cap. 26.

Vexilla & insignia Castriotae gentis & familiae.

in alia & alia loca, nunc mitis, nunc terribilis irrumpens, quotidie aliquid imperio suo addebat, ordinabat semper aliquid per provinciam, disponebat presidia, custodias collocabat. Reuisebat crebro Croiam, ac cetera loca, oppidaq;, Nunc hac, nunc illac oberrabat sedulus, perlustrabat, contemplabatur singula, montes, colles, sylvas, saltus, valles, & latebras quasque, quo pacto minima suorum iactura olim cum tanto hoste belligeraret, quod supererat temporis, omne excursionibus assiduis, & deuastationibus hostilis agri impendebatur. *Notabat enim milites suos otio marcessere, afferens semper in medium id Fabij Maximi, negantis vtile esse loco vno sedere exercitum: itineribus, & mutatione locorum nobiliorem ac salubriorem esse. Latuerunt non diu hac Amurathem, iam alij atque alij ab Alchria & reliqua Macedonia nuncij, vestibula eius replebant, direpta omnia, & deformata clamantes, nihil vsquam praeter mortem & seruitutem conspici, non contentum paterni imperij recuperatione Epiensem, tota die infestis agminibus ceteros regio colonos infestare, agros diripere, & multarum iam rerum possessionem adeptum, nihilq; indies de solita ferocia seuitiaq; remittere. Dibram utranque iam pridem voluntarias se imperio eius addixisse, castis propria manu Turcarum presidij, aut vinctis nouo duci traditis. Haec loca olim Johanni patri subiecta fuere, tamen (vt iam dictum est) ab Amurathe oppressus, pacem ab eo petitam tulisset, vna cum filijs obsidibus, Dibras quoque ei patris conditionibus tradidit. Sfetigradum inde dicebant iam propiorem, vt caperetur, fore, quum in Dibra inferiore positum, omnibus undique ab hoste possessis, nihil reliquum habeat ad belli subsidia, vel alimenta viro- rum. Mocreas descisse, & pleraq; alia loca, quae nunquam Castriotae gentis imperium sensissent, aut incolarum rebellione, aut timore, aut longis coacta malis, iugum eius subiisse. Pepulerunt hac nedum ira, sed necessitate potius quadam Tyrannum ad arma, quare celerrime, & consultationibus habitis, & lato decreto delectum ingentem fieri iussit, quo sine ancipiti certamine, & integro exercitu suo Scanderbegi nomen penitus deleteret, Epiriq; defectionem, & tot ab eo illatas iniurias vlcisceretur: ille nedum obscuris nuncijs (vt non desunt quotidie in tanto motu rerum) sed a certis hominibus & amicis, quorum plures adhuc illi iam pridem conciliati apud Amurathem erant, quos mutata fortuna mutare non potuerat, certior de singulis factus, sicut ad pericula capeffenda multum praebuerat audacia, ita etiam inter ipsa pericula plurimum consilij adhibuit. Cogitans enim quantam rem animo concepisset, quodue suscepisset humeris pondus, & veritus non satis idoneas suas vires ad tot quotidie renouanda & perferenda fore bella, quae iam iam in visceribus Epiri se visurum non falsus vates ominabatur, externa quaerere auxilia statuit, quo & securius rebus consu-*

dictum Fabij  
Maximi.

Auxilia Scan-  
derbegi in A-  
murathem.

consuleret suis, & imminentis impetum procella, multis adiuuantibus propulsaret. Primum igitur omnium ineundam societatem, & genus aliquod perpetui foederis cum vicinis Principibus regulisq;, tam Epirotici, quam Illyrici generis decreuit, difficilem certe rem aggressus, quum natura ad dissentendum quam ad conueniendum aptiores sint homines, facillimam vero expertus, vt mox aperuit euentus, & omnis deinde rerum tenor declarauit. Id autem vel priuate cum singulis per literas, vel nuncios, vel per se ipsum commode agi non poterat, pulcherrimum visum est, vt commune concilium in aliqua Epiri parte omnibus indiceretur, vbi & praesens viro- rum aspectus, & in medium collata sententia, expeditius consultiusq; quid vtile esset, quid honestum, inuenerent, in electione quoq; ipsa loci pari prudentia & moderatione usus est. Non enim vel Croiam inuitati fuere Prin- cipes, ne magis propria quam aliena dignitatis rationem habuisse videretur, & suspicionis etiam aliqua subesset causa, vel Apolloniam, Daynum, Xabiacum, aut aliquod Epirotici nominis oppidum, ne aut inuidia foret, aut aliqua tergiversationis ceteris causa, cum vel moleste quidem in aliena traherentur loca, vel (non indigniora sua, aut etiam magis digna existimantes, quod est hominum genus, sua praeceteris extollentium) ad aliena accedere loca dedignarentur, Lyssum oppidum erat, Aleesium commu- niore vocabulo dicimus, duobus & viginti paulo plus millibus passuum a Croia distans, inter eam & Scodram urbem situm, non ineptus ad id nego- tium visus est locus, cum ob commoditatem sui, tum ob Venetorum gra- tissimum aqua omnibus ac acceptissimum imperium: illorum enim ditionis id erat oppidum. *Nisi igitur undique qui inuitarent viros, & locum diemq; conuenturis praedicerent. Nemo selectorum tardatus est; nemo quippiam causatus, nullum publicum, nullum domesticum (vt fit) impedimentum quempiam tenuit, contentione quadam omnes & promptissimis aduolarunt animis: satis efficax id fuit signum, quales se ad reliquos deinceps belli usus praestaturi essent, nunc concedant aliquantulum mihi legentium animi, concedat historia grauitas, euagariq; paululum sinat: Quippe cum nimis curiose fortasse, velut in albo quodam referre illorum nomina statuerim, qui id concilium tunc praesentia sua, sed longe magis Epiri digni- tatem honestarunt, vt doleant posteri, & mirentur tam subitam Epiroticae rei calamitatem, & sordes nostras, ex illarum rerum imagine commonefacti, licet nihil forsitan ab re, vel factum vel dictum videri debeat, quod patriae, quod tuis pia ratione & officiose impendas. Verum priusquam eorum referam nomina, qui ad concilium conuenere, non incongruum mihi visum est, hoc in loco recensere, remq; a plerisq; exoptatam, veluti sub oculis ponere, vnde scilicet origo Epirotica seu Albae gentis exordium habuerit. Epirota, qui & Albani appellati sunt, ex Albanis praescis, & nobilibus*

Concilium de  
ineundo foed-  
ere cum vi-  
cinis Princ-  
ipibus.

Comitia in  
Lyssoppido;  
Lyssum oppi-  
dum ciuium  
Romanorum  
ab Epidauris  
centum mill-  
passuum. Pl-  
inius lib. 3. cap.  
22.

Origo & no-  
men Albanæ  
feu Epiroticæ  
gentis.

In Strabone  
lib. 11. legis, lin-  
guas habent  
26.

Georgius Scā-  
derbeg.

olim Italia populis, qui Colchidis etiam portionem incoluerunt quandam  
originem traxisse dicuntur, à quibus sermonem Albanum, seu Epiroticum  
fluxisse (ut mea fert opinio) non male fortasse quis dixerit, quum ibi sex &  
decem linguas vigere Strabo referat: de eorum quoque origine cum Pius  
Pontifex, diuini, humaniq; iuris peritissimus, tum nonnulli recentiorum,  
qui Trogū Pompeium sunt secuti, eadem ferè senserunt. Trogus enim Pom-  
peius Albanorum originem Italicam esse dicit, asserens Albanos Herculem  
ex Italia abscedentem secutos fuisse, cum is Gerionis armenta in Italiam  
deducta, in Albano monte pascui fertilitate pellectus, aliquantisper habuif-  
set. Ab his igitur Albani orti sunt, quorum pars hodie in Peloponeso, pars  
in Macedonia, sive Albania & Epiro sedet. Horum autem Princeps est  
Georgius Scanderbegi, magnanimus & inuictus Princeps, qui multa per



atatem nostram aduersus Turcas pro Christi nomine praelia gessit, qui a-  
tatem penè omnem in armis pro fide catholica pugnando consumpsit, qui  
multos & magnos Turcarum exercitus parua etiam manu bello vicit at-  
que deleuit, cuius conspectum nunquam ferro Turcarum acies potuerunt,  
solum quodammodo regionem illam in Evangelica Christi fide continuit.  
Sed nunc ad propositum nostra recurrat oratio. Ariannites Thopia Go-  
lemus, sive Latiniore vocabulo Commatas, magni vir nominis & autori-  
tatis, tum propter longam generis nobilitatem, tum ob maximam rerum  
bellicarum peritiam, & dignitatem precipuam oris, vultusq; quod non ul-  
timo

Ariannites  
Thopia Go-  
lemus.

timo loco spectat vulgus, insigni equitum peditumq; comitatu conuolans,  
ceteros omnes praeuenit. Hic oppressus olim ab Amurathe, tributum ab  
illo imperatum non negauit, sed nunc oblata occasione erectus, animo con-  
cepta iam pridem odia, & seruatos gloriose spiritus egregie deprompsit, ne-  
moq; ardentius se aut pro libertate pepigit, aut in caput illorum iurauit,  
neque modus deerat ad eam animi cupiditatem explendam, & sat idonea  
eius vires cum alijs iuncta, ad reformandam fortunam Epiri videban-  
tur, quae sola aliquando integra tyranni bella sustinuisset: nam à flumine  
Aoo, sive Aeante, licet ei incola aliud superindiderint nomen, Vanissam  
appellantes, ad sinum vsque Ambratium ferè per omnem maritimam  
Epirotica regionis oram imperium eius extendebatur. Hic est ille Ariam-  
nites, qui apud Macedones & Epirotas cognomento Magnus & di-  
ctus & habitus est. Nam magna profecto & praecleara in Turcas pro Chri-  
sti fide & Euangelio gessit, varias ac ingentes de eis clades, stragesq; edidit,  
& quoad vixit semper insecutus est. In Neumethem eorum principem  
in Epirum irruentem irruit, quem caedauit atque afflixit. Nam eius ca-  
stra aggressus, signis, regijs vexillis, atque tabernaculo ablato priuauit, il-  
lumq; e prouincia & regione summo cum dedecore, clade, & ignominia ab-  
scedere compulit. Secutus est eum Andreas Thopia, clarus vir genere, fa-  
ctisq; nec minus atate uerendus, cum duobus filijs, Comino, & Musachio,  
Tanusioq; nepote, quorum maiores fundatores Croia & Petrella fuisse di-  
ximus. Horum quoque non paenitenda vires, & sat amplum imperium in  
Epiro inter Tyram minorem & Epidamum fuit, tamen praeter eorum lo-  
corum dominium, quae abolitis penitus antiquis nominibus, Scuria, Mu-  
sachio, Cherabi, Farca uocant Accola, Cimeria, Ulixia, imperio noti  
erant principes. Contanus is est locus, Corcyra oppositus. Indomita  
gens habitat, feroxq; ne bellicosa dicam, Cimerotas uulgo dicimus, nul-  
lius rei, artisue auxilio, praeterquam natura, & locorum munimento tuti.  
In solentiam Turcarum post subactam Epirum, mortuo Scanderbego  
semper feliciter contempserunt, & egregia quadam libertate natura, ignari  
alieni imperij vsq; ad haec tempora uixere, nunc (ut audio) ultro accersitis  
ex Apulia Hispanorum praesidijs signisq; & ducè norunt, & politioem  
formulam uiuendi accepere. Inter eos & Georgius Strefius nepos uenit,  
Balsa filius, Johannes & Boicus fratres domum relictæ, nondum aetatis  
gratia, uel ad consultandum, uel belligerandum idonei: horum sedes intra  
Croiam & Lyssum tam ampla quam amena erant. Ex Musachijs quo-  
que plures affuere, id nomen est genti: his sicut idem uoluntatis, idem etiam  
habitus animorum erat cum Scanderbego, ita neque imperium ab illo ul-  
la ex parte separatū, distinctumue habebant. Quinetiam magnanimi pra-  
sto fuere Principes Nicolaus, & Paulus Ducaginus, spectatis armis ambo;

Aous Aeos die-  
tus à quibus-  
dam, Plinius  
lib. 3. cap. 23.  
Strabo lib. 7.

Andreas Thop-  
pia.

Georgius  
Strefius.

Post finū Rhi-  
zicum, Lissus  
oppidum est,  
& Acrolissus  
& Epidanus.  
Strabo lib. 7.

Plinius habet  
Drinius, lib. 3.  
cap. 26.

sed eximio quodam præ ceteris religionis cultu notior Paulus, qui agrum ultra Drinum flumen, Xadrimam superiorem appellant Epirotæ, usque in superiorem Mysiam possidebant, regionem amplam, & frugibus fecundam, fontibusq; ac riuis saluberrimis irriguam, & ferocissimis inhabitatam viris: ibi multa vetustatis vestigia visuntur, oppida, adificia, templaq; notissima Dei, prostrata nunc undique & diruta ante oculos iacent multa, quin etiam in eo tractu marmorea visuntur monumenta, in quibus pleraque Romanorum & aliorum Imperatorum nomina licet

Paulus in Epi-  
ro Christum  
annunciat:  
Lucas Zacha-  
rias.

intueri: inter hac & vestigia quedam, quibus satis percipitur, Paulum Apostolum ibidem fidem Christi populis annunciaisse. Accessit & Lucas Zacharias, quo nemo unquam impensius, eodem fidei & benevolentia tenore, Scanderbegi partes est secutus. Hic licet latiori dignus imperio, tamen satis amplam Xadrima partem superioris, necnon Dayni oppidum à maioribus suis & conditum, & per manus sibi traditum tenebat. Pusilla ciuitas est in edito monte, prout omnes ferè vrbes Epiri, sita, agrum tamen habet campestem uberem, saluberrimumq; venationibus, apium, ac om-

Daynum op-  
pidum.

Plinius lib. 3.  
cap. 22. Amnis  
Drilo superius  
eum oppidum  
ciuium Rom.  
Scodra à mari  
18. milliū pas-  
suum.

ni frugum & arborum genere refertum. Amoenissimus amnis Drino à parte, qua occidentem spectat, eam alluit, quæ ita contentione quadam veteres celebrarunt scriptores, ut vix loci quippiam ad dicendum relictum videatur posteris. Tamen quia multa ad hunc usq; diem ex veteri rerum facie (ut sit) immutata sunt, non malum erit fortasse, si ipse aliquid etiam hodie dixerit. Epirum à Dalmatia atq; Illyrico, ut nonnulli voluere, determinat amnis Drino, & haud multum Eridano magnitudine inferior exordium sumit à Macedonicis populis septentrionali plaga, Lysiaq; urbem celeri cursu præterfluens, in sinu Rizico iuxta Acrolissum mari Adriatico sese immiscet, ubi & insulâ facit, cuius ambitus septem millia passuum complet, hac tempestate Lysi nomen retinens, eod quod veteri oppido, quod in vltiori fluminis ripa positum erat, à Turcis incenso, multitudo illuc confugiens, domicilium perpetuum sibi tanquam tutiore loco fixit, & nomen ipsum vrbis ad insulam transtulit. Aderat præterea tam felix pater, quam

Petrus Hispa-  
nus.

Leccas.

fortunatus Princeps Petrus Hispanus, cum Alexio, Bosdario, Vruoo, & Mirco, filijs ferè inter se aequalibus, & pari figura corporum, ac indole animorum quam similes, Leccasq; deinceps Dusmanus cum Petro, & alij reguli vicini, quibus Peones, Pelagonesq; superiores usq; in Mysiam Sardonici, & oppidula quadam, ac loca circa Drinastum & Balesium parebant. Progrediebatur non longe post hos Stephanus Zernouichius, cum Georgio & Johanne filijs tanto patre nihil indignis, qui in Illyrico siue Liburnia ad ripas lacus Xabiacum & Falconem munitissima oppida cum agro latissimo possidebat, non defuere Christianissimi & inuictissimi Principes Veneti, quorum tunc imperio (ut de Scodra mea taceam) pleraq; haud igno-

bilia

bilia oppida, & non minima Epiri pars poterat gloriari. Traxit postremo ea consultatio alios Principes iuuentutis, qui tum propria, tum communi causa operam suam contra Turcas pro publica salute & dignitate fortissime sunt polliciti. Nunc ad Scanderbegi orationem me conuerto, qui postquam omnes, qui ad concilium euocati, in templo maiori in unum congregati sunt, sic orsus est:

Vtinam, Patres & Principes optimi, aliquis sit credendi finis Christianis nostris, & Ottomana nos fidei satietas tandem aliqua teneat, immò perfidia plusquam punica palam fiat. Neque enim ego hodie quietum patriæ statum, inuisus fortasse noui belli autor turbarem, & vos ad hæc belli incommoditates, & maximarum rerum pericula sollicitarem, nisi Iohannes Castriotus pater ille meus, Princeps alioqui prudentissimus, tantum olim perfido huic Amurathi fidei habuisset, dum funesta pacis prætextu, velut certa pignora obsides ab eo filios, nõ difficilius quam petierat, impetrasset. Sed quid de parente meo diutius conqueror? Communis est hic error. Commune fatum omnium Christianorum Principum. Quid de Græco dicam? quid de Mysorum & aliorum deinceps Christianorum imperio? Omnes profecto nimia ista credendi facilitas perdidit, nihilq; iam illis à perfido Ottomano relictum est, nisi ut tantum eos poenitere possit.

Adhortatio  
Scanderbegi  
ad vniuersum  
Concilium, pro  
tuenda ortho-  
doxa fide.

Aperit  
Turcica.



Quare nihil est Patr. Con. quod vobis in hac parte orationis à me dici possit, quum satis alieno malo, vtili exemplo edocti esse debueritis. Dum tamen hac conqueror, & Ottomanas ipse fraudes mecum diligentius repeto, & ante oculos pono, pariterq; vos intueor, prudentiam æque & concordiam

Ab alieno ex-  
emplo.

A successu  
Turcæ per do-  
los & infidias.

A fortitudine  
Epirensium  
herorum.

Confutat ar-  
gumenta de-  
trestantium  
belli in Tur-  
cam.

A publica uti-  
litate.

A religione.

A patriæ pie-  
tate.

diam specto, illud me maxime confirmat, & bono iubet esse animo, quod vix ullam ab eo gentem, præterquam dolis & insidijs subactam, vel sua ipsa credulitate, & domesticis eversam simultatibus cerno. Age tamen dicat quispiam, multa quoque ab Ottomano virtute parta, innumeræ provin- cias, plura hac ætate imperia armis eius sub iugo missa, numeret longos triumphos; irrupit ferox in Asiam, percurrit non semel Graciam, Mysiamque incruentus toties penetravit, sic ne igitur indomitam Albaniam inuictam Epirum iniuria illius opportunam putauerimus? ubi tot duces, tot Prin- cipes inuictissimi, tot bellicosissimi populi unâ concordēs vigent in armis. quanti enim faciant barbari, virtutiq; vestra tribuant, huiusce rei certis- simum ipse testimonium afferre possum, qui cum illis domi militaq; plures annos traduxi, inuiti, coactiq; contra vos bellandi necessitatem omnem subeunt: inuitus verò atq; timidus animus quid boni, quid magni gerere possit, dicat mihi strenuus atque optimus miles. Sed dum me cupiditas ista dicendi, & iusti doloris causa longius protrahit, non defuturos multos fateor, qui doleant, quod se tamdiu paci, licet non omnino honestæ assuetos, nunc ad hæc belli incommoda euocem, dicantq; quemcunque euentum parit fortuna, nihil tamen posse sine cruore suo expediri. Dolebunt identidem matres, filios in belli discrimina missuræ, conquerentur uxores de vi- rorum salute sollicitæ, & orbitatem sibi timentes paruuli domi relictî libe- ri. Appellabunt me omnes fortasse crudelem, & detestabuntur (quod o- minari horret animus) nouum belli periculorum, & sanguinis auctorem, quanquam libertatis potius (absit verbo temeritas) assertorem & conci- liatorem vocare deberent. Vix suppetit oratio mihi ad eam legitimam & iustam defensionem, auertat hoc tamen Deus optimus maximus: non est ita publici boni oblitus animus, ut vnus tot vestras undique querelas audire, tot communia omnium mala vnus videre possim, quin si mei ali- quem consilij pœnitet, P. C. neque è Repub. & ex omnium dignitate hæc belli capiendi à me ostensa occasio videtur, & Croiam sum Amurathi (si ita conducibilius videtur vobis) & hæc omnes infælicis regni reliquias mox restitutus, priuatoq; periculo salutis prospecturus meæ potius, quam regnaturus publico vestrum. Illud vnus tantum subditi mihi populi, & innoxij ciuium sanguinis vicem doleo, quos sine duce, sine tutore, velut vi- ctimas hosti offerri non patitur animus haud immemor fidei illius, quam nuper in me sibi restituendo omni ætati testatam reliquerunt. Sed quid per Deos immortales (ut vobiscum iam liberius loquar.) An igitur æquum erat ciuem vestrum à patria semper extorrem in seruitute apud Amura- them inter tot pericula, in damnata religione degere, potius quam in Epiro in natali solo apud Christianos, apud vos, quicquid ætatis erat reliquum exoluere debuisset? An in Epiro præterea esse, & auorum sedes, paternum impe-

imperium, sepulchra, templa, Deos ipsos in barbarorum potestate per om- nem fœditatem & ignominiam aspiciere diutius potuisse? Quid de Cro- ia demum (ut nulla sit patria pietas) an vrbs tam munita, tam opibus clara validissimæ, in hostium manu relinquenda fuit? Cor Albani impe- rij, & vna ad omnes bellorum & pacis commoditates à maioribus nostris condita, negare istud quidem (ni nimis ipse blandior mihi) vix potestis, Patres Iustissimi. Citius tamen cum Amurathe agi potuisse quispiam dixerit, non ita irritandum barbarum, non per tot scelera vel patriam re- cuperandam fuisse, si modo scelus id potius, quam necessaria vita defensio appellanda sit, quæ non homini solum iure gentium, verum brutis anima- libus lege ipsa natura est concessa, si tamen scelus hoc appellamus. Quid de tot eius in me odijs, tot simultatibus dicendum erit? Quid de insidijs illis? quæ non solum vobis, sed vniuerso ferme terrarum orbi vulgate, vel cru- entissimo hosti aliquid potuissent lachrymarum elicere. Quid demum de miserabili fratrum meorum cade? quos omnes eodem ferme temporis mo- mento, apud eum funesto fato absumptos his oculis vidi. Parum ne hoc igi- tur (proh dolor) memè ad hunc vsq; diem imbutas sanguine meorum ma- nus aspiciere potuisse, & apud homicidam impium tam certo vita periculo omnes ferme dulcioris ætatis annos transegisse? Sed quid in his immoror? Ostendet propediem omnia an probe, an improbe facta, euentus belli iustus iudex: vnus illud polliceri ausim omnibus, vos militem me vel ducem in- uicta patientia ad omnes labores subeundos, ad quæq; obeunda pericula ha- bituros, non die, non nocte, non aliquo tempore, vestra pariter & Chri- stiana rei sum defuturus: & quamuis animi hæc mei cupiditatem virtus, & rerum gerendarum gloria æquare non poterit, æquabit certe diligentia, & fides singularis, longeq; superabit, tamè non pœnitendum saltem in eo consi- lium nostrum esse poterit: nam quum hostis ingenium, artes, dolos, moresq; de- inceps omnes (quod maximum censei solet in rebus bellicis) tam diutino vitæ vsu optime norim, nihil incaute sum, nihil temere, nihil non considera- te acturus, ni fatum aliquod urgeat, quod nulla vis humana vincere po- test. Cur autem hæc læuia commemoro? quum maiora vel maxima planè omnia belli huiusce fomenta, Deus vobis optimus dederit. Habetis vobi- scum Senatū, populūq; Venetū, vnicū Christianæ fidei cōlumen, ter- ra, mariq; hæc ætate longe potentissimū, & qui cum omni hominum me- moria triumphos suos comparare, & de vniuerso laudis genere certare queat. Habetis hosce Principes eius Reipub. non minimam partem, qui tum sua, tum patrum voluntate, atque decreto, nobis omnia (quid nobis? Christiana certe Reipub.) pollicentur, iustissimū bellum non recusant, gra- uibus & ipsi à perfido barbaro iniurijs lacefsiti. Timendum ne quicquam est his ducibus, his autoribus? Quid amplius, quaeso Albani Principes, à

Croia cor Al-  
bani impetij.

A crudelitate  
hostis.

Euentus belli  
iustus iudex.

A fide Scan-  
derbegi, &  
diligentia.

A præsidio  
Dei.

Senatus popu-  
lusq; Venetas.

Ab auxiliari-  
bus potentiss.

*Dijs immortalibus petere potestis? Pudeat iam nos (si Dijs placet) fortuna nostra, turpe tum nobis, tum Veneto nomini turpissimum, eos diutius (ita me mala nostra dicere cogunt) dominos ferre, quos Patrum nostrorum memoria, infamis illa Scythia vicus vix seruos perferre poterat, quibus nihil contemptius fuit, & latrocinij tantum, ac raptu viuere assueti eò creuerunt hodie, ut extrema quasque nomini Christiano audeant minitari. Dies me deficeret, si omnia enumerare vellem: pudet hostis humilitatem referre, cum quo bellum gerendum sit vobis. Agedum igitur Principes, patriam, uxores, liberos, fortunasque vestras per summam gloriam vobis vindicate, defendite, & ad veram libertatis tranquillitatem reuocate. Ecquid sentitis, in quanto contemptu viuatis? Qui libertati idem, & vobis finis sit. Si tamen tolerabilis videtur fortuna vestra, sumite pro me arma iustissima, non Albano, non Principis filio, non consanguineo vestro, sed Christiano, sed transfuga. Non loquor apud recusantes iusta bella, Principes, defendite eum, quem Iohannes Castriotus, Princeps ille, de vobis non male meritus, fidei virtutisque vestra si posset, commendaret. Sed si adhuc nihil vos mouet fortuna mea, & vel ignominiosam pacem huic bello praeponitis, ad gentis ipse meae, populorum, & ciuium fidem confugiam, quamcunque dederit sortem fortuna, una cum illis a quo animo subiturus, qui tam magno aequo ac grato animo suam salutem pro mea salute deuouerunt. Defensuri tamen (ut arbitror) & vos estis P. C. Ad quid enim istuc conuocati tanto ardore conuenistis, nisi ad bellum, quum nullus alius vobis mei usus esse possit, nisi in bello sit? Caterum video iam ita omnium animos concitatos, & in concitatis animis hostiles spiritus. Contemplor superbos vultus, ut armatos iam iam aspicere videar mihi. Defendetis inquam vel inuicti, quum solum ab Amurathe oppressum auxilium vestrum implorans audieritis, quum hostem impatientem, ac victoria elatum, libertatem atque imperia vestra euertentem, & rabido, cruentoque ore, pollutis atque sacrilegis manibus ad sanguinem vestrum hauriendum proruentem videritis. Non expectetis tamen (obtestor) eas rerum difficultates, non expectetis, quousque seruum forsan istud a vobis auxilium petatur. Sed nunc nunc vires viribus, arma armis conferentes, vel expectemus quamprimū erupturum hostem, vel in eum ultro irruamus, quum coniunctos viderit, vel poenitebit eum consilij sui, vel si ire perget, luctuosam fortasse vincendi cupiditatem malo suo est depositurus. Timet adhuc forsan quispiam vestrum, & in ancipiti sententia nutat animus, non unum, neque debilem aduersus nos Amurathem exercitum missurum, sed & plures & validissimos, vel ipsum forsan venturū ad eam iniuria atrocitatem vlciscendam: parem autem non esse exercitum nostrum aduersus eas vires. Fateor ista omnia quidem, & libenter fateor, magna tamē omnia ani-*

Ab hostis humilitate.  
A libertate patriae, uxoris, liberorum, &c.

A meritis Iohannis Castrioti.

Ab hypotypo si hostilium spirituum.

Ab extenuatione potentiae Turcicae.

*mus meus praesagit, sed vereor spondere quippiam incertis animis, quum futura in occulto sint, & omnis lateat euentus. Quod vero ad humanum ingenium & consilium attinet, promptum vobis rerum omnium remedium ostendam, quippe quum nihil tam difficile sit, quod non hominis consilio expediri possit. Ingeniosa est ad sui tutelam natura, & quicquid iuste geritur, felices sortiri solet euentus. Sed quid hoc pacto difficultatem augeo? Nonne (ut de armis taceam) situs ipse locorum, & Macedonia suapte natura tutissima regio, vos satis aduersus quosque impetus tutabitur, qua nihil ad propulsandam iniuriam omnem aptius, nihil commodius esse potest. Nonne praeterea loca singula, oppidaque, ante hostis aduentum muniri poterunt viris, armis, commeatu? Quid ipse postremo cum exercitu a vobis commisso, intra muros ne & tectis inclusus eo modo oportunam calamitati prouinciam relinquam? & agrorum vestrorum direptiones, villarum incendia, & publica id genus mala ex tuto loco, & alta aliqua turri, cum pueris vestris degener aspiciam? Non patietur quidem animus tanta ignavia sibi esse nescius. Adero semper in hostis conspectu, cum copijs, cum militibus meis, & licet non iusto praelio, & aperta vi, impetus eius periculo ultimo tentaturus: ita tamen utiliori alio militia genere, & incruentis fortasse legionibus meis, Amurathis vires pariter & animos propitijs Dijs frangam, ut relictis posthac omnibus, vasarijsque (ut aiunt) abiectis, omnem vobis pradam sit relicturus, nisi maluerit in hostili solo & alienis campis, exercitū suum in tantis rerum omnium incommodis consensescere, & obsessio quam obsidenti similior esse. Vobis nihil quicquam defuturum est, ipse enim semper in oculis vestris ero, omnia obibo, singula peragam, quae ad oppidanorum & exercitus mihi traditi vitam non sustentandam, sed laute quoque alendam facere videbuntur. Sed cur tantum vobis me ostento hodie? & superbas minas istas, fortia dicta, ac feroces impetus non hosti potius seruo? Quid item de Amurathe nunc timidis mentibus obloquimur? Nihil est quod de aduentu eius terreamur, satis de hoc sum ipse a domesticis eius tum in recenti illo rerum mearum tumultu, tum proximis diebus admonitus, ita barbarorum quoque animos mihi adhuc conciliata iam pridem beneuolentia, & iustior causa seruat, ingentem tamen exercitum aduersus nos, si quo intentius fieri possit, parari quotidie, tum fama ipsa, tum omnium sermones affirmant. Quare tollenda est omnis mora, P. Cabijcienda iam nostra ista consultationes, quas bellorum necessitates expectare non possunt, peragenda omnis prouincia, edictum proponendum, percensenda capita, exercitus impigre scribendus, ne quum hostis in conspectu erit, & tubarum clangor ad milites euocandos auribus obstrepet, nos tum sera belli consilia quaramus. Surgite iam igitur Patres inuictissimi, dignos tandem iuuantibus Dijs, vos Christiano*

A natura iusti belli.

A situ Macedoniae tutissimo

A fugienda mora.

A debito.

imperio omni deinceps futura statim ostendite, gratiarum tamē à me actiones pro hodierno beneficio, armati sub galeis ante signa in sudore in pulvere expectate, tales deniq; habituri, qualia belli praesidia dederitis.

Scanderberg  
constituitur  
Imperator &  
dux belli.

Postquam dicendi finem Scanderbeg fecit, Principes omnes in eum, ut libertatis, & totius gloria autorem, versi, ex omni parte uno ore, claraq; voce sententiam eius comprobantes, maximis laudibus efferebant, Singuli itaq; ultro iuribus suis, populis, armis ei commisisse, ac velut per manus traditis, totiusq; rei summa ac belli cura demandata, unum sibi Imperatorem illum atq; ducem elegerunt. Ad unum cuncti eos imperij fasces ingenti favore & clamore satis idoneum rati, cuius vel nomine solo tanquam fulgure quodam omnis Macedonia angulus, aduersus quosq; hostium impetus defendi posset. Ad hac & illa rerum bellicarum peritia, & imperatoria consilia omnia, longus praeterea cum barbaris morum, ac vita vsus, & diutina consuetudine, experientiaq; iudicium firmatum, animos omnium certiore spe victoria accendebant. Sed & illud post multa promissa, oblationesq; maximum fuit, quod Ariammites surgens primus omnium, quum multo decore verborum, & Iohannis patris imperium, & institutum filij ac felicitate tum virtutis, tum fortuna auspicia laudasset, tributum annuum ei insigni & prompto animo obtulit, quod accepit: hucusq; inquit Amurathes, dum funestissimis ipse armis ignominiosam pacem praepono, & feadam libertatem quam infelix bellum malo: accipe tu approbantibus Dijs hominibusq; macte virtute vir, accipe hoc non ingrati saltem, si non magnifici animi pignus, quod pro Epirotica, pro mea libertate, dignitate, imperio, liberis, populis tuendis ultro decerno tibi. Licet communia iam tibi mecum esse velim milites, arma, equos, & quicquid aliud vel fortuna mihi, vel pertinax virtus ab impio hoste seruauit, Sed hoc non pacis, non belli discrimine habito, statuimus tibi inuictissime (ut hoc te primus nomine appellem) Albanorum Princeps, ac vindex libertatis, tum alij plures amulatione quadam satis ampla tributa pro habitu fortunaru sibi ipsi imperarunt. Andreas cum Tanusio nepote insigni liberalitate nemini cessit, magna vis pecunia hoc modo ad belli vsus inuenta, hinc forte fama diuulgatum est, Scanderbegi prouentus in Epiro ducenta aureorum millia excessisse: nam licet latius imperium qua alius Princeps possideret in provincia, tamē nimis onerosum fuisse subditis fatendum esset, si eam summam a suis tantummodo exegerit populis, ardentibus quotidie omnibus bello, & viris altera manu (ut sic dicam) colentibus agros, altera ferrum tenentibus, ni in salinis forsitan magnum huius rei momentum fuerit, quas longe pulcherrimas habebat, in loco, qui Campupescupi dicitur, inter montem, & locum, cui Selita nomen est ex altera parte, ex altera sanctum Nicolaum a petra notissima tellus, vel infamis potius, Senatus olim Romani obsidione, atq;

Ariammites  
dat tributum  
Scanderbe-  
go.

Scanderbe-  
gus, Alba-  
norum Prin-  
ceps, vindex  
libertatis.

Prouentus  
Scanderbegi  
in Epiro.

Salinis in Ca-  
mpupescupi.

ne, atq; fortuna. Reliqui quibus non ea vis erat, non facultas, ut tributorum onera subirent, corpora ipsa, & perpetuam operam voluntarij spondere. Venetorum magnificentia, non annua tributa cum ceteris, sed quotidiana fomenta & praesidia, satis & fortuna, & dignitatis sua memor, non recusauit. Quum igitur omni genere laudis atq; officiorum alius alium superare contententes, hominem sibi deuinxissent, mox diuinis supplicationibus ad icti robur foederis, ac tam insignis societatis ornamentum peractis, pars Croiam cum ipso petijt. Alij in loca quisq; sua ingenti gaudio, spe ingentiore sunt dilapsi. Moses primus omnium cum praesidio de finibus Croiam reuocatus, relicta tantum perexigua manu, & per iuga quadam disposita, qua custodias ageret, venit. Quinq; paulo plus hominum millia in eo praesidio erant.

Selita Selita  
populi. Plin:  
lib. 4. cap. 11.



Nam proficiscens inde Castriotus ad concilium, multos domum dimiserat, tum edictum impigre propositum, & missi plures ex proceribus ad delectum habendum. Sed neq; Amurathes concitatis iam pridē suorū animis oia ducebat, de ratie vlla ex parte in omnibus peragendis, qua ad eam belli materiam tantis odijs animisq; coceptam facere videbantur. Coactoque exercitu 40. millium lectissimorum equitum, Alybassam unū ex praefectis suis strenuū & armis & consilio virum, ac multis ea aetate apud barbaros bellorū titulis insignē, ad id muneris ducem elegerat. Neq; difficile futurā victoriam, tum copiarum robur, tum Imperatoris virtus sperare faciebat. Jam hic ubiq; rumor erat, ea Turcarum spes cogitatioq; ut captum crederes Scanderbegum, supplicium de eo sumi diceres, velut in obessa quandoq; nec dum capta vrbe, temeraria, & praepostera militum consilia, pradam sibi, nec cruentam

Timor in Epiro propter Turcas.

Scanderbegi magnanimitas & confidentia.

Exemplum in uicti animi & admirandæ fiducia.

Exercitus constans octo equitum & septem peditum millibus.

futuram victoriam promittunt, ac spolia diuidunt iam contentione quadam inter sese id agentes. Ita sunt humana ingenia secum tantum colloqui assueta, & ad maxima quaque spondenda sibi nimio plus facilia, & prona. Itaque in Epiro etiam iam omnia vario tumultu misceri, & maximi quidam rerum motus instare videbantur. Fama præterea de Alibassa aduentu omnia adhuc in maius uero extulerat, timor quidam nouus ac insuetus multorum occupauerat animos, & uana etiam quadam trepidis credere & uereri suadebat. Agrestes passim cum pecoribus ad urbes uicinas confugere, Oppidani muros munire, ac pro portis, tanquam uisus esset hostis, excubare: senes ubique trepidi, patriam, uxores, liberos, Deos ipsos commemorantes, iuniorum uirtutem appellabant, accendebantque: mulieres quoque quas publicus pauor per uicos omnes extractas, armatis immiscuerat uiris, quæ nunc suorum animos miserabili ac iusto fletu excitantes, nunc per templa & delubra sollicitæ, aris omnibus patriæ salutem commendabant, stupentibus etiam ad parentum lachrymas, unaque plorantibus paruulis filiis. Scanderbegum uero unum neque auditus Alibassa aduentus, & hostilis fama exercitus, neque uulgatus suorum timor uilla ex parte mouebat, ut nedum periculum ullum, sed uel periculi suspicionem maiorem crederet, quam semel animo induxisset. Ridebat autem tum hostis uanos conatus, tum uaniorum suorum trepidationem. Itaque quum omnia prius prudentissime per uniuersam prouinciam disposuisset, ne nimia hostis contemendi licentia, suorum ingenia ab ea belli cura laxaret, auerteretque, multis tum dictis, tum factis omnium animos tanta fiducia erexit, speque uictoria accendit, ut nihil unquam desiderio maiore, quam hostis aduentum expectare sint uisi, ut quisque certatim enixam fortitudinis praliando ostenderet operam, fidemque. Principi suo tum priuato, tum publico merito modis omnibus testatam relinqueret. Fuit & illud longe maximum in eo inuicti animi, atque admirandæ fiducia exemplum, quod & singulorum in se oculos ingenti admiratione conuertit, & Alibassam quoque ipsum, si id Scanderbegi factum contemplari potuisset, tam ingentem ductis fiduciam maxime admiraturum crediderim: nam quum tot ad eum gentes & populi ferocissimi undique aduolassent, ut non unus, nec ignobilis exercitus confici posset, & ante oculos eius starent, iussa tantummodo expectantes & petentes arma, ille omnium animis aque collaudatis, lectissimorum hominum opera accepta, & octo tantummodo equitum, septem peditum millibus secum manere iussis, alios tam ex ueteri presidio, quam nouo delectu domos remisit, ex quibus etiam nonnullos ad diuersas belli necessitates per loca quadam disposuit: mirati sunt omnes tam audax consilium uiri. Sed puto præclarum, & expertum belli ducem cogitasse: Si uictus aduersis Dijs cum ampliore exercitu fuisset, non ita se idoneum postea ad

repa-

reparandas uires, & instaurandas nouas copias futurum, & ideo disposita credo pluribus locis presidia ab eo fuisse, ac uelut seruata subsidia quadam, ut aliquid esset reliquiarum, quod & fortunam recuperare, & incaute alioquin propter rem bene gestam hosti uictoriam extorquere posset, licet nihil tale ipse dicere sit auditus, sed præclaro, eodemque oris habitu, & uocis sono certam quasi uictoriam, & expedita ex animo omnia polliceri. Itaque non unicam illam rationem credo fuisse, cur ampliores non sint retenta copia, ut aliquid scilicet spei, si quid durius incidisset, in restituenda fortuna esset, sed egregiam quandam ac mirabilem prope hominis fiduciam, id quod uidere etiam sæpenumero licet in magnis præsertim ingenijs, quæ raro admodum fefellit fortuna, & hoc laudant potissimum & admirantur homines in Scanderbegi, quod toties, ac ferè semper cum minoribus longo intervallo copijs, tot incredibiles penè ex hoste tulerit uictorias, unde ipse plerumque non sine hesitatione quadam, multa ad posteros transmittit prius ferè, quam illa ad animum admiserim meum. Caterum non iniquum fortasse credere, quod & seculis nostris natura aliquid concesserit, ut & ipsi haberemus quod miraremur. Age namque potissimum huius uirtutis & fortuna exemplar, Hunniadem ante oculos nostros ponamus, qui toties Turcarum uires ferè solus contudit, & sæpius uictor cum paucis euasit, quam cum pluribus alij excessere. Sed omitteamus tam sollicitè fidem nobis ad hanc rem ambire, præsertim quod tam recentia, & quæ penè uidimus ipsi, negare nisi impudenter non possimus. Castriotus ubi singuli nomina dedere, percensito, perlustratoque exercitu, mouens signa, multis remanentium supplicationibus, uotisque populi in discedentes nuncupatis Croiam reliquit, & non procul à Dibra inferiore inhiabit uexillis, quum aduentare hostem magis magisque audiret, imperato per præconem silentio, nouus Imperator, nouos milites non iniuria alloquendos esse duxit.

Vellem milites fœlicioribus meis rebus, atque meliori imperij tempore, & vos me ducem nacti essetis, & ipse hoc tam præclaro fidei uestra spectaculo perfrui possem, quippe quum nec tanta singulis hodie uerecundia obstructus, uos ad hac noua belli incommoda, ceteraque id genus mala inuitarem, & gratissimis nunc ciuibus in quiete & ocio gratias agerem, quas olim cruentissimis militibus non incruentus dux pro sudore, pro periculis, pro hosti dando sanguine referendas preparauim. At quando ita urgentibus fati mea tulit fortuna, ut necessitatis sim uobis iudex, & periculorum magis quam ocij autor, ferenda omnia sunt uel æquo, uel forti animo, & subeunda quantalibet belli huiusce magnitudo, ut in pace aliquando & ocio uiuere possimus, sumenda libenter & propere arma, ut præcis tandem tam diutina seruitutis nexibus, fugatoque ex uestibulis hoste, fœliciores posthac degamus uitam, & imperpetuum libertate fruamur. Sed dum uos

alloquor

Hunniadem Turcarum uictor.

Oratio noui Imperatoris Scanderbegi ad Albanum militem.

Exordium à tempore.

A necessitate.

Bellum suscipitur pacis gratia.

A fine suscepti belli.



A calamitate  
anteacti tem-  
poris.

alloquor nunc, intueor, omnium in me animos pertracto, singulorum beneficia specto, vix ipse mei compos, nunc doleo, & lachrymis ferre temperare non possum, quum subit recordatio miserrimi temporis illius, quod apud



Amurathem impium, longo à vobis, longo ab oculis vestris intervallo se-  
iunctus, per omnem indignitatem & iniuriam pertraxi, nunc seruitutem  
ipse meam, nunc omnes atatis annos recolo, pariterq; deploro, quum metior  
ex habitu animorum vestrorum, quis libertatis, qualis imperij mei status  
apud vos fuisset, atq; nunc, nunc planè sentio, & barbari maleficia, & om-  
nem malorum meorum seriem, quotq; amiserim bona, priuatus tamdiu  
dulcissimorum ciuium consuetudine. Ex altera tamen parte, quum me di-  
ligentius colligo, & tacitus ipse mecum nunc huius exercitus formam con-  
templor, omnia equo animo fero milites, neque fortuna iam mea, neque tot  
perfunctorum malorum, neque longissima pœnitet seruitutis, quando nunc  
ex ea tot bonorū, & perpetus forsā nobis libertatis occasio est oblata, quan-  
do ( ut cetera taceam ) tam speciosa fidei vestra agnoscenda concessa mihi  
est causa. Quid enim perferendum non fuit, ut tot nunc ardores vestros  
spectarem, tot in me vobis restituendo vota audirem, totius denique Epiri  
florem ante oculos hodie haberem, arma tantummodo petentem, & pro me  
attractantem? Quid illo spectaculo pulchrius? Omne Epiroticum nomen,  
& tot Venetos Senatores, ac Senatorum filios ad hanc fortunā meam, ve-  
lut ad communē periculi sortem conuocatos fuisse, praesto vidiſſe, quod non  
Iohanni Castrियो parenti meo illi, animis vestris tam acceptissimo, non  
vlli ( ut ita dicam ) in hac aetate Principi contigit. Et ut ad vos iterum no-  
stra se

A spe sollicita-  
tis futura.

Amplificatio  
à voluntate  
suorum per  
comparatio-  
nem.

stra se conuertat oratio, quid illud rei noua miraculum, totam ferre Ma-  
cedoniam vacuam vidiſſe? dum ex omni parte voluntarij ad me milites  
concurritis, & contentione quadam, arma quisq; bellumq; poscitis, ut nemo  
patria, nemo magis suorū desiderio tangeretur, ita me defenso vna domos,  
focos, uxores, liberos, Deos ipsos defendisse videmini: approbet consilia ve-  
stra Deus optimus maximus. Quod igitur ad vos hortandos dicendum  
erat, nihil est quod à me agi possit, quum & ita animatos videam, & ver-  
ba fortissimis viris virtutem non addant: quid praterea armatis vobis,  
ferrumq; tenentibus, armatus & ipse dixerim, satis scire debetis, & hostis  
vos admonet, quem iam iam in conspectu habetis: admonent tot rerum in-  
dignitates, & armant omnes, singulosq; tum priuata, tum publica ira. Di-  
cam tamen, quod & si non dicerem, res ipsa palam vos docere potest, qua  
hac nostrā ( quaso ) seruitutis species? Neq; Christiani iam sumus, neque  
barbari, semel aut fortiter moriendum, aut arripienda possessio fidei pari-  
ter & libertatis, quod hoc mali genus? Quotidie capitur, quotidie diripi-  
tur Epirus, in manu tantū salus posita nobis, aliud nullū effugium. Quem  
nunc barbarum in nos creditis venire, qua mandata defert? ad quod ul-  
tionis genus properat? Jam singulis suum statuit supplicium, non iusto bel-  
li odio, non veri hostis more, sed furore, ac rabie quadam ad sanguinem ve-  
strum hauriendum fertur. Quare si cui patrie pietas, si cui sua virtus, si  
cui parentum splendor subdere spiritus possunt, sumite arma, acuite iustis-  
simum ferrum, Croiam, & auorum sedes, quas tam fortiter aut ore me in-  
cruenti recuperastis, cruenti ( si ita res ferat ) defendite, & regnum quod  
hucusq; tanta fide seruastis mihi, & seruatum tanta virtute reddidistis, in  
posterum seruate. Maior debet esse animus, maior solet dici virtus arcentis,  
quàm inferentis iniuriam. Pradam illi poscunt, regnandi sola cupidi-  
tate ducti in nos ruunt: vos ne prada sitis, & ut ciues patrie debitum exol-  
uatis, pro qua nunquam nimis sanguinis datum videri debet, omnia for-  
titudinis signa demonstrate, nunquam pro ea satis pugnatum, cuius pietas  
omnem superat pietatem. Sed ( ut hac iam libens omittam ) quid defutu-  
rum est vobis ad summum victoriae & gloriae calcem, si oblato beneficio uti  
velitis, quum non modo quicquid est vsquam Albani nominis, vobiscum  
in hac causa videatis, sed Venetos quoq; principes illos, quos vniuersa pa-  
riter colit & formidat Italia, pro vestra libertate stare conspiciatis, nunc  
recuperanda tamdiu amissa patrie, nunc amplianda fortuna vestra spes &  
ocasio adest, inducite in animum, quod non induxerunt patres auiq; ve-  
stri ( pace illorum dixerim ) ut concordia hac Macedonia, principum al-  
trix, pristinum illum statum effingatis, & ex ignominia hac propicijs dijs  
Epirum imperpetuum vendicetis, ipsi praterea vel commilitonem, vel du-  
cem habere me malitis, ad omnes labores, periculaq; vos non vltimus se-  
H quar.

Incrementu.

A miseria sta-  
tus presentis.

Exaggeratio  
crudelitatis  
Turcicae.

Conclusio.

Ab honesto.

A facili.

Macedonia  
principum  
altrix.

A sua persona

quar. Et si in ceteris non ita felix audacia erit mea, hostis tamen ingenia, mores, artes omnes vobis sub manu dabo, qui cum diuino ita forsan agente fato, maximum vita tempus ad satietatem usque transegi, funestissimo exemplo, proprio malo edoctus. Piget me referre hoc loco eius humilitatem, quamuis alacriorem faciat militem, facilioris spes promissa victoria. Vix dicere audeo nunc, ne langueant vires, euanescant animi nimia eius contemnendi licentia, quippe quum saepe contemptus hostis ancipitem fecerit victoriam, & cruentum ediderit certamen, quare ita cum fiducia sui & sine contemptu alterius gerenda esse bella, primum fore preceptum, antiqui militie conditores statuerunt. Videbitis tamen ipsi, quamprimum contemnetis perditissimum hominum genus, quos & antehac ferociter aequae ac feliciter vel pauci contempsistis. Ecquis non contemnat, pariterque abominetur vilissimam gentem? quae omnis est ex seruorum colluione collecta, furtis, & latrocinij potius, quam veris assueti praelijs. Nonne (proh pudor) quorum hodie nomen tantum apud timidos mortales inualuit, Turcae sunt isti serui, ex Scythijs fugitiuis, qui (ut fertur) sedes patrias ultra Ripheos montes, & Tarcontas insulas, etiam Aquilonis iuba ad Septentrionalem oceanum habuere? Gens foeda, ignominiosa, in lustris ac lupanariis educata, quae non luporum, non vulturum carne, non abortiuus hominum foetibus abstinet, & cetera cuncta appetit, quae vel ipsa fugit natura. Eos fama est, Nagnum Alexandrum tanquam pecora in ouile, & sepe, intra Hyperboreos montes ferreis clausisse repagulis, qui vix aliquid unquam a se iusto praelio partum, gloriari possunt, dolis tantum & insidijs magna sibi imperia adepti, & maiora indies adepturi, si eis exercenda perfidia materia praebeatur. Ecquid creditis de vobis Albani? Videor iam videre mihi Amurathem, quum arma aduersus vos non proficient, ad funestissimas artes tendentem. Adest, adest in oculis subdolanus Ottomanus cum ingentibus ad vos promissis, assueti ductus aliorum fortuna. Vbi-que Gracos & Triballos, ubique Mysos fore putat, quos magis etiam quam homines decet, fati sui ignaros, bona fide sibi traditos, bonus Princeps omnes aut internecioni dedit, aut luminibus priuatos, ceterisque membris mutilatos deformauit, Libenter horum meminit animus, Cilites, non quod fides me vestra vlla ex parte dubium habeat, cuius nullum unquam principem vestrum ad hanc aetatem potuit paenitere, sed ut admoneam (ut par est) quos studeo conseruare, quibus vitam sanguinemque omnem deuoui, cum quo vobis hoste manus sint conferenda. Vidistis nanque omnes, vidistis quantum fidei, quantum virtuti vestra tribuam, quos ex tot gentibus, & voluntario milite, solos ad rerum omnium summam gerendam delegi, alios maestissimos domum remisi. Vos omnes expectant quos laudent, aut accusent. Ego nunc nec laudandum quempiam, nec vituperan-

Aperona ho-  
stis.Occupatio.  
Primi prae-  
ceptum militi.Turca qui, &  
vide.Vide Strabo-  
nem lib. 3.

Occupatio.

tuperandum censeo: quid enim fidei minaci in castris militi haberi potest? Sed quum fumantes sanguine hostili, enses vestros aspiciam, quum prodigam vita virtutem spectator ipse & hortator imitabor, tunc omni laudis & munerum genere cumulabo. Quae autem maior laus, quae ingentior a praemia unicuique vestrum esse possunt, quam seruata patria, quam omnes & singuli vobiscum fertis? Considerate igitur viri fortissimi, quantum momenti hodie sit in vobis. Hoc praelio victi, toto bello victi sumus: contra, victores, tum praesens a nobis Amurathis excutiemus iugum, tum paci tranquillitatisque perpetua in posterum consulemus. Proponite vobismetipsis iugum hostile, & ludibria victoris & superbos vultus. Proponite & illud, quae frequentia omnium generum multitudinis prosequente, a nostrorum conspectu profecti sumus, quam omnia votorum & lachrymarum plena reliquimus, in qua nunc expectatione, coniuges, parentes, liberosque vestros esse credamus. Stant omnes sollicitis ac pendentibus animis, prospicientes, quem belli euentum vobis virtus vestra dederit. De fortuna enim nihil est quod timeat vir fortis. Pudet aliquam fortunam fateri, quam non in manu atque ense positam habeatis, Dij namque ibi esse consueverunt, ubi ipsa quoque stat aquitas. Vestrum est igitur, ut conceptam omnium spem de virtute vestra factis aequetis: quo numerosior hostis, eo speciosior laus vestra, eo grauioribus hostilibus spolijs domum reducam. Verum enimvero si quisquam est timoris sibi ipse conscius, qui vires nostras ex hostilis fama exercitus metiatur, & a quibus superatur numero, virtute quoque se credat superatum iri, hinc bona cum venia faceffat, ne impedimentum magis illum, quam auxilium mecum traham. Reuertatur prope ad uxorem, ad liberos, quem victor postea exercitus domi intra muros at tectis clausum inueniat. Si vero ea omnium voluntas & communis iste est timor, exercitum hunc, nisi pudeat, Deorum pariter & hominum maiori- bus firmemus copijs, vel potius extemplo conuersis signis abeamus. Qui enim cum hisce legionibus, in Macedonicis praesertim tutissimis suapte natura campis, Amurathis praefectum timeat, indignus mihi videtur eo quem gerit ense, indignus aura qua vescitur. Inuitus in hac parte orationis moror apud vos milites, nedum fortes viros, sed principes etiam fortium. Agedum igitur, pristinam excitare virtutem, generosos sumite animos, omnium rerum respectum, praeterquam victoria, vobis abscondentes (ut cuncta vno verbo absoluam) morte sola vinci destinare. Si vicerimus, omnia in posterum felicia futura vobis credite, fortiter victis, idem erit malorum & miseriarum finis. Hoc si fixum omnibus destinatumque est, frustra me iam ardor iste dicendi ulterius prouehit, quandoquidem nullus acrior homini stimulus, perspecta virtutis conscientia, ad vincendum a natura est datus.

Vix hac dixerat Scanderbegus, cum ab vniuerso exercitu clamore elat-

H 2 to, eius

Occupatio.

A fortuna.

Ab aequitate.

A loci natura.

Fortiter victis  
mors malorum  
& miseriarum  
finis.

to, eius approbata fuit sententia, claraq; voce undiq; conclamatū est: pro  
perandum in hostem, & castra contra eum ocius mouenda, ultroq; irru-  
endum. Vbi tandem cupidissimorum militum animi, fidesq; erga opta-  
tum tamdiu Imperatorem, certo aliquo experimento comprobetur, con-  
firmenturq; in posterum vix dum tuta Scanderbegi consilia, quum tam  
prompte corpora suorum, hosti tanto ardore, contentioneq; passim ob-  
ijci cerneret, & voluntatem saltem vita prodigam laudet, si virtutem  
non posset. Sed neque virtutem suis carituram laudibus, si hic hostis, hac  
optata tantum gloria materia ardentissimis animis tunc daretur, nec dif-  
feretur amplius, evanescere parua mora, elanguescereq; viaces spiritus  
illos, ac concitata militū ingenia, senescere dilatione belli vires. Maximus  
vbique strepitus pugnam poscentium, multus ardor erat. Ita socios, ita se  
ipso exhortabantur viri, ita equum quisq; suum (ut fit) ensē, dexteram  
alloquebatur, & manus ad ictus aptabat, ac mille cōsumebat vulnera, ut  
victi iam hostis species ante oculos omnium obseruari videretur. Tanto un-  
diq; tumultu miscebantur castra, ut pugnantium similia omnia magis, quam  
pugnam poscentium diceret, vel erupturum quamprimum crederet audidum  
sanguinis militem sine duce, sine signis, nullo disciplina militaris ordine,  
vel tenore seruato. Scanderbegus itaque, quum eum totius exercitus ardo-  
rem cerneret, & aequae omnes suorum ordines, omnem atatem, omnium in-  
genia ad id accensa, inflammataq; animaduertisset: primum impensus ga-  
uisus, tacita latitia singulorum feroces minas audiebat, superbosq; vul-  
tus, & feroces spiritus, ingentem molem irarum ex alto animo cientes con-  
templabatur, certa victoria concepta hostilis rei formam metiebat, de-  
inceps contemnebat. Postremo non satis tutum visum, tam iusta militum  
desideria sedari, tardariq; amplius. Vbi donatis illis, sacra Deo optimo pro  
victoria alia vouit, alia peregit, mox ad hostem castra mouens, quem  
non longe abesse certis exploratoribus nouerat, deficiente iam sole in Di-  
bra inferiore octuaginta millia passuum procul à Croia, iuxta collem quen-  
dam dumosum, vel verius syluam, densissimis refertam arboribus, castra  
metatus est. Ibi primum omnium cognito idoneo insidijs loco, praesertim  
quod hostem cum maximis copijs aduentantem audiebat, & ut incru-  
entiorē sibi eam victoriā faceret, summa ratione obequitans prius ipse  
ac perlustrans singula: Cnecum Musachium, & Amesam cum tribus mil-  
libus locauit, iussos, ne prius exirent, quam se totis signis implicitum hosti,  
& cruentatum utring; militem vidissent, tum obseruato tempore, à tergo  
hostium improuisi erumpentes, pari clamore & impetu, timidos exanima-  
rent, ac introclusos caderent. Barbari non multum tardati, vix his dispo-  
sitis, aduolarunt, & ignari omnium non longe à Castris copijs fixis si-  
gnis, consedere. Nostri mox ignibus extinctis, somnum capere alij, alij  
vices

Exhortatio  
mutua ad pu-  
gnam.Fortassis vi-  
cti.Ardor exerci-  
tus Scander-  
begi.Castra Scan-  
derbegi in Di-  
bra inferiore.

Stratagemata.

Castra barba-  
rorum.

vices excubiarum agere iussi, Turcis ex eo animi magis aucti. Quare ac-  
censis ipsi undique luminibus, turpes nostrorum tenebras deridebant, ti-  
mida silentia interpretabantur. Atque quum sub ipso fermè vallo strepe-  
rent, dictis factisq; simul odium explentes, per totam noctem occurabant  
portis, ingerebant probra, agre abstinerunt, quin castra oppugnare ag-  
grederentur. At Scanderbegani semper silentium obseruarunt, respon-  
sum nullum reddebant, quamuis non deficeret quod recte responderi posset:  
neque deerat cupiditas ardorq; erumpendi, quum tot contumelias, tot in-  
sultationes hostium ferre amplius nō possent, sed Imperatoris edicto in ca-  
stris taciti se tenebant, Barbaris itaq; quod detrectaret pugnam Christi-  
anus, animi accedebant. Properante iam aurora, Scanderbegus suos ante  
omnia curare corpora iubet, ne si pugnam aliqua belli (ut fit) fortuna

Silentium nō  
sturnum in  
exercitu Scan-  
derbegi.

praeter spem ludificando longiore fecisset, ieiunus miles victus fame,  
quam sola natura humana vincere non potest, segnius victoriam sequere-  
tur. Cibo igitur per ocium capto, alacres animis corporibusq;, atque ira-  
rum speiq; plenos à castris educit, quos ibi quoq; ubi statim verba res erat  
secutura, enixe pro victoria exhortatus est. Dehinc ut prius nosceret ho-  
stium vires, quā discrimine ultimo tentaret, leuib; certaminibus equi-  
tum sepius, quam peditū periculo facto, iusto pralio se accingit. In leuo cor-  
porum Tanusium cum mille quingentis equitibus, totidem peditibus locat. Di-  
ffonebat autem ita equitatum: primo loco interfertis quibusdam sagitta-  
rijs peditibus, ut prima auspicia pugnae ab equite sumerentur, neq; reliquo  
peditatui ad erumpendum, & recipiendum se ad suos ubi labor posce-  
ret, im-

Instruētia  
exercitū Scan-  
derbegi.

Moses à Dibri.

ret, impedimento equestris pugna foret. Moses autem à Dibri præfectus eius à dextro cornu eodem tenore singula peragebat. Extendebat & ipse legionum suarum primam frontem equestri turma, ita ut liber pediti ex omni parte exitus, ac tutus receptus foret, quamvis non multum momenti fieri debuit ad Dibrenses milites in acie dirigendos, ita vel primo vel secundo loco, vel equitem vel peditem loces, omnia tuta sunt apud eos, nunquam fallit fortuna, nusquam fugit victoria conscias manus, sic & ordinem sibi & fortunam quocumque adsit, fortissimus miles facere & trahere secum consuevit. Inter ipsa cornua, acie velut sinuata, medium locum Castriotus ipse cum reliquis copijs obtinebat. Ibi quoque equitum mille amplius in fronte dispositi. Nam quum hostis pedites nullos haberet, non satis tutum visum est, peditatum primo furori equestris procella obicere. Juxta totidem ferme sagittarij appositi, hos equitem sequi iubebat, quo post terga eius tutiores, neque ita hosti expositi essent, & barbaro haud huiusmodi quippiam timent, cruentiorem facerent pugnam. Inter hos & illos, ipse cum Georgio Stresio nepote, feroci iuvene stationem fixerat sibi. Vtrinque Croiensis nominis miles, utrinque Croiensis eum iuventus circumdabat. De industria nanque civium suorum & spectator esse, & hortator elegerat. Sagittarios mox reliquum robur peditatus, & scutorum, ac hastatorum agmina cum Aidino Gnei fratre sequebantur. Vranacotes prudens ac fortis bellator, cum ceteris equitibus extremam aciem, ac subsidiariorum munia obtinuit. Iussi tamen pedites, qui ante eum erant, ut quum primum prosilientes suos ex insidijs vidissent, ac oneratum à tergo hostem & exceptum inter cornua, mox patefactis ordinibus, viam equiti darent, qui recens alio iniecto pauore hosti, turbaret pariter fessum, cederetque. Pedites vero ipsi iterum densati loco velut subsidiarij, atque triarij milites, aciem firmarent, neque penetrari exercitum paterentur, donec certum victoria indicium, & irreparabilem hostium formam aspexissent. Ita instructa acie Scanderbegus stabat, neque ut signum daret ad progrediendum in hostem unquam à suis impelli poterat, antequam & barbarum ipsum more suo compositum, procedentem in aciem vidisset, ne in digestum hostem effuse erumpentes milites, instandi studio, ordine violato, totius exercitus statum in discrimen aliquod traherent. Alybassa quum exercitus nostri formam contempleretur, pauciores semper, pauciores, periculo propiores iterans, deridebat ordinem illum, & pompam ignari militis ad propria funera tam compositae procedentis. Vna erat Ottomana legio ante alias audacius progressa, in hanc antesignani acriter feruntur. Barbari mox ordine turbato, antequam totius exercitus fortunam expectarent, vera fuga, neque simulato pauore, primo impetu usque ad statua se pelli patiebantur. Sed Scanderbegus exemplo fraudem metuens hostis, ac insidias

Georgius Stresius nepos Scanderbegi.

Gneum Mufachium intelligit, de quo supra.

Alybassa contemnit exercitum Scanderbegi.

Pugna utriusque exercitus

ratus, partem equitatus immisit, qui & suorum ardorem inhiberent, & in aciem quenque ac suos ordines renocarent. Idem & à leuo cornu factum. Itaque & hi & illi ad suos recepti, rursus ad pugnam parantur, iustiori totius exercitus dimicatione. Creuerant autem animi barbarorum, quod militem nostrum velut ludificati essent, pauci multos. Renouato igitur iterum pralio, Tanusius & Moses hostium cornua inter se partiti, pugnam acriter inierunt. Eodem tenore Castriotus assumptum sibi agmen, concitato impigre equite, aggreditur. Non tardatus ex insidijs eques, priusquam totis copijs in nostros irrupisset, hostis maximo tumultu erupit: & antequam descendissent equi in campo omnes, plura ac extrema quaque Turcarum agmina repentino pauore consternata, relicta pugna castrisque, fugam iam inde arripiunt, primi quique inter nostrorum cornua intercepti, mediae legioni cadendi traduntur. Vnus erat cuneus hostilis, quem neque dimouere poterat loco Scanderbegus, neque penetrare audebat, ita in eo loco velut munimenta quadam fecerat numerosior barbarus. Alybassa ibi (ut mox apparuit euentus) totius exercitus robore, ac fortissimorum quorumque armis stipatus, iam diu inclinatum belli fortunam sustinebat. Aidinus quoque in media acie iam cuncta barbarorum cruore repleuerat, ferocior hic quam alibi Mars incrudescerebat. Nam quum obsessus ferme hostis nihil sibi praterquam arma superesse videret, in ferrum quo poterat acrius, ne inultus caderet, ruebat. Traxerat praterea illuc & alios fortuna, atque infelix belli error, plerosque etiam auditus casus suorum, ad socijs ferenda auxilia impulerat. Itaque quo densior barbarus erat, eo longior pugna, magisque ambigua fuisset, nisi Vranacotes mox irruptione facta, & viribus pariter animisque recens, fesso iam & labanti hosti se immiscuisset, & quicquid erat reliquiarum, hausisset. Segnior autem idcirco eques est barbarum adortus, ac laborantibus ferme suis succurrit. Nam quum cornua utraque, & pratoriam cohortem totis signis implicita vidisset, ne subsidijs omnibus acies nuda penitus remaneret, tutius erumpendi tempus captauit. Ad unum itaque concisi sunt omnes, prater trecentos, in quos inermes tendentes dexteras, ac vulneribus propè confectos, belli iure sauire Castrioto non visum est. Victrices igitur post hac confecta, legiones, eo belli labore peracto, ad Scanderbegum ingenti gaudio atque clamore tendebant, ubi lata omnia inueniunt. Perfregerat nanque cuneum omnem Croiensis miles, & ingenti adita strage, Turcarum ducem in fugam conuersum late sequebatur, ubique sanguis & cades, ubique gemitus morientium audiebatur. Alij vincula captiuus iniiciebant, alij deformem truncum relinquentes, speciosum Imperatori munus hostile caput seruabant. Diripiebant castra plures, prout cupidiora sunt prada mortuorum ingenia. Itaque victor ex omni parte exercitus, tam praclaram victoriam recensebat vix ipsi credibilem

Eruptio Albanis militis ex insidijs.

Cades barbarorum.

Diripio castrorum.

Numerus ca-  
forum, capti-  
uorumq.

dabilem victo, & ingentē tam exigui temporis operam mirabatur. (pugna-  
tū est enim à sole orto ad tertiam horā diei) Cesa sunt eo pralio barbarorū  
ad 22. millia, vimorū duo millia capta: signa militaria 24. Ex victorib. pau-  
ci cecidere, vix 120. feruntur, licet vulneratorū maior longe fuerit nume-  
rus. Ita tam magnā victoriam illo die Christianus tulit iuxta omnī spem  
atq. expectationem, quum nihil defuerit eo pralio, quod non solum inuita-  
re ad res bene gerendas fortunam, sed cogere quoq. posset, non tempus, non  
locus, non rerum omnium exactus ordo, non iustior pariter, eademq. neces-  
saria pugnandi causa. De ducibus postremo, militeq. id ausim dicere: Leo-  
num eo die leones ductores fuisse. Veterani horum non minima pars fuit,  
qui cum patre quondam ipsius Scanderbegi militauerant, ut non milites,  
sed praeceptores quosdam militiae electos crederes. Ita debellatū videbatur,  
si eo vicissent pralio, & semel hostis animos fregissent. Parta victoria Scan-  
derbegus totam eam diem noctemq. quietissime in castris transiegit: mane  
victoria inflatus, ad alia intendit animum. Cruentum adhuc militem ad  
non minus gratum opus, hostilium agrorū direptionem alliciens his verbis:

Leonum du-  
ctores Leo-  
nes.  
Veterani, non  
milites sed  
praeceptores  
militia.

Adhortatio  
Castrioti ad  
milites suos  
ad agrum ho-  
stilem diripi-  
endum.



sanguine, pro his belli laboribus exhaustis, vos premia expectent, taciti for-  
tas vobis ipsi respondetis. Non fallam quidem expectationem vestram  
quantum in me erit. Ita & publica & priuata cuiq. apud me laus manet,  
si modo laude sola ( ut nunc liceat iocari vobiscum ) militum ingenia pa-  
scuntur

scuntur. Aliud nihil adest hodie mihi, quo fortes honorem dexterarum, sed &  
si affatim essent omnia, & manu ipse mea darem vobis, quid gratius latio-  
resq. ( arbitrio alieno ) accipere potestis, quam quod quisq. sua captum ma-  
nu, domum ouans retulerit? En iacet non longe hostilis ager, rerum omni-  
um opulentissimus. Praesidio per virtutem exuistis, nunc praedam vobis di-  
missam, per summum captate octū: & quos nunc videt hilares patria, sen-  
tiant late victores hostile solum, quandoquidem non minima est hac tam  
bene gesta rei accessio futura. Ut tamen hodierno pralio, & à me aliqua ex  
parte vos honoratos dicant mortales, neq. miles militi inuideat, quū om-  
nium aqua fuerit in bello virtus, occisorū hostium equos, pedes habeat sibi,  
& omnes equites esse iubeo. Latī nunc igitur me ad hac dulciora perfunctā  
militia premia superis bene iuuantibus sequimini. Ad hortationem hanc  
miles iampridem intentus, clamore undecunq. persecutus est. Ruunt  
omnes in partes, nullo discrimine habito, sine ordine, sine duce, cōtemptu ac  
negligentia quadam orta ex re ( ut sit ) bene gesta. Sed cautus Princeps  
nunquam satis fortuna fidens, distulit eo vsque desideria suorum, donec  
missi exploratores, tuta omnia ab insidijs nunciarunt. Tum libera depopu-  
latione permissa, effusus passim eques hostili terra, agrestibus bonis, pecori,  
ipsis denique arboribus recenti inflatus victoria insultat, nulli rei parcat,  
cui ferro aut igni noceri posset, praterquam sexui, ac etati. Præda undi-  
que ea contentione agebatur, ut alter nunc belli tumultus ac pignantium  
plena cœnia viderentur. Non quenquam vulnera tardabant ( plures  
nanque & eorum, qui saucij excesserant pralio, ea cupiditas traxit. ) Eua-  
nuerant recentes sudores viris, non labor vllum, non onera grauabant:  
nulli copia saltem ( ut sit ) fastidium faciebat. Ita mæstior miles quadam  
qua ferræ non potuit, reliquit, quam alia latior tulit. Quum satis popula-  
tionibus datum esset, & per agrum hostilem ad satietatem vsque seuitum,  
Scanderbegus signum proficiscendi dedit, onustus præda miles, nulla facta  
mora, ingenti gratulatione sequebatur. Deridebant duces ignauiam suo-  
rum, quod ex fortissimis bellatoribus abactores pecorum, & ex Albani  
nominis propugnatoribus, ouium custodes facti essent, accusabantq. vltro  
nunc hos, nunc illos alternis cauillantes verbis. Quid si Alybassa cum  
fracti exercitus reliquijs, vos tales nunc ex aliquo loco aspiceret, tam sor-  
dida trabentes impedimenta, & auari premia militis? nonne puderet  
magis magisq. eum tam pudendi victoris? & crebro suorum ignauiam  
increparet, quod ab huiusmodi superati fuerint, & bellicam laudem cesse-  
rint vobis? Ita iugi letitia festiuus miles per multiplices iocos cantusq.  
via labores leuabat, donec castrorum suorum custodias pro vallo prode-  
untes, ingenti clamore salutarunt. Nocte illa in castris transacta, vix  
dum satis certa luce, Scanderbegus vasa colligere iubet, & ad regiam vr-  
bem

A militum in-  
genijs.

A præda opu-  
lentissima.

A virtute mi-  
litum.

Ex peditibus  
facit equites.

Festiuus du-  
cū exercitus  
Scanderbegi.

Ex fortissi-  
mis bellatori-  
bus abactores  
pecorum, &  
ouium custo-  
des facti.

Redeunt victores ad regiam urbem Croia.

Laureata litera.

Pugna ad Varnam.

Iulianus S. Angeli Cardinalis.

Litera Vladislai Pannoni regis ad Scanderbegum.

Laus Scanderbegi à patre.

bem Croia cum victore exercitu pergit ire, multitudo per vias omnes effusa, victores tum publice omnes, tum priuatim singulos appellabat, prada magnitudinem quisque admirabatur, noui equites vix à suis cognoscebantur, gratulationes facta per multos dies, & laureata litera, ac signa quadam militaria ad omnes Epiri regulos missa, alia affixa templis sunt, ex quo insignis iam ille annus ea parua victoria erat, multo tamen insignior futurus illa Christiana clade ad Varnam accepta. sub idem namque tempus quo hac in Epiro gesta sunt, Hungari cladum omnium antiquarum, ac recentium obliti, arma, bellumq, aduersus Turcas summa vi parabant. Ita non contenta tot spectaculis fortuna seruatos nuper, ac vix respirantes prioribus malis homines, ad funestiora euocabat pericula, & in statutum iam pridem discrimen, suum queng, fatum rapiebat. Vladislauum itaque regem, cum omni propè Hungaria, Poloniaq, ad id certaminis instructum, sequebatur & Iulianus, Sancti Angeli Cardinalis, cum militibus cruce signatis, eam periculi sortem tam cupide, quam fortiter subiturus. Aderat & cum Valachis suis Hunniades, totius regis exercitus ductor. Moxit tamen omnes in tanti bellu apparatu Scanderbegi fama, recensq, de barbaris victoria, maximum rati non incrementum solum copiarum, verum certissimam fore tamdiu cupite rei spem, si ipsum cum exercitu suo hostili adhuc sanguine cruento, Hungarici belli apparatus habuisset. Quare summo aque desiderio omnium, atque celeritate, quam & ingruentis propè mali species, & res qua iam inde videbantur dubie futura poscebant, litera ad eum in hanc sententiam data:

Vladislaus Hungaria, & Polonia Rex, Scanderbego Albanorum principi S. P. D. Distulit fortasse in hoc tempus fortuna seram istam gratulationem nostram, quo non tantum hodie tibi ob recuperatum feliciter imperium, sed pari etiam prudentia fortitudineq, defensum, duplici rei prospere euentu gratulareremur. Et gratulamur itaq, nec tibi tantum, verum etiam Christianis omnibus, quod tanta sit benignitate Dei per virtutem nunc tuam, rei Christianae accessio facta. Quandoquidem non minima semper inter cetera mala, nostra clades illa ducenda fuit, Epirotica gentis amissio. Quum iniquis sublatus fatis Iohannes Castriotus pater tuus princeps, (vt audio) de omnium animis optime meritus, neque tibi in aliena degenti potestate, regnum auitum filio tradere, neque aliter, ab Amurathe oppressus, imperio suo consulere potuit: Et videret vtinam nunc felix eo nato parens, qui omnium superasset fortunam, si te ante vidisset, quam à vita discederet. Ita vnus planè videris mihi (pace omnium dixerim) hac tempestate princeps, sicut omnibus animi corporisq, bonis, ita diuino quodam fato praeclitus, cuius auspicijs non solum tuta in posterum

posterum omnis Epirotica terra ora futura sit, sed cuncti praeterea populi a corpore Macedoniae imperij, nefario Ottomanorum latrocinio iam



pridem direpti, in antiquam formam turis ac ditionis suae redituri. Quid enim (vt cetera taceam, quae & apud barbaros vel puero tibi olim tanta indies crescente inuidia, maximum nomen prodiderunt) victoria illa speciosius? quam nuper Alybassa cum tot copijs caso, fugatoq, partam tibi ingenti admiratione aequae audivimus, ac credidimus. Sed adest nunc Scanderbeg, Dijs agentibus, qui te exacto quodam consilio in hac difficillima tempora Christiana Reipub. reseruarunt, maioris penitus tibi gloria materia. Subest occasio contra Amurathem, omnes veteres, nouasq, tuas ac tuorum iniurias vlciscendi, nec priuatas istas tantum, sed & publica id genus mala, atque tot oppressa, ne dicam extincta iam fidei ludibria, si cum victore exercitu tuo isto, nondum desperatis rebus nostris adesse velis, Fruitant te ad hoc omnes Hungariae & Poloniae Principes, ac viri fortissimi: inuitat Iulianus Sancti Angeli Cardinalis, cum pijs illis Christianae salutis militibus, iam diu nobiscum in armis instructus: nihil praeter tua signa expectamus. Quam si nunc oblatam vltro à Dijs immortalibus occasionem non reijcis, debellari posse penitus palam omnes affirmant, expelliq, Turcas, & à tam diutina Europa possessione deturbari. Omittendum itaque hoc loco apud te omne adhortationis genus censeo, pro ea causa, quae defensa, salutem, lucem, libertatem: omnia, ominari horreo quae ferat. Satis nos hucusque tandem deseruimus Christiani, conflagrauimus iam omnes, dum nemo incendium ad se traieciturum putat. Quid de Graecorum cernimus, quantum de Triballorum imperio? Facturas demum ipsas

A victoria Alybassa.

Vber gloria materia est Scanderbego pugnandi contra Amurathem.

Libertas. Verissima sententia, vtinam Germania haberet aures audiendi.

meas, totq; exhausta ac exhaurienda indies mala, quis recenscat? Quis fortissimos principes, Hungarici imperij propugnacula, per omnes atates amissos, & tot validissimos exercitus eodem funesto belli fato absumptos, ac occisione fermè occisos? ita ut nulla sit in Hungaria iam domus, nulla matrona luctus expers. Audiunt hæc Christiani principes, nec movent ullum miserabilis sociorum fortuna. Sic nos velut piacula quedam, luendis omnium periculis, hosti passim obiectari patiuntur. Vnus Eugenius Sanctissimus Romana rei Præsul, & Philippus Burgundia dux, afflictæ fortuna onus non detrectarunt. Alter Julianum hunc cum præclaro nobis milite adiunxit: Philippus classe instructa, & in Hellepontum usque missa, Turcis transitum, quantum in ipso fuit, fortiter prohibuit. Alia nunc nobis spes propinqua subest, auxilij optandi: quare ultro nunc te ad tam necessarium bellum euocare, tum virtus tua in primis cognita suasit, tum rerum omnium nostrarum periculum, discrimenq; coegit. Caterum cum ignoret nemo, quam id nunc sis incommodo acturus tuo, propter recentem adhuc domesticarum rerum tumultum, & vix dum pacatum nouiter redempti imperij statum, id te mouere non debet, cum & tibi præclarissimum nomen hac expeditione sis pariturus, & hoc præsens beneficium apud minime ingratos animos sis collocaturus. Quod enim prior tu hodie pro salute nostra dignitateq; feceris, id nos pro tua laude, & imperij incremento semper faciemus. Vale ex Buda regia nostra. 3. Nonas Julij Anno M. CCCCXLIII.

Alybassa iam ad Amurathem ( licet plures eum cladis nuncij præcessissent ) fracti exercitus reliquias traxerat. Grauius eum reprehensum ferunt ab Ottomano, quod nequaquam credibile dicebat, tam validum exercitum penè deletum, sine aliqua vel ignauia eius, vel temerario in fortuna se committendo consilio, nunc proditum fuisse exercitum, nunc hostium insidijs oppressum, ob ducis vecordiam clamare, nunc in conferenda manu tutiorem locum hosti relictum, unde sic facile tanta suorum strages adita esset. Alybassa licet hostium se insidijs præuentum, quæ prudentissimum quenque fallere potuerint, negare non posset, excusare tamen se, in alijs militum fidem implorans, nihil in eo præter fortunam reprehendi posse, non ordinem, non disciplinam militarem, non ducem militi, non militem duci defuisse. Non aciem iniquo loco locatam, non è castris importuno tempore eductam, non fuga memorem fuisse, nisi castris ab hoste direptis, & salute penitus in armis desperata. Sed experiretur iterum fortunam eius contra Scanderbegum, excogitasse se viam, qua luctuosam eam victoriam illi esset facturus. Monebant iam Amurathem vana Alybassa verba, & maiori in Scanderbegum ira concitatus, iubebat deletum protinus fieri, instaurariq; eius exercitum, ni Satrapa, ac Purpurati eius, Alybassa præsertim

Eugenius papa.  
Philippus Burgundia dux.

Amurathes ignauie arguit Alybassam, accepto cladis nuncio.

præsertim, consilia illius, & animum eò labantem reuocans, aliam belli molem instare diceret, Epiroticam expeditionem tuto & differri, & omitti posse, nunc Hungaricos instare tumultus, in quibus curam ipsius omnem exhauriri debere conduceret. Allata interim regia litera, mouerunt maxime Castriotum, neq; belli vnquam aut iustior causa, aut pulchrior materia visa est: tamen ne quid inconsultis his ageret, quorum maxime opera in gerendis rebus usus erat, coactis ordinibus optimatum suorum, frequenti consilio regias literas coram illis legi iussit, ubi nemo omnium est inuentus, qui id bellum recusandum sentiret, quum accenderet æque cunctos ingentibus irarum stimulis, & pavidas fermè maioris cuiuspiam mali mentes, sollicitaret tanta indies crescentis Ottomana rei magnitudo, & moneret singulos miserabilis rerum Christianarum status, & iniuncta quondam Hungarici imperij fortuna, quam si oppressisset Amurathes, publicum priuatumq; quisque sibi fatum ante oculos proponebat, quum nihil foret usquã virium, quæ melius tam diu inclinatum rem Christianam sustinerent, & datum tot victorijs hostem, tam æterno bello, pariq; odio reprimere. Spes præterea hominum, ita prospero illo belli euentu aucta fuerat, ut traderent ubique se ea fortuna usuros, quum neque ducem, neque hostem sibi, sed locum tantum mutandum cernerent. Conciliare postremo sibi potentissimum ea ætate regem, ad plerasq; fortuna & casuum humanorum varietates, vnusquisq; vel apertè vitæ discrimine censebat. De auxilijs itaq; dandis sine variatione decretum. De numero militum, & quantitate copiarum ducendarum variatum aliquantulum, & consultatio ad noctem tracta. Multa hincinde dicta fuere sententia: aliqui quinq; millia militum, alij octo, pauciores plures decernebant: neque exhauriendam armis provinciam, quum omnia bello arderent, & adhuc forsitan infensus hostis in limitibus Macedonia esset: neque depugnatum crederent, Alybassa semel victo, Amurathis neque vires fractas, neq; animos vlla ex parte diminutos, sed irritatos magis. De Scanderbegi quoque profectioe dubitatum à nonnullis, actumq; ingenti contentione, auxilia tantum mittenda regi. Ipsum sine multo suorum incommodo, ac discrimine rerum omnium, vix dum firmati regni curam, relinquere non posse. Maximum fore domi, militiaq; si opus sit, in eò momenti, nescire populum Albanum alij parere principi, augeri indies omnia, florere præsentis eius consilio, absentem plena omnia squalore ciuium, & lugubri quodam situ animorum omnium generum multitudinis habiturum. Scanderbegus quamuis nihil erat de pristina sententia mutaturus, cum tamen neq; his de profectioe sua, ne ciuium amorem, suorumq; beneuolentiam spernere videretur, dissentire palam posset, neque illis de paucitate militum contradicere, ne inuitos ad bellum alienum trahere, & periculi alicuius aut or esse videretur,

Quid Scanderbegi curi ducibus & præfectis suis super auxilio ferendo Vladislao regi senserit.

Publici, priuatum fatu.

Decernitur auxiliu Hungaris.

De Scanderbegi profectioe dubitatur.

tacendum sibi tunc è re non minus communi, quam sua, esse duxit. Sustulit tamen eas omnes contentiones, sedauitq; tot vno tempore motus animorum, auditus tum Pauli Duchagini sermo, & concitatus in primis, & tanto principe dignus.

Oratio Pauli  
Duchagini re-  
guli Epireni.

Quo sim genere vobiscum orationis hodie usus, Principes Albani & in quam vestrum sententiam iturus, expectatis omnes cupidis fortasse animis, sed frustra id quidem, quum neq; ex Scanderbegi, neque Epiroti-



Leges Concilio-  
riorum vt li-  
bere loquen-  
di, ita pacien-  
ter audiendi.  
Ab alienis pe-  
riculis.  
A tenuitate  
auxilij.

ci imperij dignitate, mihi quicquam elocuti videmini (cum præfatione honoris vestri dixerim) licet prima sint leges conciliorum, sicut libere loquendi, ita patienter audiendi. Quoniam (quantum ad hæc Hungarici belli consultationes attinet) illam ego & probatiorem longe sententiam dicerem, & equiori animo audirem, quæ nullum penitus regi auxilium accreuisset, sed vicina incendia, periculaq; aliena domesticis malis, ac proprijs necessitatibus posthabenda censuisset. Quid enim magis ridiculum, quæso, quam nunc octona millia hominum, nunc quinq; nunc pauciora (si Djs placet) ad tanti belli molem computari à vobis? quasi tanta contentione, potentissimum regem ad ultimum ferme certamen, eam militum paucitatem ab Epirotico nomine exigere credatis? Sequetur is miles Scanderbegum in Varnenses campos? ubi tot omnium publicis & priuatis votis expectatur. Videbunt tot proceres Hungaria, & Christiani exercitus ducem principem vestrum, quem tanta ubique fama præcessit, non cum aliqua exercitus specie, sed quadam potius pradonum simili manu è cornu suo prodeuntem. Namq; si (quod Djs omen auertant) vinci il-  
lum

lum contigerit, victum merito aduersis fatis hostes irridebunt, & sui magis, quod in alienis locis eum hominum numerum duxisset, qui vix domi esset tutus. Victorem modica laus, minora manent præmia. Sed mittenda alius auxilia nouo consilij genere hortatur, tenendum domi Scanderbegum, habendam ciuium rationem, habendam multitudinis incondita, quæ ægre alterius imperium sit passura. En eò iam vertitur omnis disputatio nostra Principes (vt nunc dicebam) vt aut denegetur omne penitus auxilium regi, aut alium vos animum induatis. Mitemus scilicet Hungaris præclara hæc belli præsidia sine Scanderbego, in cuius nomine solo plus est illis præsidij futurum, quam si omnes secum nos habeant cum coniugibus, liberisq; nostris, quem præcipue inuitant omnes, quem singuli exposcunt. Mittamus igitur, si quisquam est qui proficisci velit. Non potestis ciues in ocio sine Scanderbego diem vnum trahere. Poterit armatus miles aliena sequi auspicia? Non domus, non patria tuta sine eo videtur vobis, tutus erit in alieno solo miles procul ab assueto Imperatore? Quid igitur agendum? abhorrent Hungariam copia vestra sine Scanderbego. Vos patriæ amor ac ciuium beneuolentia mordet. Illud non vultis, hoc non potestis Principes, Oportet itaque vos aliter animatos esse, si Vladislai desiderium non respuitis. Ego & maximum delectum, quo celerrime fieri potest modo, habendum censeo, & propositi belli occasionem suscipiendam, neq; formidandum cuiquam de patriæ statu, quum alijs nunc Ottomanum imperium distineatur curis. Victoriæ præterea indubiam ex huius prælij euentu, quis non audacter spondeat sibi? nisi cui suum ita edoctum ingenium pauorem facit. De Scanderbego vero id vnum nemo vestrum negauerit, facilius vos inuenturos virum, qui ciuibus vestris in pace, & iure reddendo, quam ferrum tenentibus militibus, præsit. Sed ne ad hoc magnifica tantum verba attulisse videar vobis, ecce cum quinq; millibus armatorum me ipsum Hungarico bello, pro Christi fide in primis, & vestra omnium, ac Scanderbegi dignitate offero, & si ita res ferat, deuoueo. Mutauit repente omnium animos cum acris Pauli oratio, & liberalis promissa opera, tum magna viri autoritas apud omnes Epiri principes, & Scanderbegum præcipue, qui & ipse omnium primus in eam sententiam descendens, laudare tunc palam eum de omni acta vita, & vni illa die vere pro decore omnium loquutum, felicem dictitans rem Albanam, si multos eius propositi principes haberet. Erat hic Paulus (vt retulimus) tunc Epiri non ignobilis, neq; pœnitendarum virium regulus, religionis præterea, exactiori quodam inter ceteros cultu, maximo in honore apud omnes, præclara illa familia ortus, ex qua tot bellicosissimi duces processere, Nicolaus præsertim Pauli filius, qui in bellica laude paternos auitosq; honores longe superauit. Huius extat adhuc inuictæ virtutis, ac non mortalis (vt ita dicam)

A persona  
Scanderbegi  
non proficuru-  
enda pericu-  
lo.

A præsidij sine  
Scanderbego in-  
firmis.

Pauli Duchagini pietas & liberalis promissio.

Pauli Duchagini dotes.

Nicolai Duchagini celebre factum.



cam) dextera monumentum illud in Peneopoli vrbe Thracia, quae nunc vulgo Prasferem ab incolis dicitur, ubi affixa reliquia hostilis scuti, quod in praelio quodam recenti hominum memoria eodem gladij ictu ita transuersum secuit, ut & pugnantis barbari manum, inutilem deinceps bello reddiderit. Non ab re visum est hoc loco parumper à propositi negocij tenore diuertisse, ut & patrem laudatorem in filio ostenderem, & tam insigne viri facinus edaci obliuione, ac ingrato silentio non aboleretur. De Hungaricis rebus cura omnis, ac potestas ad Castriotum delata, ageret, iuberetq; omnia, quae è sua, generisq; Epirensis dignitate, utilitateq; censeret. Qui ne diutius Vladislai desiderium in ea rerum necessitate remoraretur, antequam edictum aliquod de habendo delectu proposuisset, regium nuncium traditis huiusce generis literis, mox à se dimittit, maximis itineribus proficisci iubet.

Hungaricae res Scanderbegi ad consulendum commissa.

Formaliter & responsio Scanderbegi ad regem Vladislaum.

Scanderbegus Epirensium princeps, Vladislao Hungariae ac Poloniae Regi, S.P.D. Accepi literas tuas laetitia, desiderioq; pari, Inuictissime Regum, quas quum in maxima ducum meorum frequentia legi iussissem, ne-



mo omnium est auditus, qui tam iusti belli occasione à te oblatam, non vltro adeundam censeret. Ita & publice omnes, & priuatim singuli dicere, gratius quicquam hodie à Dijs immortalibus sibi tribui nō potuisse, quam ut & optimum regem aliquo sibi non ingratorū animorum officio deuincirent, & rei Christianae simul tam oportunam operam praestarent. Gausus sum maxime ipse in ea meorū voluntate, tum tua in primis, tum communi causa, quum ita animatos pro Christi fide, & affectos tibi milites nostros, & omnium generum ordines, vel sine ulla adhortatiōe mea viderim, quanquam

quanquam quis nisi Dijs pariter & hominibus inuisus tam iustissimum bellum recusauerit, ut nullus sit religionis pudor, nulla communis periculi ratio, pro eo rege, ad quem, quod regnamus Christiani, quod viuimus, quod spiramus, quod loquimur, vnice referre & possumus & debemus. Quis nō arma libens sumpserit? & in apertum etiam ruat discrimen pro Hungaria populis, quibus tanto malo sanguineq; per omnes atates Christianae salutis defensio stetit, qui vel ab ipsis propè incunabulis aeterni hostium nostrorū hostes, Christiana sese dignitati iam inde deuouerunt. Vtinam vellet Deus Opt. Max. Vladislae, ut possem ipse ad hoc praclarum bellum tibi tantum afferre virium, quantum sum animi & cupiditatis allaturus, nō iaceret diutius fortasse in eo squalore Europa, ab impio oppressa Amurathe non velut piaculo quodam aliorum fumarent toties Hungarico cruore Basilienses ac Varnenses campi, & Epirotico sanguine omnis Macedoniae angulus. Perijmus iam omnes, dum quisq; sibi se tantū natum existimat. Sed quid nunc ipse mecum has inutiles querelas iacto, & nequicquam conqueror? Profecto neq; virium me mearum poenitet omnino, neq; si secundis Dijs acies tecum mihi ad tam faelix bellum coniungere licuerit, fortuna nostra Christianum nomen (ut arbitror) vnquam poenitebit. Ad ea namq; 15. millia militum, quae in Macedonia sinibus nuper Alybassam fuderunt, totidem adycere in animo est. Cum quibus quamprimū integrum fuerit ad vos iter arripiam, signa tua in omnem euentum secuturus. Vale. Ex Croia, pride Nonas Sextiles, M. CCCCXLIII.

Datis ad Regem literis, ipse toto animo ad delectū faciendū se conuertit. Copias quas contra Alybassam habuerat, primū omnium iubet instaurari, multi integri quoque abstinere ab eius belli apparatu, nihil prohibiti ab ipso, ita neq; inutiles alicuius, & omni voluntariorum opera usurum se ad eam rem statuerat. Decreto inde per provinciam interposito, mox decem millia hominum scripta. Paulus quem nuper in concilio verbis declarauerat animum, factis tunc pulcherrime aperuit. Nam procedens inter primos, quing; millia lectissimorum militum, seq; cum illis Scanderbego tradidit. Tunc domesticis rebus, ac provincialium negocijs prius compositis, omni recensito exercitu, Castriotus ordines distinguit, ac diuisis, ut opere precium videbatur legionibus, suos quibusque ductores dicit, velut iam inde bellum Hungaricum esset auspicandum. Deinde pro victoria supplicationes ab omnibus factae. Nunquā ab Epirotico bellicosiori magis, quam religiosiori populo tot precibus Deus fatigatus. Ita ab ituro extra patriam milite, nullis votis pro reditu parsum. Sic diuinis humanisq; rebus ritē peractis, abstractus à patria miles, alium iam sibi animum induerat. Sola Hungarici belli, sola assueti, ac foedi nuper in sanguine hostis species ante oculos obuersabatur. Magno itaque gaudio iam Mysiae fines intrabat signifer,

Scanderbeg operam suam offert Vladislao.

Basilienses à Basilia aliās dicta Balia. Vide Pli. lib. 4. ca. 13. de insulis Ponti.

Scanderbeg conficit exercitum Hungaro auxiliaturus.

Supplicationes factae pro victoria.

Irato Deo pug-  
nare contra  
Turcam.

Georgius Vu-  
chouichius  
atheos.  
Pernicies  
Hungariæ.

Ioannes Ca-  
pistranus.

Ioannes Trã-  
siluanus.

gnifer, quando vel fortuna immitis, vel immotus fatorum ordo, vel sup-  
plicio quidem propior apud superos sordium Christianorum indignitas,  
vnius hominis perfidiam excitet ad ea omnia impedienda, turbandaq̃,  
et simul perpetuos Hungaris luctus, ac tam insignem cladem nomini Chri-  
stiano infligendam. Erat hic Georgius Vuchouichius, de quo sapius men-  
tio facta nobis est, tum eius prouincia princeps Despotes Seruie vulgo di-  
ctus, ita sumpto vocabulo, vir (si quicquam ista ad bonos mores prodes-  
sent) et corporis decore, ac maiestate oris non vulgari, facundia vero, ac  
sermonis grauitate, si quis alius venerabilis, familia nobili, vetustissima-  
q̃, atate quidem prouecta. Religionis autem et fidei (ne id scelerum eius  
omittamus) neglector, ut nullus fermè deorum cultus in perniciosissimo  
hominis caderet ingenio, aque et Christiana praecepta, et Macome-  
thi leges spernebat. Semel quum diu post hoc Varnense praelium nonage-  
narius senex, Meumethem fugiens, in Hungariam ad auxilia petenda  
venisset, agenti multa secum de Christi fide, Joanni illi Capistrano re-  
spondisse fertur, Laqueo citius vitam finire persuaderi sibi posse, quam im-  
butas patrum traditiones relinquere: sicq̃, abuisse è conspectu iterantem  
sapius, malle se à ciuibus suis infelicem principem, quam delirum senem  
dici. Is igitur Turcarum tunc enixe partes fouebat, tum ob collocatam in  
matrimonium Amurathi Cathagusinam filiam, tum propter odium in  
Hungaros, Joannem praesertim Transiluanum. Cuius quum opera olim  
(ut in liberatione Scanderbegi supra retulimus) contra Amurathem  
adiutus esset, et in regnum restitutus, quadam Seruie oppida, quæ Hun-  
niades in virtutis mercedem retinuerat, non reddita sibi, equo animo  
perferre non poterat. Quare audito Hungarici belli apparatu, et Scan-  
derbegi aduentu, transitus ei omnes, vias et itinera praclusit. Conatus  
est ne quicquam Scanderbegus monere per nuncios Despotem, et leniori-  
bus verbis agere, ne maleficio praoccuparet se, quando nulla subesset in-  
iuria causa, et hostem vellet ex amico, vicinorq̃, simul, et totius Hunga-  
riæ, et Epirotica in se arma sollicitare, à tergo, à fronte hostem omni tem-  
pore habiturum, nisi nunc ad se cum Vladislai copijs iungendum, liber le-  
gionibus suis pateret aditus, ne patiatur grauem aliquam iacturam rei  
Christiana, quæ et se pariter cum omni imperio exhauriat. Dum tantum  
filia cum amor Amurathi conciliat, satis et generi perfidiam, et Hunga-  
rorum beneficia expertum. Quum nihil prodesse hæc apud perditum  
hominem, neque ullam nisi in armis spem erumpendi cerneret Castriotus,  
quamuis molestum erat, et periculosum, videbatur iam inde belli labores  
ordiri, qui recentes suorum vires aduersus regium seruabat exercitum,  
viam tamè ferro aperire si posset, pulchrius est visum. Dum sic in Mysia  
finibus irritatus Epiorensis exercitus per multa incòmoda moram trahit,  
et Scan-

et Scanderbegi iter Despotes tardat magis quam impedit. Erupisset enim  
tandem, quamuis non incruento milite, et vicisset omnia pertinax ducis  
virtus. Vladislaus interim tum literis Scanderbegi erectus, tum magis fa-  
to trahente ductus Valachia transmissa, Danubioq̃ superato, cum copijs  
Christianis Varnam attigerat, ut inde per plana locorū itinere faciliori  
in Romaniam signis infestis pergeret: campestris is locus est in Mysia si-  
nibus ab alia parte situs, nobilis iamdiu tot exercituum strage, et iniuriam

Valachia.  
Varna.

Romania.



vel fortissimis bellatoribus solum. Amurathem tamen cum hostilibus co-  
pijs, interim Hungarus alacribus animis, et ingēti cupiditate expectabat,  
nullo loco satis tempore eue detrectaturus pugnam, ubi hostis facultas ad  
esset. Turcarum exercitus segnior aliquantulum, prater spem omnium  
Christianis occurrit: nam quum Amurathi Græcorum, et suorum etiam,  
qui in Europa manebant, fides suspecta esset, exercitum ex Asiatico milite  
cōparauerat: sed quia classis Romana, Philippiq̃, freti trauciendi spem ab-  
stulerat, diu inops animi trepidabat, magisq̃, consulebat, donec Christia-  
ni quidam (si vera est fama) ea Ottomanum cura exoluere, polliciti nauis  
suis, accepta mercede, copias in Europam transportare, sicq̃, in angusto  
quodam loco, quod inter Propontidem, et Euxinum pelagus spacij inter-  
iacet, Europam ab Asia discriminans, Asianus transuectus est, aureo  
nummo à singulis vectori tradito, centum millia fuisse ferunt. Quum tam  
immensis copijs Amurathem aduentare fama pramonuisset, Vladislaus,  
cateriq̃, auxiliarij principes de fuga agere cum suis cœperunt, et dum in-  
tegrum esset, consulendum saluti omnium, barbaro cum ea multitudine  
uenienti, sine maxima totius exercitus pernicie occurri non posse. Vnius

Propontis.  
Vide Pli. lib.  
4. c. 12.  
Euxinum pe-  
lagus.

Aduentus A-  
murathis in  
Europam cen-  
tum millibus

Hunniadis  
inagnanimi-  
tas.

Nota: Turcas  
semper plus  
nominis  
quàm virium  
adferre ad  
bellum.

tamen Hunniadis sententia vicit, qui per maximum contemptum hostis, omnem ex suorum animis fugam memoriam aboleuit, quum expertum se toties Turcas diceret: Plus nominis semper, quam virium ad bellum afferre consuevit, demptoq; eo nominis fulgore, feminas certe fore, atque longo intervallo Hungaris impares. Expectatus itaque hostis est, quo viso, Hunniadem, qui ceterorum prius arguerat timorem, presenti tamen re & periculo percussus, fugam suasisse regi ferunt. Multaq; hic de illo sinistre vulgata sunt facta, & quod in ipso pugna ardore, dum Vladislaus fermè victoriam è manibus Amurathi extorsisset, cum decem suorum millibus aufugisset, nonnulli ausi sunt affirmare. Ego in re tam incerta maluerim sequi illorum sententiam, qui nuncij postea, & reliquia eius cladis ad Scanderbegum in Macedoniam venere. Hunniadem aequè visas ac auditas Turcarum copias contempsisse, in bello pari animo ac virtute usum, primoq; ferme impetu Europa atq; Asia præfectos maxima edita strage in fugam conuertisse, eosq; terga hostium cadendo late insecutum, donec ex alia parte Vladislaus spreto Joannis consilio, qui illum è castris egredi prohibuerat, nisi se cum victoria reuersum vidisset, tum suorum quorundam funesta adhortatione impulsus, qui dicerent Ioannem regis gloriæ inuidisse, & idcirco ab eo in castris relictum, ut omnis victoria laus apud se foret, tamen ob statem impatiens. Adolescens enim erat castris infelici auspicio egressus, in Amurathis cohortem impetu alacriter factò, aliquandiu circa munimenta hostiù acrius quàm cautius dimicans obruncatus est, caput eius hasta infixum, visumq; tum desperatam iam victoriam Turcis restituit, tum Hungaros, Hunniademq; hostium tergo instantem, terga dare mutata fortuna coëgit. Fugientem eum postea in Seruiam, Georgius cepit, sedeq; in vincula coniectum, non prius dimisit, quàm illa, quæ diximus, imperij sui oppida habuit. Hic euentus fuit tam memorabilis belli, quod victoris certe quam victi maiori emptum sanguine perhibetur. Quamobrem Amurathem post exhausta iam hæc pericula mestriorem visum, obiurgatum à suis dixisse ferunt: Nollem sæpe ita vincere, poterunt merito me equidem conqueri semper Christiani de Despotis perfidia, qui Epirotica auxilia è prælio subtraxit. Ut nulla enim futura fuerit tot millium hominum opera, quid non excellens præstitisset? Quam non traxisset belli fortunam à Scanderbego, adiuta Hunniadis virtus? Quid eo præterea pulchrius spectaculum vlla vidisset atas? Fortissimi milites ambo quando opus erat, idemq; optimi imperatores: Virium vi maxima, vigore animorum pares. Felicior hic noster bellator, fortunæq; maiori afflatu semper usus, ut ex omni deinceps vita tenore apparuit. Prouectior Hunniades, & militia, & ætate iunior: hic prælia licet pauciora, secundo tamen omnia fecerat euentu, singulari certamine non minus quàm ordinario


Vladislaus  
occiditur  
spreto Hun-  
niadis confi-  
lio.

inario Marte assuetus, & felix. Militum animis accepti ambo, sed latiori ingenio Scanderbegus, Hungaricum ille ac Valachum militem nunquam fermè mutauit. Hic Italorum opera frequenter usus in rebus gerendis, & eorum consilijs armorumq; usu delectatus. Hostem nisi barbaricum non noui Hunniades. Castriotus ex Italo bello, & Neapolitani regni liberatione non minus fermè, quàm ex barbaricis triumphis nominis sibi & gloria vendicauit. Postquam fama Christiana cladis iam ubique peruagata est, & Hungarorum exercitum fufum, deletumq;, Scanderbego adhuc in Mysia finibus degenti, nunciatum est, dolore penè confectus, multaq; diu voluens animo, iam conuersis signis abire constituit. Ne tamen inultus ex omni parte foret dolor, & Georgij perfidiam aliqua vlcisceretur re, mox infesto exercitu, Despoticum & hostilem agrum irrumpens, latèq; depopulatus, omnia igni, ferroq; absumpsit. Reuertenti in Epirum, passim Hungari, Poloniq;, qui ex ea superfuerant clade, ut quosq; fuga fortunaq; sua contulerat, occurrebant, quos liberaliter habitos, cultosq;, & ut in calamitate tali pecunijs, ac multorum cibarijs dierum adiutos, nauigijs imposuit, qui Ragusum transportati inde in Hungariam reuersi sunt.

Castriotus  
cladem Hun-  
garicam agere  
ferens, agrum  
Despoticum  
diripit  
incendit

Scanderbegus  
humanitas  
erga reliquos  
cladis Vene-  
nenfis,

K 3 MARINI



De vita & gestis Scanderbegi,  
**MARINI BARLETII DE**  
**VITA ET GESTIS SCAN-**  
**DERBEGI, LIBER TERTIVS.**



Amurathes sollicitatus à suis, ut bellū Scanderbego inferret, pacē ab eo literis fraudulenter doloseq; frustra petit.

**A**MURATHES Hungarico exercitu deleto, neque victoriam est vlla ex parte, neque arridentem fortunam prosecutus, ita ut diminuti potius ex eo belli euentu, quam aucti animi eius viderentur, & tot vno tempore clades alia super aliam, abstinere tam victores ab omni belli cupidine cogebant. De Epiroticis itaq; rebus, que dilata fuerant, eo consilio, ne duplici onere res Ottomana aggrauata essent, nihil actum est omnino: interrupt tamen omnia, accenditq; sopitos, & veluti oblitos iam iniuriarum animos, recentibus irarum stimulis, nouus ac frequens nuncijs, nunc à Despote, nunc à Macedonia, sinibus, hostilibus vndiq; armis, atq; Scanderbegi exercitu omnia deleta, desertaq; ferebantur. Iam non agrorum, non villarum esse, non ceterarum rerum vestigia, cuncta ferro absumpta, incendioq; arsisse, agrestes trucidatos, nisi quos fuga seruauerat, Christianum exercitum præter subitaneas quasdam, & leues excursionones iam bis totis signis impune irrupisse, & tantum abactum prædæ, agrestisq; patrimonij, quod ex ea sola pecunia commode sit Castriotus Ottomanum longo bello pulsaturus. Res Christianorum florere indies magis, ociosos agrestes, nunquam culturam agrorum omissam, omnium rerum illis affatim copiam exhiberi, se præter hostem assiduum, famem quoq; iam iam imminen-

imminentem timere, quia tot excursionibus sementem facere prohibiti sint. Georgius quoque querelis cuncta repleuerat, & generis auxilium implorauerat, se desperatis fermè rebus Turcarum non defuisse, eorumq; pericula suo discrimine & sanguine propulsa, quibus vix ope deorū omnium consuli potuisset, & imminens exitium Ottomano imperio, imperij sui corpore protexisse, Epiroticas copias diutius translato in se bello, de Hungaris ab altera Mysia parte expectantibus iungerentur, maximis provincialium incommodis sustinuisse, arcuisseq;, ac corpora suorum pro munimentis Scanderbego opposuisse. Cogitaret in quo statu res Turcarum nunc, nisi Epirotica auxilia Hungarico bello eius diligentia fuissent subtracta, quando sola Vladislai copia tam cruentam sibi victoriam fecerint: nunc se quod miseratus fuerit eius fortunam ad Hungarorum odia, veteresq; similitates Scanderbegi quoque, & vicinorum in se omnium arma concitasse, pœnamq; immerito eius beneficij luere, Scanderbegum non Amurathem victorem videri ex Hungarico pralio, ita composito agmine nunc suis, nunc eorum sinibus insultare, nihil iam se vsquam præter omnia hostilia aspicere. Medium quodammodo inter Hungaros, Epirotasq; bellicosissimos populos imparem fore eorum viribus, ni gener curam eius susciperet, quem ipse in angustijs rebus tanto beneficio præoccupasset. Nouerunt maxime omnes tum provincialium querela, tum Despotis recens meritum, Scanderbegi præterea vires tunc opprimendas, & opprimi tutius posse rebantur, ne sensim per ruinas illas agrorum, & tot oppidanorum vexationes, totius vendicanda Macedonia occasionem quereret. Odium eius in se, ac efferatam rabiem satis ex eo nuper percipi potuisse omnes dicebant, quod omni fermè presidio provinciam exhauserit, & vacua omnia custode reliquerit, ut ad eorum nomen delendum Vladislao cum copijs suis præsto esset. Ni cito reprimatur ea ferocia, ceterorum Christianorum continuo arma in se sollicitaturum. Propior itaque ad bellum erat Amurathes, & è vestigio delectum, armaq; iussisset: sed quia tum magna ex parte militaris atas Hungarico bello exhausta erat, & Alybasse fortuna recentis adhuc cladis memoriam refricabat, tum quia iam senior ipse in quiete reliquum vita tempus transigere cupiebat, tam vanum quam nouum consilij genus est meditatus, quo notis artibus, ac sælici toties apud alios mendacio, captaret hominē, quem armis superare non posset. Non extraneum me equidem fore duxi, neq; ingratum forsan legentium animis, characterem literarum Ottomani hoc loco contexuisse, quibus Scanderbegi ingenium sollicitare, & in omnes partes versare conatus est.

Amurathes Ottomanus Turcarum princeps, atque Orientis Imperator,

Literæ Amurathis Ottomanis ad Scanderbegum.

tor, Scanderbego alumno ingratisimo, nullam salutem D. Officia, quibus te ornarem omni tempore, dum apud me ageres, nunquam defuerunt



mibi, Scanderbego hominum ingratisime. Verba nunc quibus alloquar, defunt, ita multiplici tu scelere perfidiaque, animum meum offendisti, lesisti dignitatem, ut quo sim genere orationis apud te presertim domesticum usurus, nec consilium, nec modus suppeditet. Neque enim vel atrocior sermo, demoliturus est ferox suapte natura ingenium, vel mitiori tu dignus oratione, qui feritatem omnem longe superasti, et ne quam mei irritandi ommitteres, eo es nuper amentia progressus, ut vel propria incommoda, et civium tuorum salutem, Hungaricis contra me sumptis armis posthabueris. Piget proloqui alia, et velut vulnera quadam attingere, si modo obliuisci unquam pateretur animus, vel silentio tegenda forent tot nefaria tua fraudes, et ingratisimi animi exempla. Nonendum tamen aliquando, licet sero fortasse duxi, ne ea te ferocia prapropere cum tuo isto funesto imperio precipitem agat, et tunc diuini huius erroris confessionem exhibere velis, quum iam nullam tibi opem desperatis rebus omnibus reliquam feceris. Satis tot tuas hucusque iniurias pertulimus: sat multis Ottomanum imperium contumelijs lacestisti, et tot ad mala patientem me satis prestiti. Impune tibi proditus ille in Hungaria exercitus cessisse existimas? Impune tot direpta in Epiro a corpore imperij mei oppida, et caesa presidia? impune et hac (recentiora loquor) cessura credis? deletum Alybassa exercitum, tot agrorum vastationes et incendia? nouiterque adiutos, quantum in te fuit, Hungarici bellitumultus, ac Georgij foceris, quod te abstinere ab imperij sui limitibus voluisset, late depopulatus ager

Catalogus malorum, quae Scanderbeg intulit Turcæ.

tus ager? Respicias tandem aliquando improbe, neque expectes diutius quorsum sit hac indignatio mea eruptura. Ne leuisscula hac secundarum rerum incrementa, eo stolidum desiderium prouehant, et acuant libidinem, ut miserabilior postea fortuna tua, vel in senso cuiquam atque ipsi mibi miserationem commouere queat. Memineris aliquando (si quid iam residet in perditio ingenio humanitatis) meorum officiorum, ne tam male in te locata longius deplorem. Quamuis non ciuili sit animi, commemorare ea, qua in aliquem liberaliter contuleris: ingratisimi tamen est, prateritorum meritorum sic facile obliuisci potuisse. Quare non possum non dolere hoc loco sortem tuam Scanderbege, et miseratione quadam affici rerum tuarum. Ut enim omittam anima salutem (id quod tu ad extremum perditus homo pro nihilo habes) ut spretas Macomethi leges, et contemptum a te diuinum Prophetam, pra Christianis superstitionibus taceam. Quid eorum, qua magis caca hominum ingenia delectant, defuit unquam a me tibi, hasce pauperis regni tui sordes tanti hodie estimanti? An arma, an equi, an longus seruatorum ordo, an pecuniarum, rerumque ceterarum superfluentia, qua omnem aetatem solent allicere, an exercenda virtutis, et totius gloria materia tibi deerat? An domi militiaque, negata dignitates, praefectura, et cuiusvis generis pares tuae aetati honores, in aula demum quis te unquam charior mibi? qua acceptior indoles non peregrina tantum, sed magis intima domesticaque unquam fuit? Qua diligentia, institutioneque infantem ferme ad me delatum, educare curavi, et bonis artibus, ac optimis moribus alui, auxiisque crescentem indies virtutem, tum premijs, tum omnimodis laudibus, et ita bellico decore (quo nihil pulchrius est in rebus humanis) omni tempore exornavi, ut nullo certaminis genere, vel notior apud me miles, vel dux clarior haberetur. Pro hisce tu beneficijs eum te exhibes hodie Scanderbege, ut non modo non quem putaram virum, sed pestem quandam intra parietes meos aluisse videar. Sed age patria te amor sollicitabat, quam si a me petisses, negaturus ne tibi eram, quum iam toties, si meminisse potes, ultro eam tibi promiserim? Maluisti tu tamen eam per maleficium ipse, quam a me beneficio habere. Habeas igitur Dijs approbantibus, neque me reprobante, et profecto qua sum animi clementia erga quoscumque mibi aliquo tempore familiares, et cognitos, omnium nunc ipse tibi veniam trado, non tuo praesenti merito, quod nullum est, sed quia et in hoc publico odio, tum priuatim in te collati officij, tum praestita tua olim in rebus meis fidei libet meminisse, quando quidem multo diuturnius tempus fuit, in quo seruiuisti, quam in quo offendisti. Croiam et regnum paternum tibi, licet nefaria fraude vendicaris, concedimus ea lege, ut cetera Epiri oppida, qua nullo ad te iure pertinent, sed virtute ipse quondam mibi, ac belli fortuna quasiui, ultro re-

Turca ingratisitudinis accusat Scanderbegum.

Macomethi leges.

tro restituas. Myssurum res socero meo incorruptas, quoad magis fieri potest, quamprimum reddas, & cetera, quae absunt, aestimata pecunia rependas. Deincepsq; in omne tempus, tam eum, quem nos amicum habuerimus, violari à te, quam hostes meos aliqua iniuare opera, nefarium censeas. Sic & Turcarum odia effugies in perpetuum, & idem erit apud me tibi amoris, & benevolentia locus, qui antea fuit, nisi malueris malo edoctus tuo, tum poenitentia frustra locū querere, cum audacia istac tua & ferocia me presentem implacabilem ultorem habeat. Nosti iam vires meas, nosti exercitus robur. Habes ante oculos Hungarica fortuna non leue documentum, quare longiori admonitione non indiges. Ceterum quicquid es ipse facturus, scribere te ad summum velim. Poteris etiam cum Ayradino nostro coram agere, homine & certo, & fideli, à quo & alia plura audies, quae non sunt literis commissa. Vale, si sapias. Ex Adrinopoli 17. Kalen. Iulij, à generatione Iesu M. CCCCXLIII.

Ayradinus.

Inanes literae.

In anibus literis fides non habita à Scanderbego, sed spreta aequae cum ipso autore sunt. Non defuerunt tamen, qui dicerent, à presenti Amurathis consilio, dolum omnem abfuisse, necessarioq; id timori ascriberent: coactum tyrannum ad hasce pacis conditiones propter Hungaricum metum, & grauiorem iam senectam deuolutam fuisse. Meumethis quoq; filij à atem imperij oneribus impari, sollicitudinem patris intendisse. Scanderbegi praeterea vires ex recenti illa Alybassa clade metiri, simulq; fidem tot Epiri populorum in illum, ac gratiam eius apud Christianos principes indies crescentem, vereri, mentiri tamen illum, dum restitui sibi oppida illa, & Epiri partem, dum refici damna sociorum à Scanderbego dissimulato pauore petit: multa proposuisse iniqua, ut aliqua aequa ferat: eam habiturum pacem, eas conditiones subiturum, quas dederit Castrionus: neque de amissa iam Epiri possessione, aut Mysiorum rebus mentionem facturum amplius, dummodo ab armis abstineat Epiensis. Componi autem eo modo cum Ottomanis, & inducias aliquas fieri, nec inutile, nec indecorum fore, quum ipse praesertim prior ad hoc inuitasset, & alioquin ad multas provincialium commoditates id facere, bellorum euentus incertissimos esse, stolidè arma paci praeponi, non fidendum felicibus primordijs fortuna, & Hungaros plura quam se aduersus Ottomanum felicia praelia gessisse, nunc tamen recenti illa obrutos clade ingentia damna frustra recensere. Occupandum potius hostis animum beneficio aliquo, quam irritandum longius, si pax ab eo ultro quaesita spernatur. Scanderbegus tamen in ea paucorum sententia (licet & vera aliqua dicerentur) improbare audacter eorum consilia, conqueriq; quod Ottomanas artes Epiotica gens omnium ultima, maximo suo malo scitura foret, Amurathes inanes literas, inaniorem quae sibi haberetur fidem inuenisse, spectatorem Ayradinum

Per Epiensem Scanderbegum intelligit.

Non fidendum fortunae primordijs.

dinum apud stolidi ingenia suorum oratorem censerit, & caduceatorem missum, adhuc & si nihil eorum timeatur, & omnia sint propiora vero, quid tanta leuitatis esset, quam hosti magis etiam, quam rebus suis credere, & ab aliena fortuna, belli, pacisq; consilia mutare, quum à sua possent: Faterise, & Amurathem effeta iam aetate, & Turcarum perniciem, in Varnensi praelio, & alia, quae ad deponenda tunc barbarorum arma maxime inuident, sed nunquid ea ad deprimendos Epiri animos proficerent, vel tollendos magis? An ad eas pacis condiciones subeundas, quas victus hostis, victoribus offerre audeat? Neq; momentum fieri, quod admittendas quasdam, respuestas alias dicerent, utroq; modo foedissimam pacem futuram, neq; effici posse, ut Ottomanus pauorem animorum & diffidentiam eorum non cognosceret. Agerentur tamen, qui turum crederent aliquantisper Amurathem, dum nondum omnino sedatos Hungarica cladis tumultus, & exorientes iam ignes extinguat, pace interim sua gauisuros Epiotas, quousq; plenis viribus, totoq; bello in eos verso, ne quicquam violatum foedus pratendentes opprimat, neq; tamen eam esse aetatem Ottomanis, quae adhuc ad bella gerenda non sufficeret, consilium spectari in Imperatore, non manum, prudentiamq; ducum se magis, quam promptam bello dexteram, ac stultam, infelicemq; temeritatem semper timere consueisse. Canere in effeto corpore vegetum ingenium, hostilesq; spiritus, sed & si nulla esset Amurathis opera, non hostem sibi ideo defuturum. Breue praeterea commodum pacis, cum morti propiori sene fieri posse, erupturum in maiores apparatus ferox Meumethis ingenium. Se igitur pacem, quum arma utiliora essent: bellum, quum ocium mallet, habituros. Nihil tunc, nisi Turcarum commodis consuli ab Epiensibus, quae ratio esset expetenda pacis, quum victoriam in manibus haberent, quum hostis apertam confessionem cernebant? Cur non fortuna sequerentur afflatus, & oblata ultro fruerentur occasione? Cuius si praetervolasset opportunitas, omisam postea, ne quicquam sint dolituri. Turpe tum de pace fieri mentionem, quum vix vulnera ex recenti illo Alybassa praelio coaluerint viris. Recuperarent prius auorum sedes, & tot populorum suorum libertatem vindicarent. Tum demum pacis consilia honorifice, vel proponi, vel admitti posse. Adeone Vladislai clades tam insigne illis documentum pauoris dedisset, ut magis Epiotarum animos, quam Hungarorum ea belli fortuna ab armis alienasset? ( ferebantur namq; incerta quadam vulgi voces, Hunniadem ad delendam illam Varnensem ignominiam, animum conuertisse, & tacite de instaurando exercitu cogitare ) Commoti sunt maxime ex eo omnium animi. In hoc igitur, sicut & in alijs rebus, obtemperatum Scanderbego, quin poenitebat homines aliquid esse eloquutos, quod ipse non probaret, ne cuius belli consilia secuti essent, ea in vlla rerum suarum fortuna aspernari viderentur.

Consilium in Imperatore spectandum, non manus.

Castrionus itaq; primum omnium Ottomanum nuncio ad se vocato, pluribus cum eo egit, nunc omni teste semoto, nunc palam suorum audiente concione multa, tum publicarum, tum domesticarum cladum enumeratione de Amurathis perfidia est conquestus. Dehinc illo perbenigne habito, laudissimeq; per aliquot dies accepto, & pari animo, fiduciaq; (ne timoris alius sibi ipse conscius exploratori, quem putabat, videretur) ducto per ocium secum ad munimenta singula, & militum stationes visendas, ac omnem castrorum formam contemplandam, cum huiusmodi sententia literis illum à se dimisit.

Responso  
Scanderbegi  
ad epistolas  
Amurathis.

Qui mode-  
stus in superior  
eie.

Athleta Christi Georgius Castrionus, alias Scanderbegus, Epirotarum princeps, Amurathi Ottomanum Turcarum principi S. D. Superasti olim tu me (ut scribis) multiplici genere officiorum, ego te hodie modestia, & lingua temperamento vincam. Neque enim quicquam tam seruilis ingenij esse puto, quam vel apud infestissimum hostem ea sceditate sermonis, & petulantia dicendi, abstinere non potuisse. Quare & literas tuas, & nuncium a quo animo accepimus, vidimusq; & risum (ut vera fatear) magis excitarunt mihi tuae literae, quam mouerunt stomachum, dum vel in ipso statim dicendi ingressu, tanta ingratitude & perfidia audes me instigare, & rursus leniori quodam ingenio ductus, anima mea iacturam recenset, miserissimi fati tui ignarus, ac longi erroris studiosus defensor. Deumq; nullo belli iure, ordineq; rerum seruato, imprudenter, ne dicam impudenter, tanquam victor victo multas pacis conditiones proponis, & eas praesertim, quas libere aures vix queant audire. Ego quidem Amurathes, quamuis tot tuae maledictae possent, vel patientissimum quemque ad maledicendum armare, concedo tamen aliqua aetate, & liberiori senis ingenio, dolori reliqua, quem difficile est temperare, praesertim quod ipse non iurgis tecum, conuictusq; sed armis, & iusta belli ira certare institui. Quid tamen, queso Ottomanum, ita Deos hominesq; accusas, quasi prior sis à me hostilia passus, non prior intuleris? ita ne necessariam à te defectionem perfidiam appellas? Scelus obijcis mihi, recuperatam ingenio & virtute patriam? Sed age obijcias, nihil enim recusato, ut horum me reum criminum in omnia secula efferas. Officia quoque in me tua, quae longo ordine recenset, commemorasq; recordarer & ipse libenter, ni ingentium omnium malorum memoriam, hac traheret secum cognitio, quasi forent inuicem compensanda, obrueretur sanè maioribus undecumq; maleficijs tanta magnitudo tuorum meritorum, reputare tamen ea tecum te ipsum, quam me referente erubescere malo. Miretur sanè illud unum unusquisq; qui sciat, quomodo aut ipse ad ea patiendae suffecerim, aut te non aliquo tempore tanta crudelitatis, odiorumq; satietas ceperit. Abstuleras regnum patrum mihi, necaueras fratres, meq; ipsum nihil tale timentem, iam pridem nefaria

Diluit obie-  
ctionem de  
scelere & in-  
gratitudine.

ria morti deuoueras, & nouum adeò nunc videtur Amurathes, quod tunc non immemor libertatis animus, tanta seruitutis effugium aliquod conquisisset. Quousq; tandem dominationem tam superbam laurum me putasti? Pertuli tamen multa diutius, neque iugum apud te ullo tempore detrectavi. Pericula publica aequae ac priuata, tum ultro ipse, tum iussu tuo adij per omnem aetatem. Serebantur colloquia de te quotidie, & frequens apud me erat de insidijs tuis sermo amicorum. Ego tamen & verbis & factis tuis, fraudem omnem abesse diutius credidi, donec improba sese consilia late aperuerunt. Dissimulaui tunc & ipse, totus in tuas artes versus, quousq; aliqua vendicanda libertatis occasio affulsisset. Nihil est igitur quod doleas nunc, quum tuo (ut aiunt) perieris exemplo. Parua tamen haec Ottomanum sunt instar eorum, quae spe ac animi cupiditate concepi. Ommitte itaque imposteriorum acres istos minarum aculeos, & Hungaricae fortuna nobis toties subijcere desistas exemplum, suum quisq; animum habet, mihi Princeps, suum genium, & nobis ea fortuna, quam Dijs dederint, patienter erit ferenda: interim tamen neq; consilia rerum gerendarum petimus ab hoste, neq; pacem ex te, sed victoriam Dijs propicijs quarimus. Vale. Ex castris nostris, pridie idus Sextiles. M. CCCCXLIII.

Libertas:

victoria:

Quum literas Castrionis inspexisset Ottomanus, & ab Ayradino reliqua eius consilia didicisset, nihil quidem eorum, quae nunciabantur, lato animo audiuit, sed tum ferox, ac libera viri oratio, tum fiducia ingens, quam non ex nihilo conceptam putabat, magis pauorem quendam iniecit, quam irritati eousq; animi indignationem acuit, & difficultatem belli Epirotici iam inde ominatus est Amurathes. Ne tamen suis tunc aliquod trepidationis signum praebere videretur, dixisse ferunt senile mentum sapius demulcetum, ac ridenti similem: Cupis cupis improbe, speciosum aliquod lati nomen. Dabimus, dabimus (mihi crede) aderimus ipsi alumni exequijs, & praesentes iniusti, pompam funeris, maxime rex Albanorum prosequemur, ne unquam apud inferos ignobili te functum fato conqueri possis. Haerebat tamen consilium tyranni in ea rerum difficultate. Nam orientes quotidie rumores de Hunniade, & frequentes à perfido Despote nuncij, quem duplici iam insignem prodicione, nimis inuidiose fata tanto Christianorum malo eousque perniciosum senem seruauere, aliò eius animum trahabant, & integrum in Epirum bellum conuertere prohibebant. Ne tamen inulta tum foret omnino, spretè receter foederis iniuria, statuit interim ocium saltem, & pacem turbare Scanderbegi, si tollere nequiret, opportunum maxime ex eo id genus consilij ratus, quod negligentiam quandam ortam apud Christianos ex tot bene gestis rebus audiebat, & Scanderbegum dimisso exercitu, toto milite populabundum, tota die à castris procul intrepide solitum vagari percipiebat. Accersito itaque Feriso,

Negligentiam  
apud Christianos  
nos ex rebus  
bene gestis:

Ferisus cum 9. millibus mittitur contra Scanderbegum. uno ex praefectis suis ( id erat nomen barbaro viro ) & ferocis ingenij, & ad omnia impigro, nouem millia lectissimorum equitum ei tradit, multisq; oneratum promissis, si voti compos victoriam retulisset, in Epirum,



quo maturius posset, & cautius, ut prius hosti visus, quam auditus foret, proficisci iubet. Idcirco neque delectum tunc maiorem haberi visum Ottomanis, ne vel dispendium esset in mora, vel rumore praeeunte, excitatum Christianus consilio adhibito periculum caueret, ac nouas ( ut postea docuit euentus ) artificii tenderet insidias. Verumenimvero dum hac ipse tam affirmit audacter de varijs consilijs Amurathis, tum in bellorum externorum cura, tum de ipsa imperij gubernatione, non defuturos multos reor, qui mirentur, de eo hanc nostram ab alijs varietatem sentiendi, & sedulo querant, unde in tam alienum opinionis genus mutatus. Quum recens multorum asseuerantium sit memoria ( id quod scriptis etiam aliorum posteris testatum licet intueri ) seniore Amurathem mox illo ad Varnam expedito bello, plura tum de incommodis regnantium, tum fortuna temeritate conquerentem, compositis tamen prius rebus domesticis, ac Meumethem filio maiore natu, sub Calybassa cura constituto, imperio se penitus abdicasse, & Adrianopoli relicta, in Asiam profectum, ibi pondere omnium rerum publicarum omisso, religioni cuidam patrio ritu, retentis paucis secum, eius consilij socijs, se addixisse, neque abscessisse prius, quam auditus Transilvani ad Sophiam fuerit aduentus, & crebrae populi querela eum reuocassent, quum imparem ob atatem ei oneri Meumethem iactarent, & Calybassa priuatis sane auspicijs defutura obsequia militum, & obedientiam in

Sententiae variant de imperio Amurathis.

am in bello dicerent. Ego quidem miror praecipue, unde tantus error in re praesertim tam recenti habuerit originem. Neque enim ita temerarium in eo nonnullorum sermonem, & grauisimorum scriptorum consilium omnino vanum dicere ausim. Vnum tamen illud intrepide possum affirmare, & meo iure contendere, & superiores fuisse ex Adrianopoli Amurathis nomine missas literas, & Ferisum, ac plures alios praefectos post tentatam nequicquam pacem, eo decernente, in Epirum irrupisse, sed non ex eo eius erroris processit vis. Nullus enim temporum confundetur ordo, si ista quoque ab Amurathe, antequam renunciasset imperio, transacta concederemus. Illud profecto quiescere non sinit animus, quod vel mortem ipsam tyranni ex Epiro in Asiam tam imprudenter video translata, quo quid vero alienum magis? Quum Croiensem obsidionem seniles hausisse spiritus mortalium inficiatur nemo, & extincti ob doloris impatientiam Ottomanis laudem, omnis deinde ad Scanderbegum sine variatione retulerit atas. Legentium tamen aequitas hac singula si libet, & veri totius similitudinem ex diligenti adinuicem computatione temporum eliciat. Nos interea ad Ferisum reuertamur, qui silenti admodum agmine Macedonia fines intrarat, & concepta iam victoria premia, tumido ex tanta spe animo nequicquam impartiebatur, hostem ubique circumspiciens obibat, omnia praedoni ipse magis, quam hosti similior, non tamen potuit famam aduentus sui praenire. Admonitus nanque Scanderbegus de singulis a locorum custodijs, repente ( utpote qui semper agmine ad omnes casus composito ibat ) & temporis & loci captata occasione vallem quandam angustam, Mocrean appellans, solus barbaro transitus patebat, prior occupat, & armato implet milite. Appropinquabat iam Ferisus, & densiore equorum incessu, oriens puluis, signum iam vicini hostis erat. Nostri eodem silentij tenore expectabant, donec intrantem iam festiue barbarum, & a dumosis sylvarum iugis, ac saxorum undique crepidine impliciunt equitem conspexerunt, tum una omnes eruptione facta, insperati sese offerunt hosti. Pedites, quorum mille & quingentorum erat numerus ( iam & equitum duo amplius fuere, sed horum tum ad aliud utilior seruabatur opera ) satis ferme vel loci solius incommodis victum hostem, a tergo, a fronte, a lateribus adoriuntur, caduntque. Turcae nihilo gradu dimoti, quem primo hostis impetu tenuerant, enixe aliquandiu pugnantes retinuerunt, donec victoria aliqua spes affuit. Equorum tamen impedimentum maius, quam auxilium erat viris, qui tandem & sibi, & dominis exitio fuere, ita velut obsessi, plura multo vulnera accipiebant, quam dabant. Et quum nullum iam periculi effugium appareret, obstinatio ribus semper animis ad mortem usque ab illis certatum est, omnisque ferè possessum semel locum moriens occupauit, praeter paucos, quos vel foeda vita cupido, vel necessarium magis in re consilium,

Computatione temporum.

Aduentus Ferisij cum exercitu in agrum Albanum, caedes exercitus eius, irruptio Caltrioti in agrum hostili.


Mocrean.



## De vita &amp; gestis Scanderbegi,

lium, quum eum stolidus potius, quam honesta mortis appetitum sperneret, supplices abiectis armis saluauit, & conciliauit victori. Capti igitur septingenti sexaginta occisorum maior pars fuit. Ita barbarus dum ad pradam properat, prada ipse fuit, & latum praeiuit hosti male conceptae victoriae documentum. Ferisus cum reliquis copijs, quum interceptam primam suorum aciem, & occupatum interim ea gloria materia hostem vidisset, immemor praceptorum Ottomanorum, & insita suoque ingenio ferocia, statim terga dedit Christiano, maiorem adhuc vim periculi, & numerum hostium in re tam subita, & eo locorum habitu ratus, laudabilius vociferans

Fuga Ferisij  
cum reliquis  
copijs.



peritus belli dux aliquos saluare, quam perire omnes, & ubi praesertim velut iumenta, praeberent iugulum hosti. Non tulit tamen vel fugam eius incruentam Castrioti eques, sed inharens semper fugientium tergo, plures moratorum occidit, lateque secutus est, donec magis lassitudo vires hausit, quam instandi satietas animum cepit. Ita expeditis omnibus, & fugatis hostibus, sine multis suorum vulneribus, tunc in hostilem agrum toto agmine irrupens Scanderbegus, assuetae praedae dulcedine, militum desideria expleuit. Ferisij euentum nihilo letior Mustapha fortuna exceptit, nam Ottomanus percepta cade suorum, & auditis Scanderbegi insidijs, quum necessariam, nedum utilem fugam suorum fuisse videret, & nullum sibi reprehendendi ius in tam opportunis eorum consilijs fortuna faceret, acriori percitus in Scanderbegum ira, neque dies, neque noctes patiens quietis animus, odium omne, & consilium in unius viri perniciem verterat, ac nihil magis, quam Epienses campos, ubi tot veterum & recentium in-

Mustapha.

um iniuriarum cupita tamdiu ultionis materia adesset, ignara proprii mens mali optabat, ita occulta quadam vis fati timidam suoque ingenio senectutem trahebat. Quia tamen exoluendi doloris propter vulgatos Hungarorum motus, facultas tum omnino non suberat, tenore eodem indignationis Hunniadi gloriosus senex maledicebat, pariterque minabatur, salutare dictitans Epiroticis rebus, id genus belli Hungarici non semel fuisse. Sed ne inulta iacerent penitus fortissimorum militum corpora, & recens suorum sanguis, praesertim quod ab insidijs utili priorum exemplo, satis praecaveri posse existimabat, & non vlla hostis virtute, sed locorum iniquitate, victam nuper suorum aciem, ac Ferisij copias dicebat. Mustapha praefecto (cuius frequenti postea & infelici in eis locis opera saepe usus est) eius rei curam demandauit. Supplementum ad Ferisij copias habere, & augeri numerum iubet sex millibus additis. Mandat deinde sedulo, ne interiora Epiri loca, ubi statim hostium, & certius periculum esset, villo vel consilio, vel bene gerenda rei spe ductus adiret, fines tantum provinciae hostilis deuastaret. Satis gloria censere relatum iri, si arbores interim, agerque Epiroticus ferrum victoris ex aliqua parte sentiat, & igni deuastetur. Monebat ita Ottomanus, quasi praedici possent audientibus, quae armatis postea essent agenda. Nihil tamen eorum diligens postmodum praefecti cura omisit, quin opportune plura adiecit, situ locorum, & regionis natura inspecta. ut primum enim hostili solo signa sunt illata, ipse aperto nusquam campo digrediens, trecentos equites ad obequitanda & perlustranda late loca singula, ac rimandas insidiarum latebras nihil moratus, praemittit, iussos, ut si quid inuenirent periculi ab hoste, reciperent se mox inter ordines, vel paulatim decepto eo instandi studio, pelli se usque ad designata loca castrorum paterentur: ita & caute agi, & hostem tacite ad pugnam extractum opprimi posse, ratus, quem neque pauciore iure timere poterat, neque numerosiore in re tam subita exciri posse credebat. Quum igitur sollicitus eques singula perlustrasset, & tuta omnia, ac vacua periculo nunciaret, barbarus quatuor equitum millibus secum retentis, specie quadam castrorum, locum ipsum quo cum signis erat moraturus, tum ad praedam conuehendam, tum ad omnem varietatem fortuna undecumque septum, munimentis & armorum robore firmat. Editior ibi aliquantulum terra tumultus in collem assurgens, validiora eorum munimenta, ac difficiliorem hosti ascensum faciebat. Sic habita cura castrorum, custodias deinde per quosdam montium iuga cum certis signis disponit. Tum reliquum equitatum intrepide, ingentem rerum omnium ruinam secum trahentem, in campos hostiles immittit, admonitis prius omnibus per praconem, ut qui ad tubae signum auditum, cum receptui caneretur, in castra non conuolasset, perinde haberetur atque hostis. Diripiebatur iam pulcherrimus ager, & sub

Ottomanus  
gloriosus se-  
nex maledicit  
Hunniadi.

Exercitus  
Barbari.

M barba-

barbarico ferro, arbores & saxa omnia late cadebant, gemebatq; velut praeta, ac fumantia villarum incendia patentia late, ultorē aliquem appellare videbantur. Semēte omni equitis unguis pertusa (autumni nanq; tempus erat) iam inde miseros agricolarū labores, innoxia tellus frustratura apperebat. Nihil integrum relinquebatur, quod ferro posset igneq; absumi. Vilioris agrestium patrimonij prada abunde superaret, hominū modica, rarus nanq; ibi cultor, propter hostis vicinitatem habitare audebat, & eorum plures cum coniugibus & liberis, omniq; familia, preciosioriq; peculio, in oppida vicina confugerant, dum sic ferox Barbarus id genus victoriae, Dys ipsis infestus sequitur, & nullo fati digno precio, modo huc, modo illuc excursans, prada cupiditate tempus conterit. Castriotus interim, licet serius aliquantulum de his admonitus, cum quatuor equitum millibus, mille peditum, Mocreā attigerat, & notas valles adhuc hostili sanguine mardentes, latus miles intrarat, ubi dum assueta undiq; hospitia tacitus perlustrat, & incerti fermē consilij, haeret in ea solitudine locorum, ac rerū omnium silentio, ducis animus. Stupentibus omnibus, magna vir audacia, melioris fortuna, Epirota quidam, qui manus effugerat barbarorum, multis insignis vulneribus, ac recenti cruore decorus, ante pedes Castrioti stetit, fidem eius appellans, ac feroci omnium animos adhortatione incendens, desolatum agrum, eversa omnia à barbaris, eosq; fusos, & palantes passim vagari, prada queng; funesta occupatum, posse de singulis paruo negotio incruentaq; victoria, quod ipsi voluerint supplicium sumi. Erecta sunt prima facie tam opportuno nuncio ducis consilia: sed quum diligentius hominem de omni rerum habitu, & castrorū situ percunctatus esset, Mustapha prudentiam eo ipso admiratus laudare cepit. Cautius proinde cū eo hoste agendum ratus, qui neq; ipse aliquid temere ageret, audiente omni suorum corona.

Castriotus  
Mocreā veni.

Oratio Scanderbegi  
antequam Mustapham  
aggrediretur.

Consuevi, inquit, ego, milites rebus ipsis dare consilia, nunc ea me ab illis, & vos mecum unā accipere oportet, quae & tutiora estis singuli, & honestiora (ut nulla sit vis rationis) vel ex ipso euentu omnium magistro iudicaturi. Populatores audieramus Barbaros sine ordine, sine villo rerū respectu, per agros fusos, palantesq; ac omnia magis alia, quam hostem timentes, sicq; me autore sententia, & comite, utili tam proposito cuncti in eos ferrum strinxistis. Nunc opportunus iste viri aduentus, quid noui attulerit consilij nobis, nihil est quod agam vobiscum, illum enim quae apud hostem agerentur recensentem audistis. Vnum illud negare nemo poterit, si Barbari propositum in castrorum locatione, & tot armatorum praesidijs considerare velitis, non praeconis (ut creditis forte) illi, sed callidissimi hostis animum aduersus vos gerere intelligetis. Quamobrē cautius est vobis (ut arbitror) & consultius contra hostes agendum, quam in praedones acturi videbamini. Abstinentum primo impetu à populatoribus, ne intento duci ex castris

castris prorumpendi simul, & victoria materiam praebeamus, ubi dum vagos ipsi vagi insequimur, duplici obruti hoste indigne obteramur. Irru-



endum omni robore in ipsa munimenta castrorum, quae si pertinet (ut solet) perfrerit virtus, & vel ducem in fugam conuerterit, vel occisi caput reliquis barbarorum turmis poterit offerre (quod Deus optimus maximus nobis praestet) omnia profecto incruentis vobis expedientur. Cetera nanque praedonum manus, tum à suorum auxilijs exclusa, tum à vobis per gradus singulos obfessa, vel mortua, vel vincta si malueritis, in potestatem vestram eueniet. Ceterum caueatis commilitones, ne in castris diripendis, sordide vos prada cupiditas detineas, quae saepe vel victoribus manifesto exemplo iacentis gloriam hostis è manibus per summū dedecus extorqueri consuevit.

Cupiditas  
prada saepe  
obeft.

Assensu militum ingenti, id ducis consilium approbatum. Distincti itaque ut opera precium videbatur ordines, iam egredientes ex occulta valle copia, custodijs barbarorum apertiore campo se ipsas prodebat, tum manipuli sublatis è montibus signum praeuere castris. Exin perstrepens mox tubarum sonus, disperso per agros ac prada occupato equiti molestior auditus. Reuocati sunt plures, & recepti inter munimenta ante hostis aduentū. Recipiebantur alij simul, & vicini iam fremitus militis Scanderbegi nomen pauidis auribus inculcabat. Multi exclusi, quos velocior Epirensis in ipsis castrorum portis, onustos prada vulneribus insuper onerabat. Oppugnabantur undiq; munimenta, dissecta primo fermē impetu impedimenta equorum, & scutatorum praesidia, tumultus ingens intrantium simul &

Scanderbeg  
castra Turca  
inuadit & fugat.

Claues ferrei  
teli genus.

exclusorum. Promiscue recepti omnes, plena cuncta hoste, pilorum missi-  
liumq; nullus usus in ea locorum angustia, cominus gladijs res gerebatur,  
& clavis ferreis quibusdam commodius, breue est teli genus, quo Turca,  
maxime in bello utuntur. Nouum spectaculi genus barbari pugnantis,  
manu altera gladium, altera pradam exitialem tenentis, ita audiora sunt  
Turcarum ingenia, & prada cupidiora. Ferocior semper instabat Chri-  
stianus, urgebatq; undique, & omnia consternatione, cadibusq; replebat,  
donec desperata in armis salute Mustaphas, qui in tutiori castrorum par-  
te hortator magis aderat quam pugnator, per eam, qua a pignantibus  
maxime auersa erat, portam, citato equo, terga dedit hosti, tunc remissior



ubiq; Mars, & paucior aliorum effusus est sanguis. Hi nanq; inermes, ho-  
stile iugum non dedignabantur: illi in fugam effusi, necessarium ducis con-  
siliium consequebantur. Multi quos pradandi studium a castris longius  
traxerat, a longinquo hostili clamore audito, sociorum fortunam conij-  
cientes, fuga & ipsi qua sola poterant, se saluabant, sed vix ferme vllus in-  
teger euasit, intenta enim vndecunq; sagittariorum manus in fugientium  
terga iacula conijciebant, & qua poterant, odium late explebant. Sunt qui  
affirment eo pralio barbaros ad vnum occisos, prater Mustapham, cum  
paucis optimatibus. Propior tamen vero illorum mihi videtur sententia  
qui quinq; millia cecidisse dicunt, captiuorum paucior numerus, vix CCC.  
ad summum fuisse dicuntur, & hi ferme omnes vulneribus deformes, &  
inutiles.

inutiles. Irritati nanque prater modum eo in pralio, & promiores ad sani-  
tiam fuerunt militum animi aspectu prada suorum, & deuastati eousque  
agri. Victorum ex equitibus viginti desiderati, pedites quinquaginta, qui  
ab equis obtriti sunt potius, quam gladijs interempti. Sic castris, signis, &  
impedimentis omnibus potitus Epirensis, tum hostiles campos ingressus,  
certiori prada illata damna latior compensauit. Per eosdem dies, quibus  
hac feliciter gesta cum barbaris fuerunt, Leccham Zachariam, de quo  
aliqua supra diximus, a Leccha Duchaino Pauli filio indigne obrunca-  
tum audio. Insignis hic vir fuit multo euentu prospero malorum consili-  
orum, patre tamen longe optimo natus. Ratione aliam simultatis, & cau-  
sam insidiarum nullam, nisi perditam regni libidinem, dulce mortalium  
ingenijs insitum malum inuenio fuisse. Nam quum vicini essent inter se  
principes, & sine liberis Zachariam videret Duchainus, nulla legitimi  
heredis spe subsistente, facile omnia primo occupantis futura ratus, simul  
& illum de medio abstulit, & non minimam imperij eius partem mox sibi  
nefario iure vendicauit, non tamen potuit omnino male ceptum deside-  
rium explere. Daynenses nanque (ea erat urbs regni caput, roburq;) per-  
emptum principem, fidei pertinacia, qua sola poterant, prosequuti sunt,  
& Bosam defuncti matrem grauem iam annis, ac mæstam filio supersti-  
tem enixe tutati, donec ipsa consilijs quorundam, ac suasionibus amicorum  
impulsa, quum imparem curam senilem, & muliebre ingenium imperij  
oneribus, in ea praesertim rerum vexatione cerneret, Scodram confugiens,  
Venetis se cum vniuerso tradidit regno, belli mole omni vicinorum princi-  
pum in eos translata. Parabat iam hinc fortuna Castriotum praclaro  
quoq; Veneto bello, & Itatorum armis nobilitare. Inde Mustaphas apud  
Amurathem non iniquus, quamuis inuisus hosti iudex, tum ut suam pa-  
riter, & sociorum fortunam excusaret, inuictam viri virtutem, exactamq;  
vnius rerum bellicarum peritiam, multo sermonis decore commendare,  
alijs viribus opus, & grauiore bello dictitans, ad eam ferociam compri-  
mendam, frustra tentari eo modo hominis ingenium, & excursionibus  
eiusmodi, ac vastatione agrorum acui magis superba suapte natura Epi-  
rota gentis spiritus. Insidias quoq; omnes aduersus ipsos insidiarum artifi-  
ces, inaniore semper futuras. Contemptum potius quendam rei Ottoma-  
nae apud Christianos tot indies cumulo victoriarum tacite excitari, vel ab-  
stinendum censere penitus ab armis, vel semel debellandi cum hoste ani-  
mum induendum. Non poterant Amurathi, licet mæstior hostilibus lau-  
dibus aures praberet, timida videri Mustapha dicta, quum eandem suorum  
omnium fortunam, quos Castrioti armis obiecerat, in oculis haberet. Hinc  
Alybassa, hinc longe venia dignior Ferisus, cladium maiorum memoriam  
subijcientes, infelicem ducis virtutem principi excusabant. Quare mutato

Lecchia Zacha-  
rias obrunca-  
tus, hinc  
causa belli.

Regni libido  
dulce malum:

Daynenses:

Bosam mulier  
Scodram co-  
fugit & Vene-  
tis se tradit,  
hinc fortuna  
parat Scander-  
begum Vene-  
to bello:

Mustaphas a-  
pud Amura-  
them se excu-  
sat nō sine lau-  
de Scander-  
begi.

Mustaphas  
diffuadet bel-  
lum contra  
Christianos:

Et ipse consilio (ita saepe aduersis in rebus cito homines pugna satietas capit) respirare aliquantisper ab armis statuit, neque ulterius nouo suorum bellicosior senex pergeret ipse iniquo fato petiturus. Iusso tamen interim Mustapha copias denuo instaurare, & proficisci in Epirum iubet. Sed prohibuit in primis hostilem agrum vlla oblata occasione infestare, vel tentare aliquo modo Castriotum, fines tantum subditorum populorum tutaretur, & seruariet ab hoste, caueretq; maximo ingenio ad vllum genus dimicationis elici ab eo, sed porrecta spem victoria omnem aque sperneret. Dijs profecto cura fuisse dixerim Scanderbegum, qui in ipsis Veneti belli auspicijs, eum Amurathi animum dedere. Eodem ferme tempore & Mustapha aduentus inde, & hinc Daynensis fortuna nuncius, Castrioti animum distraxerant, & curam omnem hausserant solliciti in re tam subita ducis. Mouit tamen segnius barbarus assuetus vinci. Horrendum amicissimi principis fatum, & tam crudelis, quam praecerba viri mors mirifice Castrioti commouit animum, & dolore penè confecit. Accessio quoque ad eam molestiam maior facta, quò Bosà consilium, & nouam in ea re curam Venetorum adiectam audiret (firmauerant nanque omnia, Dayni praesertim oppidum, validissimo praesidio urbium vicinarum praesecti.) Hac omnis disidij causa inter eos, & belli origo fuit. Quarebatur Epiensis, Venetos in defuncti regno principis ius vllum praeferere, & sibi id vendicari velle, quum vana praesertim fuerit matris translatio in illos honorum ad se à viuentē delatorum filio, neq; praiceps Bosà consilium debere quicquam legitime officere ad nati voluntatem violandam. Pactum nanq; apparebet inter eum & Zachariam olim confectum, ut quis eorum superuixisset, alterius imperio potiretur. Dictamq; inter eos legem iuramenti vinculo firmatam. Juris ego quid in ea re fuerit, iurisconsultis relinquo, quamuis iudex omnium Mars non inique forsan diremerit. In ea animi fluctuatione, Castriotus intentior, semper Mustapha copias obibat, passimq; raro procurans milite, nunc periculose progressus, nunc fugam simulans in composita inter suorum ordines receptus cauto hosti ne quicquam infelicia semel arma suadebat. Vbi vero neque pugnae spem vllam, neq; hostis fallendi arte modum vidisset, copijs omnibus, quas secum habebat, ibi ad nouos rerum tumultus & barbarorum impetum sustinendum in hostilis agri limitibus relictis, ipse ad Daynensis belli apparatus conuersus animo, confestim paucis admodum equitibus Croiam petijt, & vbi ius omne in armis vidit, mox & edicto ad delectū habendum proposito, & ipse cum nonnullis optimatum suorum, vniuersam provinciam ad acquisitionem militum obequitans, & exercitum validum confecit, nihilq; moratus priusquam frumenti curam habere potuisset hostis, Daynum obsidione ingenti in corona speciem vndiq; cinxit, nihilq; mittens, nunc leniter, nunc asperere agendo om-

De lecchā Zacharia obtruncato loquitur.

Scanderbeg apparat se ad bellum Daynense.

Daynum in corona speciem em obsidetur à Scanderbego.

do, omni cura ad deditioem oppidanos sollicitabat, veritus ne situm ea urbis potiunda occasio praeterlaberetur, allatus interea Venetias nuncius, patrum animos ad eam belli curam, & maiora ex Italia praesidia mittenda excitaret. Abstinent tamen à vastatione agrorum (quod primū obfessarū urbium malum esse solet) ne Daynensium irritaret animos ad seruandam tenacius hosti fidem. Neq; expugnatio oppidi vsquā per vim tormentorum, & murorum ruinas, aut scalis tentata, interclusis tantummodo ciuibus facultate vndecunq; annonae, & comعات habedi praecisa, famem assuetum diuturna incommodum obsidionis iamiam imminentem minabatur, quum coacti ad deditioem sero eius clementiam implorantes, hostilia omnia essent passuri. Praesides prouinciarum Veneti nominis, & ciuitatum adiacentium praesecti, audita urbis obsidione, admonuere de singulis Senatū, & decreto accepto, coactis vndique subitarijs auxilijs, tam ex Epiroticis militibus, quam Illyricis & Italis, quorum praesidia semper in propioribus locis hosti, à patribus haberi solita, mox ad eam obsidionem solvendam impigre se accinxere. A duobus quoque viris Epirotici nominis adiuti sum moperere sunt, & aucta eorum copia, Leccha Dusmano, & Petro Hispano, qui licet contra Turcas Scanderbego perpetuam operam polliciti essent, neq; vquam illi defuissent, antiquior tamen longe cum Venetis necessitudo, praesertim quod vicini etiam Drinasto, & quibusdam eorum oppidis erant, & veteri ingentium officiorum vinculo astricti illis, ut praesto essent, fecerunt eum apparatus. Scanderbegus nihil tanta ex orientis vndique belli mole territus, latis auribus accepit, simulq; impigre diuisis copijs suis, quae 14. millium hominum numerum excedebant, septem equitum millia, tot enim non amplius erant, & duo peditum nouo hosti destinata, reliquum agmen suorum relictum ad urbis obsidionem, quam nulla satis hostilis fama exercitus ommittere decreuerat, cura omnium habita disposuit. Ita trifariam diuiserat vires inuicti prudentia ducis, & aucta stolide audacia inani singulorum animos bene gerenda rei spe erexerat. Daynenses nanque sublati a Castrioti praesentia, obsidione ipsa soluti videbantur. Segnior pro portis excubare miles, rarior in muris aspiciebatur numerus armatorum, patentibus portis saepe hostis cum ciue recipi potuit. Negligentius rerum omnium interposita cura, famēs sola iam vicina vexabat animos, quae neque contemni poterat per audaciam, neque ferro vinci. Firmabat tamen vires, & ad quaeque asperrima ferenda cogebat promissa semel fidei pudor, & pascebat velut vicina spes quadam hominum animos quod suorum copias ad ea mitiganda mala, & leuandā obsidionem maximis itineribus aduentantes audiebant. Neq; parem Castrioti militem eis viribus credere, sed certum iam concepta victoria nuncium solliciti vndique prospectantes expectare. Sic omnium ferme ingenia, quum

Daynum in corona speciem em obsidetur à Scanderbego. Abstinet à vastatione agrorum.

Fames assuetum obsidionis incommodum.

Vires Scanderbegi trifariam diuisa.

quum plus tribuunt fortuna, eidem fidelius parent. Mustapha quoque in eo rerum Epirensium tumultu, & Scanderbegi absentia insignis latitiae erat. Crescebant iam fracti eoque animi, & prioris fortuna memoriam omnem tacita quadam inuaserat obliuio, libenter relicta ibi hostis praesidia tentare Barbarus, & debiliorem sine duce militem amissis nuper socijs immolare, libenter cupiebat, & cum Venetis inuisi capitis victoriam partiri peroptabat, oblatæ occasionis penè studiosior, quam mandati. Verum dubiam mentem seuera Ottomanica mandata reuocabant, & plura aliorum violatæ obedientiae documenta. Exin (quamuis non improbatum sorte Amurathem tam opportuna consilia crederet) tutius visum ei se-gnem imperio alieno, quam propria temeritate felicem dici. Venetorum interea exercitus contractus ad urbem Scodram, quæ est caput gentis, dum in apparanda belli eius materia moram trahit, Scanderbegus instru-

Venetorum exercitus ad urbem Scodram.



Etis iam pridem copijs, Drinonem fluum superauerat, & (quod maximum erat audacia, ac fiducia signum) praoccupatis prior ipse hostium consilijs, vel in ipsis hostilis soli visceribus ad congregandum cum hoste pergebat ire. Non tulit id Venetus, sed motis ocius castris infestis signis illi occurrit, jam & clamor undique armatorum, & late auditus clangor tubarum aduentantes hincinde hostes prodebat. Tunc vere hostiles animi, & feroces spiritus reuocabantur viris, ardere iam oculi militum, & index irarum fremitus passim exaudiri. Vota tum publice à ducibus, tum à singulis priuatim, & omnis generis supplicia non ommissa, Iustiora quisque arma sua, & aequiores partes credebat. Omnium una mens ad iniuriam propulsandam, parq; belli ratio videbatur. Epirensis ad obtinendam ab-

Index irarum fremitus.

latæ iniuria possessionem urbis, hi ad tuendam deditorum fidem. Maiorem illis animum tot indies contra Barbaros bene gestarum rerum, & parti nuper aduersus Mustapham decoris memoria faciebat. Venetus, & si procurata essent omnia, quæ vel ad maioris usum belli sufficerent, & non stolidam sibi præbere possent victoria spem, tamen etiam si victus eo prælio aduersus Dijs fuisset, haud summissurus animos videbatur, neque cessurus in omni belli euentu hosti, quum inuictas patrum vires ad instauranda & præparanda perpetua arma aptiores longe viderent, quum omnia magis bello arsuræ, & exitialem futuram Daynensem oppugnationem Castrioto, augebat tamen curam miserabilior obsessorum fortuna (audierant nanque ibi ad obsidionem maximam vim armatorum relictam). Apparebat iam certior aspectus hostium, & propius erat pugna tempus. Tum subito silentio quies utrinque mira insequuta est, & signa humi fixa, castrisq; momentaneis loca opportuna capta sunt ducibus; ubi & corpora curaret miles, & ducum hortamina tum præuenirent fortes viros, tum aliquam timidis adderent virtutem. Danieli Iurich Sebencino, viro im-

Danieli Iurich Sebencino Imperator Venetorum.

pigro, & militiæ perito, Veneti exercitus cura tradita erat (Vaiuodam vulgo dicunt). Is ubi certos singulis ordines statuit, & parata quæque vidit in hostem, ita cepit. Omnia sibi licere statuit stolidam mortalium temeritas, ubi semel aliquo secundarum rerum incremento delinitus est animus. Inde vix sui compos mens, & presentis iam impatiens fortuna, modo hac, modo illac pererrans, ocia aliorum turbat, & pro libidine aucupat bella, donec miserando tandem exitu inanium luat cogitationum pœnas. In oculis exemplum est milites: Tam vanus iste quam superbissimus hostis, quem eo iam funesta audacia, & indulgentior prouexit fortuna, ut audeat indies ex bellis bella serere, eosq; laceffere principes, quorum si recenseat in se officia, nihil est sibi, temeritate excepta, reliquum futurum, quod ad illos non possit referre. Sed subuertit ita iam rerum omnium discrimen, ferox hominis ingenium, ut non publicis nos tantum hodie, sed priuatis quoque singulorum odijs in eum hostem armatos esse oporteat. Obseruetur nanque ante omnium oculos Daynensium fortuna, irriret animos iustissima ira, sociorum cura, sunt ibi liberi vestri Scodrenses, urbis praesidio positi, sunt multorum fratres, sunt consanguinei, & affines in ea obsidione, tam Illyrici, quam Itali nominis strenui, quibus iam pridem à perfido praoccupatis hoste in rerum omnium necessitate nulla spes alia, nisi in vobis relicta. Vos late sollicitis ac pendentibus animis mœsti prospectantes è mœnibus expectant, vestra hodie virtus vel libertatem eorum vindicabit, vel præcisa spe omnium rerum fœde iugum hostile subire illos necesse est, & ad superbos Castrioti vultus spiritum precarious trahere. Quo nemo intolerantior

Adhortatio Imperatoris Veneti exercitus ad suos.

A successu qui erigit cristas.

A temeritate & magnitudine hostis.

A cura sociorum & consanguineorum.

A periculis libertatis amittenda.

N

in victo-

A crudelitate hostis.

in victoria, nemo inclementior facile inueniri potest, utpote qui cum Barbaris diutino usu educatus, omnem superat feritatem. Ut enim taceam cetera, quid hac temeritate maius? quid stolidius? quod dum nefario iure cuncta occupare nititur, & inani colore paetorum sceleratam regni libidinem excusat, prohibet perdito exemplo mortalibus rerum propriarum deditioem, & aufert iura ipsa libertatis. Indignatur Venetos sibi à Daynensibus prapostos, oppugnatq; liberum matris consilium in defuncti bonis filij. Sed excacauit (ut videtis) eousque ea cupiditas hominem, & studium indignationis, ut vel in perniciem ipse suam amens ira, odioq; ruat. Non potuit tantum huiusce belli curam differre, donec pulso barbaro hoste, quem in imperij limitibus assidue habet, integras ad odium Venetorum vires afferret: non in obsessæ urbis aspectu maioribus copijs congregari nobiscum melior ratio visa. Dimisit vires ubiq; peritus belli dux, vobis quam sibi aequior iudex. Dumq; hinc Mustapha, inde Daynensis obsidionis cura mordet animum, vobis victimam potius quam hostem suum reseruauit exercitum. Agedum igitur multi paucos bellatores pradatorum turbam cadite, urgete, & inflatis stolide animis extorquete iniusti belli confessionem, quibus profligatis, nihil est quod de reliquis copijs hostilibus, quæ Daynum obsident, vos noua cura terreat. Sequentes nanque rei bene gesta modum, tenore eodem infestis signis, praoccupatis eorum consilijs, priores ipsi petemus hostem, ubi euocato presidio, ex urbe interclusis his, undique victoria omnis per summum ocium expedietur. Scanderbegi oratio neque ita hostilis, neque crimine alieno lata, sed moderata, leniorq; & in hanc ferme sententiam dicitur fuisse.

Adhortatio Scanderbegi ad milites, moderata &amp; lenis.

Belli sit iusta causa, ne sit opus de eo loqui.

Felix euentus arma iustiora ostendat.

Honestam necne videatur suscepti belli ratio, milites, neq; disquirendum hodie armatis, neque discernendum nunc in ipso hostis conspectu fuerat, praesertim quum à me ipso vobis arma tradita videatis, quem vel iustiora recusasse, vel appetisse iniquiora nullo satis tempore conqueri potuistis. At quando illud maxime in rebus omnibus agendis torqueat mortalium ingenia, & sollicitudinem augeat militarem, priusquam gladij cominus in hostem stringantur, scire unde iustior esset causa, & utrum cum hoste tantum, an cum Dijs quoque pugnandum sit vobis. Non recusato ciues, vel quocumque vestrum iudice, si velut temerarium consilium meum damnatis, & nimis studiosus belli autor videor, statim conuersis signis abire. Neque enim is sum, qui vel ignaros velim ad periculum trahere, vel in eo imperij mei statu, & rerum Epirensium tumultu, nouas cum Venetis obstinato proposito ordiri simultates. Sed ubi vacet huiusmodi reprehensione consilium, & iusta aequae ac necessaria presentis belli ratio videatur, nullius magis interest, quam vestrum efficere virtute ipsa, ac animi pertinacia, ut felix quoq; euentus arma vestra iustiora ostendat. Quandoquidem

dem nihil est turpius viro forti, nihil magis contra regium decorem, quam per ignauiam pati iura sua occupari ab alijs, & compressis (ut aiunt) manibus sedere, ubi ius omne in armis videas. Nostis ad unum omnes, quæ benevolentia vis, ac idem prope vita usus fuerit mihi per omnem aetatem cum Leccha Zacharia, cuius hodie tam crudelis, quam praecerba mors, tot undiq; arma concitavit, & quod vehementi illo affectu impulsit inter nos legem mutuo consensu dixerimus: Qui nostrum prior deceisset sine liberis, regnum eius superstes iure pacti haberet. Sublatus est ille prior, ita agentibus satis: Veneti imperium obtinent, ego lachrymarum tantum relictus haeres, renunciaueram olim rebus ipse meis in illa pactioe, quum & priori mihi casus aliquis finem vita afferre potuerit ob communem mortis fortunam. Nunc bello renunciare, nisi vel victus aduersis Dijs, vel Dayni recuperata possessione apud animum meum non statui. Nemo sanus belli huiusce culpabit me, quod suadet tam pulchra ratio. Nemo illata mirabitur arma Christianis, Venetis, vicinis, quorum ipsi iustam dederunt occasionem, & quæ ipsi ferme nobis in manu tradiderunt. Obsidemus consanguineorum & sociorum urbem, non infestis adeo, ut ipsi putant, animis, non regni, non sanguinis hauriendi libidine vlla, sed ut eam pariter è manibus hostium, ac ingratis ciuibus obstinati erroris confessionem extorqueamus. Descendimus in aciem cum hostibus, priores ipsi hostilia passi. Quamobrem certis iam animis singuli, pulchrum tuenda dignitatis vestra propositum induite. Satis amplam belli materiam suppeditare videbatur Daynense imperium propositum victori, sed nulla (quæso) talis vos armet ratio, cupidorum hac animorum vota, & ignobilis vulgi irritamenta esse solent. Concepta duntaxat desiderium laudis, stimulos ingerat fortibus viris, quamuis omnia sint vestra, si viceritis hodie. Pulso nanque hoc hoste, oppidanus tum spe sociorum destitutus, tum fame ipsa victus, mox patentibus portis victores est accepturus. De victoria autem nihil est quod agam vobiscum assuetis vincere viris: nouus hostis est, nouum gloria genus. Sed multitudine superat Venetus? esto, nonne pauciores semper vos ad hunc usque diem belli laudem ex hoste tulistis? Indignatur eo modo vincere praclarus miles, ubi nec singulorum virtus spectari, nec priuata multum laudis domum afferrì potest. Quid praeterea momenti in maioribus eorum copijs? quibus sicut diuersa lingua, alius vestitus, alius armorum usus, ita nec idem habitus armorum. Confectus est exercitus ex multarum gentium colluione, Illyrici, Itali, Epirota, ibi vario ritu, eadem ignari signa sequuntur, dissonus erit in bello clamor virorum, inaniores ducum adhortationes. Quare agite, primo impetu ad fugam quam ad pugnam paratior impellite, dissipate, & renouate hodierna quoq; laude tot contra barbaros victoriarum speciosam

Familiaritas Scanderbegi cum Leccha Zacharia.

Extenuat obicctionem cur in Venetos Christianos vicinos bellum moueat.

Elenat quod Veneti multi contra paucos Scanderbegi cosagant.

memoriã. Remissione tamen ira in hunc hostem utendũ, & pronioribus ad pietatẽ animis, captiuos ducite, neq; per intemperantiã belli, & studium indignationis, sanguine ditorũ victrices de honestate dexteras. Non enim res est nobis cum barbaris, aut efferatis gentibus, sed cũ Christianis, quibus iure decertamus, ut propulsemus iniuriã, & in pace viuamus. Acuit magis Scanderbegus militũ studia, & suorũ animos deuinxit ea modestia sermonis, quod raro exemplo, simul & eorũ rationẽ, & curã hostium habere videretur. Tunc ordines circa eum effusi, laudare consiliũ ducis, animatum quisq; se dicere in omnẽ euentũ, ad eius augendã, nedum seruandã gloriam pugnare. Venetorũ arma nõ eousq; fore expauescenda, ut dum nimis multũ defertur illis, proprij decoris obliuiscatur animus. Communẽ subditorũ populorum iniuriã esse, si per socordiã inulta Daynẽsis ignominia omittatur, neq; cadẽdum animis in ea rerũ vexatione, & duplicis mole belli. Nihil auctores mortales, si retardet semper feroces spiritus, quauis cõsultatio, & singula ignaua cogitatione metiantur, Audendum fortibus viris, tẽdendum recto in pericula vultu. Neq; semper retro aspiciendi cura, augendũ sibi ipsi timorem, & sollicito cõsilio recondita mala homini interpretanda, Conditi necessitate virtutẽ, Pluraq; irritatis semel metibus, & militũ furore superari, quã liber alioquin, & quietus nunq; ausurus esset animus. In dijs preterea nõ nihil debere esse momenti, qui iustiori asidere bello cõsueuerunt. Sed & si in ense viris tantũ posita sit salus, munitã satis fore rem Epirensẽ ipso fidei presidio, & cõcordia populorũ. Amurathẽ demum Hungarico bello occupatum, Venetorum vires magnas nosse, sed Itolorũ gentem segnius sequi, quanto longius à domo trahatur. Iactabantnr hæc passim incondite à militibus, & alia plura, velut instinctum, cuiusq; erat ingenium, & ut priuato officio audienti se duci cõciliarent. Ipse singulorũ voluntate, æque collaudata ioculariter mixto risu dixisse auditus. Reprehendi merito posse naturã, quod tam præclaros Epirotica gentis spiritus nõ altiori incluserit fortuna. Tum iussis curare corpora, omnibusq; procuratis alacer animis, atq; fiducia ingenti sexta ferme hora diei in acie procedit, sagittarios, & leuiorẽ armaturã ante signa locat. Deinde grauiorem armis, peditem distinguit per cornua. Duo equitũ millia in utraq; partẽ statuit, media acies Tanusio tuenda data. Ibi quoq; equitatu pedites aliquot immixti. De subsidiarijs non multum curatũ, quã certam victoriã, & faciliore loge armis suis hostem, quã inito pralio incrudescens Mars, & obnixi Venetorum vultus ostẽdere cõcepisset. Tantundẽ de castrorũ presidio procuratum: vacua nanq; relicta raro custode, qui vix ab inermi pradone ea tutari potuisset. Nõ abfuisse à reprehensione temeritatis tã secura fiducia ducis, ni verius presidium sibi in obsidentib. Daynũ copijs statuisset. Nã si præter spem superiorẽ vidisset hostem, ad eos se recipere destinauerat, quum neq; militum numerus, neque habi-

Venetorum  
arma quate-  
nus expaue-  
scenda.

Daynẽsis  
ignominia.

Scanderbeg  
aciem instruit  
contra Ven-  
etos.

Secura fidu-  
cia Scander-  
begi.

habitus ipse locorum ad firmanda ibi castra suaderet. Sed indignius adhuc istud cõsiliũ tanta prudẽtia viri, quum perniciosior magis victis eo modo fuga futura, quã pertinacior resistendi animus fuerit. Nã tum insequens palantes Venetus victor, tum difficilior in tã precipiti tumultu transitus Drinonis, quicquid erat reliquiarum hausisset. Quare eò decurritur, ut in suetã vinci virtutem in se tantum spem positã habuisse dicamus. Venetus quoq; Italis hastatis præmunt signa, cornua hostili exẽplo disposita. Daniel in dextro Illyricorum validissimo cinctã presidio; stationẽ sibi eligit, Italos nonnullos equites grauis armatura in fronte, & post ipsum cornu disponit. Colla Humoi Scodrensis, cuius secunde erant in ea belli cura partes à leuocum ciuibus suis Mosi & Dibrano militi oppositus. Andreas frater cum Simeone Vulcathanio mediã acie obtinuit, promiscue ibi vario militum genere, & inutiliori presidio onerati magis, quã firmati ordines. 13. paulominus millia Veneta fuere, his copijs cõcursum est. Pralium ab hastatis inceptum, auertere primo impetu sagittary eos. Sed ubi inaniore sp̃inquit as

Pugna Castri-  
otum Venetis  
apud Drino-  
nomis ripam.



ipsa sagittas effecit, qui scutati erãt obnixis clypeis cum reliqua leui armatura strictis gladijs cõminus hostem petunt. Ceteros Castriotus extemplo circundedit equitibus, & retractatos aliquãtulum utiliore illis restituit telorum vsum. Hastati, quia tuta ferro pectora, & lorice tecti audacius se obycientes in hostem incubuerãt, dederunt reliquis spem bene gerenda rei, tũ omnis circũfusa acies, clamorq; utring; ingens sublatũ. Epirensis equitum & numero & virtute superabat. Locus non vni aq̃ior quã alteri, pugnatũ est enim in lata planitie, & ãpla, nõ procul à Drinonis ripis. Par

viribus aliquantisper magis quam animis Venetus fuit, Et circa Illyrici stationem ducis variante fortuna diu pugnatum, donec Scanderbegus concitato ibi equo cum paucis equitibus in medium agmen hostium inuectus, vulneratis pluribus, multis pauore dissipatis, extorsit spem victoria Veneto. Illyrici undique mox in unum conglobati (ut egregia est gentis eius velocitas) densiori presidio munita statione ducis, excluderunt hostem, defendebant tamen magis quam pugnabant. Media acies utrinque spectatrix potius, quam pugnatrix eouſq; aderat, dum vario adhuc euentures agerentur a cornibus, tum Tophia ubi oneratum satis dexte rum cornu hostium vidit, erectus & ipse Castrioti exemplo, confestim lectiori equite, & parte peditatus in medios praterlatos hostes, nouum iniecit pauorem. Illyrici nanque qui in fronte expositi fuere hosti, non tulere impetum, sed mox in cornu dextrum deducti, ac seipsos tutati, & hinc prodidere socios, & inde interuentu suo auxere difficultatem Scanderbegi stationem oppugnanti. Idem reliquus peditatus fecit. Impar nanque Epirensi equiti, passim effusus in fugam se saluauit, qua res effecit, ut nudatus presidio Scodrensis eques, ac oppressus ab hoste circumueniretur. capti enim sunt ambo praefecti, cum alijs pluribus, qui a pedestri robore relictii, desperata in armis salute, sese tradiderunt hosti, reliquis quoque turmis incusserunt pauorem, timentibus, ne penetrata acie Epirensis a tergo adoriretur cornua, & interclusos ferocius premeret. Sed non id succurrit victori, quod pauebat victus (ita vel obtusiora ingenia hominum efficiunt res secundae.) Nihil enim quarens ultra latus ea victoria animus, gratum duntaxat suis spectaculum victos hostes offerebat. Castriotus quoque rerum aliarum omissa cura, gregarioq; omni milite praterito, velut dedignans sanguinem ceterorum ad ducem tantum animum intenderat, sed fortissimi agmen militum difficilem ei aditum faciebat, ac inanem reddebat ferociam viri. Conuerterat omnium animos in ea dimicatione Moses, & Scodrensis a sinistro cornu. Multus ibi labor, periculumq;. Ita velut ipsi de summa rerum decertarent, obnixi ingentibus sine respiratione odijs, mutuis vulneribus incumbabant, haud impares equis viribus aliquandiu pugnauerunt. Sed hauriente iam lassitudine Dibrensiu ictus fatigati equi, viriq;, ac victi propè sensim cessissent hosti, ni referentibus gradum Moses increpando simul timorem, simul ignauiam pudore lassitudinem excusasset, & vinci fermè paratos vincere docuisset, clamans:

Res secundae obtusiora efficiunt hominum ingenia.

Mosis obiurgans exclamatio in ignaui militem.

Quae ignauia viri? quod perditum insueti pauoris exemplum? Potuit Dibrensis assignatum semel locum viuus relinquere? Potuit bellicam laudem vendere hosti? Vbi miles ille qui Alybassa copias deleuit? Ferisij inhibuit ferociam? Mustapha vires contudit? ac barbaricis spolijs Epiroticas domos dicauit? Quo tumor ille animorum euanuit? Quo minaces

minaces illi in castris vultus, ac fortia promissa abiere? Sic Daynū Scanderbego restituitis? Sic obfessa urbis ostium intrare paratis? Nusquam ne alibi hostium virtus? nusquam fortis dextera? nusquam radians ensis nisi hic? At ubiq; iam socij vestri victores parti decoris fructus recensent. Tanusius captis ducibus, ac vincis post terga manibus deductis in castra, mediam hostium aciem omnem aut deleuit, aut dissipauit. Scanderbegus perfracto Illyricorum robore, iam singulis per ocium inicit vincula. Hic pauor tantum, & fuga memoria relicta.

Iniecit ea obiurgatio militi tam acres stimulos vincendi, ut alij repente facti viri, equiq; viderentur. Tum recenti renouato pralio mutata fortuna, iam pelli paulatim Scodrensis, resistebat tamen magis numero quam animis. Donec Humoi, coniectata ex hostili sermone fortuna fratris, quum vix pra impatientia doloris armorum tenendorum potentia esset, oblitus sociorum ad serum germano auxilium ferendum progressus, & in medios illatus hostes, certam Mosi victoriam reliquit, docuitq; quantum ordinibus in duce sit momenti, mox nanque effusi in omnes partes terga ferenda praebeant hosti. Daniel quoque ex altera parte iam pridem omni presidio antesignanorum exutus, pudore magis quam viribus ordine seruato sustinebat hostem, sed ubi haud dubiam suorum fugam, & eandem omnium fortunam aduertit, citato & ipse equo fuga consuluit sibi. Sparfos passim per agros Epirensis segnius est insecutus, impediabat namque lassitudo viros, quum dimicatum sit usq; in ultimam defatigationem. Nō tamen licet fessi, liberam fugam fecere, hosti. Missum enim praconium a Scanderbego, ut totis signis instaretur agmini fugientium usq; ad urbem Scodram. Pulchrum fortasse visum duci simul ira, simul gloria elato conspici victorem a mœnibus hostium, quae ingenti multitudinis turba completa erant. Carpebatur in multis locis postremum agmen, & magna pars moratorum capti, prohibuerat namque quenquam occidi. Mox in propinquo urbis conspectu inhibita signa & acies firmata. Tum victores conglobati circa ordines ingenti clamore, latitiaq; mœste urbi publico, priuatoq; dolore captiuos suos subiciebant oculis. Ingerebat ciuibus hinc nouos irarum stimulos tam miserabilis aspectus, & fortuna suorum. Hinc recens iam clades spiritus omnes hauriebat. Cura praterea captiuorum maior iniecta hominibus prohibebat viam ullam hostis irritandi tentare. Castriotus ubi vel ad satietatem militi victoria laudem explendam permisisset, signo dato, parum nanque supererat diei, collectis hinc inde vasis, ad Daynensem obsidionem dirigit iter. Sed fefellit omnino inanis spes ducem, quum reclusis portis, oppidanos fortunam omnem legemq; deditiois sub se victore confestim subituros concepisset. Daynenses nanq; licet & subita legionum suarum clades, & intus crescentia indies incommoda annona (prohi-

Coacervatio factorum exercitus Scanderbegi.

Daniel dux Venetorum fugit.

Daynensis obsidio frustra tentata per Scanderbegum.



(prohibuerant nanque semper frumentationem obsis Epirenses copia ad id ipsum locata) dolorem simul & curam auxissent, nulli tamen satis tot undique malorum effugij fœda cogitatio succurrit, sed omnia in ea rerum necessitate constantissime procurata, dispositaq; singula exacto iudicio ac parcior militi præbitus cibus, quo fidelis tantum spiritus seruaretur, seniorum nulla cura viris, ut pote qui & præualido urbis situ, & validiore multum fidei munimento tutabantur. Castriotus namq; ut primum victricibus signis reliquis copijs ibi cõmorantibus se adiunxit, multa nequicquam vani irritamenta paucis obstinatis animis ac oculis obsessorum subiecit. Ostentata ingenti militum clamore, & insultatione capta ex hoste signa, ductum circa muros mœstũ captiuorum agmen, fixis in terram oculis pudore sociorum intueendorum, quibus circumfusis per mœnia lachryma-

Agmen captiuorum Daynensium circa muros ducitur.



rum vim magnam excutiebat tam fœdum suorũ spectaculum (erant nanque in eo numero multi obsessorum consanguinei,) ut intelligi potuit ex ijs qua supra retulimus.

Insigne respõsum liberorum ciuium.

Tum ubi admonitos satis credidit oppidanos, Scanderbegus de deditio-  
ne cum illis agere cœpit, & præsidium Venetum certa iam fiducia petere  
tradi sibi. Insigne tamen tulit pro inanibus postulatis liberorum ciuium  
respõsum. Desineret eiusmodi spectaculis oculos & aures minis territa-  
re. Non esse tam leui momento fidem suam fundatam, ut se potius ex recen-  
ti rerum aduersarum euentu, quam ex veteri habitu animorum metian-  
tur. Fixum omnibus, destinatumq; esse, si aliter non poterunt, laceratione  
corporum suorũ infelicem fidem bonis principibus testatam relinquere.

Constantia  
obfessorum.

Neque

Neque eam fore benevolentiam suorũ, & sociorum vincula, ut tam fœ-  
dam illis pietatem extorqueant, quod nec ipsi capti, si interrogentur, sibi  
prestari cupiant. Sperare præterea sub Venetis patribus neque perpetua  
vincula eorum, neque longam suam obsidionem futuram. Exemplum hoc  
vero pro documento habendum: Non esse gerendam populis mutabilem si-  
dem, cum instabili principum fortuna. Fuit & in Scanderbegio illud non  
indignum admiratiõis, liberalitatis, & ingenitæ pietatis indicium. Quod  
quum spreta consilia sua ab oppidanis vidisset, & sublatam spem omnem  
habenda urbis in ea pertinacia animorum, non ad aliquã indignationem  
conuersus (ut procliuia sunt principum ingenia) non ad rabiem ultionis  
procurrit, saltẽ in captiuorum terga seuendi, quum omnia illi in eos so-  
lutissima essent, sed demi protinus vincula iussit, & liberaliter habitos, cul-  
tosq; ad domos suas quenq; remisit. Ni fecerit forte asse callidus princeps, id  
quod licet nõ ita eleganti proposito actum, laudari tamen omnino debuit,  
ut quum aliter Daynensium animos superare nequiret, eo vinceret bene-  
ficio, & quos metu non poterat, humanitate sibi tacite conciliaret. Duos  
tantum viros honestiores, Andream & Vulcathanium velut quadam fu-  
turi fœderis pignora, & Scodrensis ferocia inanem cautionem apud se te-  
nuit, quos in arce Petraalbensi sub custodia, benigne tamen lautissimeq;  
haberi iussit. His ita transactis, noua illi urbis potiunda cura incesit. Inde  
quo celerius cupita tamdiu rei compos fieret, utile cõsiliij genus est aggressus  
ad eam obsidionem & Veneti belli commoditates.

Argumenta  
liberalitatis  
& pietatis  
Scanderbegi.

Balefium oppidum fuit, tunc monumentum tantum urbis, nullo satis  
conditore, sed vetustate sola notum, situm in radicibus montis Sardonici,  
Maranai vulgo appellant. Iuxta ager, & locus quidam, quem accola su-  
pra Scodram vocant, distans à Scodra 12. à Drinasto 5. à Dayno vero 15.  
fere millibus passuum. Restaurare eam urbem Scanderbegus olim à Bar-  
baris euersam, animo concepit, ubi imposito præsidio, copijsq;, commodius  
inde & Venetum agrum late infestari posse, & prohiberi obsis subsidia, à  
tot undiq; vexationibus occupato hoste putabat, sicq; partim muro, par-  
tim lignis ocijssime renouauit locum. Et quum urbis speciem quandam, ef-  
finxisset, relicto ibi præsidio, Amesam nepotem, Marimumq; Hispanum E-  
pirotam nota virum fidei, ad reliqua peragenda præfecit operi. Procura-  
tisq; his, ipse ad obsidionẽ Daynensium nullis satis temporum vel bellorum  
incommodis omissam, in vltiorem ripam Drini eo die se contulit. Ame-  
sa absoluto murorum munimento, & quibusdam stationibus militaribus  
prout operæ precium visum. Ipse impatiens ocij adolescens (acuebant nan-  
que iuuenile desiderium tum omnes laudes domestica, tum recens in oculis  
patrui virtus) quum multas secundas populationes & vastationes agro-  
rum fecisset, maiora quaque cogitatione aggressus, Drinasti vicine urbis.

Balefium op-  
pidum. Pli.  
lib. 3. cap. 11.

Amesa nepos.  
Marinus Hi-  
spanus.

O

oppugna-

Driuaſti vr-  
bis oppugna-  
tionē induit  
Amefa.

oppugnationem toto animo induerat. Itaque expedire iam tota die copias, & exhaurire nouam urbem praesidio, ratus ampliorem eam sibi laudem futuram, si priusquam praestitisset eum apparatus patruus, inscio adhuc illi subito tam egregia gesta rei nuncium, cum ipsis captae urbis spolijs mittere posset, taciteq; conſeſcentem eius virtutem sub Dayni mœnibus argueret. Ita feruens adolescentis ingenium intumuerat fortuna inani sponſione. Sed Marinus, cuius aequae industria in noua urbis cura à Scanderbego electa fuerat, & coniuncta per doto exemplo prudentia cum temeritate, doctior longo rerum usu, & venerabilior atate vir, ne aperta contentione refragando iuuenis voluntati, simultates sibi cum illo (pestiferum in rerum administratione malum) aliquas pararet, primum impedire ex occulto eius consilia, & abire tacite militum fauorem ad ludificandos ipsius conatus. Deinde ubi propensiores illi vulgi animos, & militare libidinem vidit, propalam libera voce se omni alieni consilij euentu exonerans, his verbis adolescentem dicitur admonuisse.

Simultates  
pestiferum  
malum in re-  
rum admini-  
stratione.

Verius hostem te mihi Amefa, quam Venetos Scanderbegus reliquit, quo cum hodie quando omni bello flagrante provincia, longe alia consultiatōnes nobis ineunda erant, nouas ordire contentiones, & latentia aliqua odia excitarem, dum studio aduersandi, & iuuenilis gloriae inuidia dissuadere istuc ipsum fortasse videor tibi. Sed quid de me doleo? qui Dijs hominibusq; abunde videbor satisfecisse, si consilium in hac re meum neq; omisſum desiderari, neque impensum reprehendi possit. Vestra est iactura, te ipsum patruumq; hodierno bello non Driuaſti urbem oppugnare paras, ad ciuium sanguinem hauriendum, & exaturandum militum tuorum cruorē hostile solum properas. Siccine instaurauimus hanc nouam urbem, firmauimus copijs, ac robore armatorum, ut tam cito praesidio exutam intento ad id hosti, ac nihil magis optanti, dum alias stulte appetimus, velut in manibus tradamus? Siccine (ut nulla sit huius loci cura) ea militum paucitate oppugnari vrbes quisquā duxerit? Qui vix sufficerent ad tutandas, Driuaſti praesertim oppidum, quod sicut amplum est, & numerosum ciuibus, ita (liceat hac in hoste quoque laudare) & armis, ac fortissimis viris refertum. Idem (ni fallor) & tu & hostis expectat. Irridebunt è muris senes, & imbellis multitudo leues apparatus & inania urbis capiendae consilia. Iuuentus vero certaminis auida vel facta eruptione ad fugam ab oppugnatione per summum dedecus nos conuertet, vel patentibus late portis, deceptos intra muros, per securum ocium recipient, & ulciscetur recentes suorum clades, ac Scodrenſium iniurias, tollent tum animos caetera vrbes, insurget ferocia victis. Depone igitur, quaso, dum integra sunt res, perniciosam audaciam istam, neq; adoratum patruum nomen ea indignitate per hostium ora trahi patiari. Expecta secundis dijs laudis ampliorem

plioem & tutiorē materiā, tunc arma suadebo ipse, & in manu tradam. Nemo inuitus felicia signa sequetur, cohibe nunc feruorem istum & si difficile sit cohibere, disce prior ipse pati iugum à senioribus, quod hosti cupis imponere. Adolescentia namq; haud capax consilij (ut liberius iam tecum loquar) non sibi quam hosti saepenumero equior est, trahitur magis quam ducitur. Nullum ea perniciosius onus mortalibus datum, cōsilio bella sunt gerenda, & vix, ubi omnia caute, recteq; egeris, felix respondet euentus.

Adolescentia  
haud capax  
consilij.

Fregissent animum adolescentis prudentia dicta viri, sed quum iam pridem omnia praecipiti consilio ad eam belli curam velox temeritas expedisset, turpius visum arrepta semel arma prudēter deponere, quam infeliciter exercere. Spreta itaque salutaris adhortatio, & utilis pudor inani pudore victus. Militum praeterea receptus fauor, & vulgi promptior opera iuuenis desiderium magis acuebant, prohibebantq; dubias aures, saniquicquam sermonis haurire. Ad ea igitur, quae egerat Hispanus, primum insolenter dicere, Aequatum sibi cum eo à patruo imperium, non esse cur alieno arbitrio vel bello, vel pace utatur, retineret sibi ille milites suos, posse de copijs suis quoduis ipse velit statuere. Verum ubi loquendo ira aliquantulum refedit, & quieuit immodicus animi motus, tum modestior lingua, & lenior oratio adolescentis fuit. Laudaturum se esse collega consilia, ni simultum & Balesij, & Driuaſti cura posset expediri, neutram alteram impedire. Sat esse copiarum, quae & praesidio hanc firment, & oppugnent illam: neque ita stolide spem eam conceptam sibi, aggressurum improvidos ciues, & inermem iuuentutem inuenturum, nullis custodij portarum, nullis murorum stationibus dispositis, plures praeterea fore oppidanos, qui agentem se de deditōne libenter audiant. Et si difficiliora cuncta praeter spem viderit, non immoraturum longius ibi obstinato proposito cum militum suorum pernicie. Tum apprehensa Hispani manu, ut bono esset animo hortatus, Deosq; insuper precat, ut faustam sibi eam oppugnationem faceret, copias impiger educit. Praesidio Balesij agre duo milia cum Marino relicta, non quod quisquam inuitus duceretur, sed quia tum patientiora periculi, quam ocij Epirotarum ingenia, tum nullum familiaris gratiusq; militi belli genus, quam vrbiū oppugnatione erat. Verū Amefa, quamuis silenti admodum agmine improbum desiderium calaret, non potuit tamen nuncium aduentus sui anteuertere. Admoniti namq; oppidani (utpote qui à Daynensis primordio belli semper circa quasdam stationes vrbis dispositum tenebāt armatorum numerum) primo solliciti progressi in muros necessaria ad propugnationem parare, & conuehere undiq; saxa, ac omnis generis missilia. Deinde ubi ex propinquo visus hostis, negligentius acta res, & contempta paucitas cum ipso duce. Nihil tamen minuit fiducia eorum insignem adolescentis fiduciam, quin extemplo ciues in-

Cōsilio bella  
gerenda.

Responsio A-  
mefe ad ad-  
monitorem  
Marinum.

Vrbiū op-  
pugnationes  
gratae militi-  
bus.

Amesa petit  
Scanderbegi  
nomine dedi-  
tionem urbis  
Didrafi.

gentibus oneratos promissis ad voluntariã deditiõem pelliceret, & urbem patrii nomine peteret. Repulsus acriter ab eis, incertus adhuc animi, grauius indignatione percitus, duodecim paulo plus stadijs à muris abscisit, ibi multas nequicq̃ vario militum assensu oppugnanda urbis rationes versare, tormentorũ vis nulla aderat, ita consultabat simul & obsidebat. Dispositis tamen circa custodijs, ne alicunde impetus, praesertim à Scodrensi agro in se fieret. Interim oppidanos egregia eius obsidionis soluenda cura incesserat, qui priusquam motus aliquis in muros moliretur ab hoste, fortunam certe minis experiri statuerant. Autor eius rei erat Andreas Angelus, vnus ex optimatibus, clarus vir factis, & emerita in bello laudis, qui ad portam inferiorem, qua planum, & occidentem versus spectat, instructa acie, ubi & disposita per muros de industria armatorum agmina, & firmata praesidia portarum vidit, priusquam eruptionem faceret in hostes, his verbis suorum animos ad pugnam accendere adortus est:

Andreas An-  
gelus.

Andreas opti-  
matis Didra-  
fi hortatio  
ad suos mili-  
tes & ciues.

Si vnquã, inquit, milites, superuacua vlla est habita fortibus viris adhortatio, hic planè dies, vesterq̃ omnium hilaris, & promptus accessus id ipsum mihi nunc clarissime ostendit. Quis quisq̃ vestrum à parentũ, ab vxorũ conspectu, ab ipso amplexu liberorũ huc alacriter sponte vestra conueneritis, & omnia ea vobiscũ feratis. Quum pugnandũ, & sub mœnibus, & pro mœnibus insigni spectaculo obtulerit fortuna. Nonne vultis, cõmilitones & ciues mei amantissimi, urbẽ vestram, patriã, lares, & Deos penates exemplo maiorũ tueri, defendere, atq̃ seruare? Quid omnes nunc triumphos, quos de hostibus reportarunt, scientibus gnarisq̃, commemorem? Sat erit de multis paucos in medium asserre, longã enim narrantis orationẽ angustum nõ patitur tempus. Memini me audiuisse à maioribus nostris, quemadmodũ Barach ille Turcarũ praefectus Amurathe imperante cum viginti millibus equitum in agrum nostrum irruens, pactis quibusdam & conditionibus urbem à ciuibus nostris primum petere aggressus est. Cui quum hi minime obtemperassent, isq̃, sata omnia, & quicquid frugiferi in campis erat, igni ferroq̃, dare cœpisset, ciues nostri & populus Drinastensis in vnũ coacti agmen, hostes hinc inde per agros & campos sparsim diffusos, & palantes aggressi, partim eorum trucidarunt, partim viuos ceperunt, & in fugam conuerterunt. Eoq̃, modo praclarã ac memorabilem victoriam reportarunt, & veluti triumphantes urbem victores ingressi sunt.

A pietate in  
patriam.

A triumphis  
maiorum con-  
tra Turcam.

Stephanus  
Herceus  
dux Bosnae.

Quid praeterea de Stephano, cognomine Herceco, duce Bosnae dicam? Qui quum & ipse cum viginti quinque millibus militum in agrum nostrum irruisset, similemq̃, expeditionem aduersus urbem nostram tentasset, & prius illam in suam ditionem potestatemq̃ petisset, quum ei populus noster Drinastensis parere nolisset, is in furorem & indignationem versus, per omnem agrum & campos ad illum depopulandum, incendendumq̃, effusus

fus est. Nostris praclaro admodum agmine tam equitum quàm pedum facto, hostem adorti in fugam conuerterunt, atque profligarunt, de eoq̃ insigni victoria potiti, quamplurimis spolijs & signis militaribus captis, ouantes ad urbem reuersi, patriam decorantes incolumem egregie seruarunt. Quare agite praclarũ hoc obstinata ciuitatis responsum solido



hosti afferamus & extorqueamus praedonibus imposterum inanem spem urbium capiendarum. Pudeat deorum hominumq̃, tam ignauum agmen diutius nos intra muros, & sub tectis clausos continere. Quid Daynensis pertinacia? in quam tam diu Scanderbegus totis viribus incubuit. Nonne omnium animis graues iniiciat stimulos pudoris? Nepoti vilis vestrum tradita cura cum ea hominum paucitate, qua mox vix ad tutanda propria castra idonea erit, si viri estis, quum vobis in promptu omnia sunt, quum nihil roboris ibi sit, non gnarus dux, non certus ordo, promptissimus quisq̃, cum paruo obest. Colluuiem tantum multitudinis, impatiens ocij adolescens, ad hanc obsidionem traxit. Mouit hæc oratio militum animos, omnesq̃, fremere cœperunt, & in hostem duci conclamarunt. Tum dato signo, omnes ingenti sublato clamore erumpunt. Reliqui per muros undique ad sua quisq̃, ministeria discurrentes, augent superne & ipsi clamorem. Iniecit primum stationibus hostium tam repentinus tumultus, & clamor insuetus, vnde minime fuerant suspicati. Dehinc ubi excursare ubiq̃, armati visi, & tenore eodem impeti castra ab oppidanis, insiliens velociter in equum Amesa, cum expedito agmine suorum impigre illis occurrit, vt ludificaret eousque hostem, donec reliqua copia, qua passim va-

A pudore, ne  
iuuenili hosti  
& paucis se  
dedant.

gabantur per agros coacta, & qua in castris aderant, commodius instruita & prodeuntes cum signis in unum aggregarent sese. Sed turbavit peritus dux serum iuuenis consilium. Tripartito nanque milite quosdam Italici generis, quod ibi presidium Venetus posuerat, cum parte equitatus ad agredienda superne castra praeproperare mittit. Alteram partem, in qua maior vis agrestium sagittariorum erat, obsidere viam castrorum iubet, qui & hos auerterent, & interciperet illos. Ipse cum tertia parte expedita, ferocius Amesa obnixus, disiecit primo impetu omne agminis robur, & ducem exactum presidio, trepidum auertit in fugam. Cui penetrata sagittariorum acie (ut dat plerumque vires nimius timor) tutus cum socijs in liberos campos euasit. Tum renouatus undecumque clamor, & hinc ducis fortuna, hinc subitus interuentus hostium praecidit stationarijs omnem facultatem instauranda pugna. Exin tota acie in castra incumbente, ibi quoque aliquandiu dimicatum, vincentibus egregie Driuaftenibus. Quare ubi promiora omnia ad victoriam hosti videre Amesani, relictis munimentis, per omnes partes effusi fugientes simul & resistentes decurrunt in planum. Angelus non insecutus palantes, neque occupatus in castris diripiendis, sed sat indulgisse victoria ratus, mox reuocato milite, urbem ouans ingreditur, non tamen diu lata ea victoria Driuaftenibus fuit. Amesa enim cum collecto ex fuga milite, eam ignominiam verius quam cladem perpendere, simul & ademptam spem omnem cernebat urbis habenda, temerariam irritati animi ultionem aggressus, quicquid fructiferi, amenitue circa urbem erat, deuastauit, tecta omnia diruta, incensaque, olearum, quibus maxime laudatur illa ciuitas, vsus ferme nullus relictus, sed non idcirco oppidanos felix semel audacia extraxit ex urbe, quam procul a portis sauiret hostis, veriti ne longius progressi a suis excluderentur, vel in insidias aliquas inciderent. Opportunum mihi visum est hoc loco Driuaftense oppidum nullo satis conditore vel vetustate nobile quoquo modo subycere legentium oculis, quamuis ad Romanos urbis condita originem credulus ciuium error contumaciter referat. Hinc & gloriabundos audisse memini Romanorum Colonos se appellantes, & inde originem suam traxisse contendentes. Ignoscendum id tantum cupidioribus gloria ciuibus potius, quam credendum censeo, quum nullis vsquam vel scriptorū, vel rerum monumentis id comprobetur. Quod etiam Antibarō notissimo hac aetate in ea regione oppido accidit, quod de veterum ingrato silentio non immerito conqueritur. Ceterum non indignus quidem videtur locus (si rationem sequamur) qui vel amenitate, vel commoditate omnium rerum Colonia fieret, & ad se habitandum colendumque homines alliceret. Est enim ager ipse omnium quae ad vitam pertinent feracissimus. Scaturientes undique fontes, & colles velut manu dispositi, planiciem exornant. Aer quoquo versus saluberrimus beat omnia

Driuaftenes vincunt Amesanos.

Amesa agrum Driuaftenium perniciose vastat.

Driuaftenis oppidi descriptio.

Antibarum.

omnia, conditque. Urbs in monte posita, qua parte meridiem spectat, in planum vergens, a torrente Clyro alluitur, quem verius fluium dixerim quantalibet astatu intemperie indeficientibus aquis. Murorum ambitus duo milia passuum amplius complectitur. Arx in montis vertice natura humanoque opere munitissima tuetur urbem. Distat a Scodra 8. a Motri 7. & 20. millibus passuum. Ita eam in hanc formam post inclinationem Romani imperij euersam a Gallogracis, Helena regina Francigena, foemina Christianissima, Simeonis Nemagna, Myssorum & Illyricorum regis uxor, postmodum erexit atque instaurauit, quae & alia vicina oppida aequae diruta renouauit. Coenobia & loca religiosa pleraque in Epiro atque Illyrico construxit, ut ex his in marmore incisus, aliisque monumentis licet intueri. Expletz ad satietatem ira Amesa, & desolato hostili agro, non Balesy repetendi amplius illum cura incescit, pudore fortasse collega quem integra re non audierat, & ob illius spreta consilia sero tum dolebat, cum stolidam temeritate se etiam nouisset infelicem. Sed Daynum conuersis signis pergit ire, imprudens dum Hispani reprehensionem fugit, grauiorem patrii iram subiturus. Instructus enim de omnibus a nuncijs locorum Scanderbegus, ubi de eiusdem aduentu cognouit, vocatum ad se protinus plenus irarum propalam in vulgus (quod acerbissimum fuit adolescenti) omnium criminum reum insimulauit, & debitorem postulauit sanguinis sociorum, temerarium clamans, quod tam stolidum consilium iniisset sine mandato, se quum a Balesio discederet, nihil horum ei praecepisse, interpretandam conticentis fuisse voluntatem, ut prohibuisse intelligeretur. Deinde qui proximi erant milites sciscitatus, ubi transacta omnia contra assensum collega cognouit, infestius exarsit, & perstabat in incepto immitis animus, dolereque se ex eo non minus dicere, quod eam temeritatem grauiore alia & longe immaniore culpa auxisset in deuastandis nefario exemplo oppidanorum agris, ignique & ferro in arboribus adificijsque desauiendo. Ad ea Amesa quum haud facile posset respondere, vocem non emisit. Illud tantum ad socios conuersus, Nihil, inquit, victo turpius est, Diu boni, quum & hinc hostium superbas insultationes, & hinc molestiores tuorum vultus expectes. Tum circumfusi omnes deprecare Scanderbegum, ut modum indignationi faceret, castigatam satis adolescentiam nepotis esse, & oneratam tristibus verbis illius fortunam. Se quoque vna cum eo eius criminis reos damnari. Mitigauere itaque subito militares preces populare ingenium Ducis

Torrens Clyrus.

Helena regina Myssorum & Illyricorum

Scanderbegus grauius exprobat cum Amesa.

Milites intercedunt pro Amesa apud Scanderbegum.

De vita & gestis Scanderbegi,  
**MARINI BARLETII SCO-**  
**DRENSIS, DE VITA ET GE-**  
**STIS SCANDERBEGI,**  
 LIBER QVARTVS.



**D**VM sic inter Christianos tumultuatur potius quam belligeratur, & sub Dayni mœnibus Scanderbegus conuenescit, Amurathes de singulis, tum à Mustapha iam inde certaminis auido, tum fama ipsa admonitus, multa vario consilio agitabat. Nunc pulchram opprimendi hostis occasionem laudare, nunc inuictam eius fortunam admirari, demumque quod magis dubiam mentem detinebat facta Christianorum odia, & vanos tumultus vereri. Ita dum inops consilij princeps solicite alia ex alijs interpretatur, præterlabebatur paulatim è manibus occasio mitescente iam Venetorum ira. Sed per pulchre ad infœlicia arma Ottomanum frequentes Mustapha adhortationes poscentis bellum, ad delendam priorem ignominiam tendebant. Quamobrem laudata ducis voluntate, mox nuncium ad eum cum eius generis literis mittit.

Bellum quod tantopere postulas Mustapha, en dedimus tibi, laudem ex eo (si vera sunt quæ ad nos de Venetorum armis afferuntur) tua tibi virtus ac dextera pariet. Caute tamen agendum est cum eo hoste, neque sumenda credule arma, quæ ubi non credas, per summam fœditatem deponas. Fallacis forsân inter Christianos belli species, & inanes simultates te tantum

Mustaphas obtinet ab Amurathe, vt cum Scanderbego confingeret.

tantum capiunt, quippe quum (vt aiunt) nulla sit breuior cõtentio, quam inter patrem & filium. Nos neque monere absentes præsentem possumus, neque stolidam pugnae libidinem laudamus. Obeunda sunt tibi omnia, & disquirenda singula inermi, quæ armato postea sunt agenda. Militem habes insignem numero viribusque integrum, hostem tum fessum tot prælijs, tum exhaustum. Reliqua ages pro arbitrio tuo. Nihil enim vt facias prohibemus, quod è dignitate nostra censeas futurum.

Postquam facta est belli copia ab Amurathe Mustapha, instructo agmine, ingentibus animis eo certamine totius belli labores finire concepit, neque insidiantis more eum celabat apparatus, sed palam hostis animum præferens, ubicunque sui copiam faceret Epirensis, iusta acie collatisque signis omnem fortunam subiturus videbatur. Interea nuncius à præsidio, quod ibi ad Macedonia fines Castriotus reliquerat, Daynum missus magnis itineribus illum instruxit, qui de singulis & omnia prout erant, exposuit. Quare intrepidus princeps, & impiger belli artifex, alium recentem viribus nuncium celeriter ad suos expedit, qui moneret eos, vt cauerent omnino aliquam pugnae facultatem præbere Barbaro, sed vel per montium saltus, & inaccessa fermè loca ducentes agmen ludificarent. Interim hostem vel quadam fugæ specie paulatim deciperent, differrentque eousque fortunam certaminis, donec ipse cum copijs suis opportuno aduentu reformaret singula. Quem ubi vidissent, mox eodem tenore sequerentur, ibi signa, ibi acies, ibi robur belli foret, ubi ipse esset. Dehinc quamuis moleste à Daynensi negotio abstraheretur, accito Amesa, obsidionis curam illi tradit, non consilio solum, sed prece etiam agens cum iuvene, ne aliquid se absente moliretur in obsessos, satis proprio edoctus malo, neue pedem usquam à mœnibus referret, quo vel respirandi copia fieret oppidanis, vel frumentationis faciende facultatem haberent. Ipse diminutis ibi copijs quingentos equites, mille quingentos lectissimos pedites sibi ad vetus presidium augendum contra novos Barbari motus elegit. Driuaenses copia ad obsidionem cum adolescente relicta agretulerunt. Cupiebat nanque quisque, & Scanderbegum orabat, vt concederet sibi recenti contra Barbaros virtute culpam priorem corrigere, & abolere ignaviae memoriam noua gloria. Nemo tamen acceptus, quum neque omnes ducere ex re sua esset, neque alios posset sine caterorum molestia & discordia quadam seligere, dum nullus se socio deteriore credit. Veteranos tantum, & emerita militia viros totius robur exercitus elegit, non ignarus optimus belli dux, aliud esse muros obsidione cingere, & sub ignavis mœnibus compressis manibus sedendo vincere hostem, aliud cominus furentibus gladijs, & cruento Marte difficilem laudem appetere. Vix abscesserat Scanderbegus, cum Scodrenses & de Turcarum motu, & de ducis consilij pariter & pro-

Scanderbeg firmat suos contra Amurathem.

Scodrenses Ba-  
lesium incen-  
dunt, fundi-  
tusq; euerit.

fectione non ignari, summa diligentia copias & magnam vim tormento-  
rum ad noua urbis oppugnationem parabant, veriti nisi inde Castrioti  
praesidium expelleretur, & expurgaretur locus ille hoste, se in visceribus  
ipsis bellum semper habituros, neque facultatem unquam respirandi futu-  
ram. Quare velut auidum luporum agmen, ubi abesse pastorum curam  
nouerunt, irrumpunt intrepidi in imbellem gregem, & indefensa ouilia ra-  
piunt, disiciuntq; ita intenti iam pridem hostes, postquam profectum ad a-  
liam belli molem Castriotum aduerterunt, statim infestis signis, infestiori  
apparatu Balesium petentes, inde acceptarum iniuriarum ultionem or-  
diuntur. Nihil abfuit, quin praesidium ibi opprimeretur, si expectatus fuis-  
set hostis. Sed Hispanus ubi afferri machinas & reliqua quatiendorum  
murorum instrumenta cognouit, collecto milite, ceterisq; impedimentis,  
Daynum ad sociorum copias silenti agmine iter arripuit, vacuis tantum mu-  
nimentis hosti relictis. Superauerat iam Clyrū Scodrensis, & duobus fer-  
me millibus passuum distabat ab oppido, cum tacita omnia subito visa, non  
clamor virorum, non praesidij signum aliquod pro muris auditum. Iniecit  
pauorem primo & horrorem quendam animorum viris tam improvisa  
res & suspectum silentium. Deinde ubi exploratores missi, vacua omnia  
custode nunciarunt, audacius processere signa, insidiarum sublato timore.  
Molestior tamen ea res & hostium fuga fortibus viris fuit, quod sibi tantum  
cum ignauis mœnibus, & inanima urbe pugnandum aspicerent. Humo  
praesertim duci illi, qui seruitutē fratris praclaro aliquo facinore vlcisci cu-  
piebat, indignatus quod tam diu libertatē illi apud Castriotum exorare nō  
potuisset, nisi fecerit fortasse (ut ingeniosos reddit homines amor) eo consilio,  
quod expugnato Balesij praesidio sperasset habere efficax aliquod pignus ca-  
ptiuū hostis, quē postea cum fratris corpore permutaret. Subire itaq; muros  
vndiq; milites, ad quos diruendos non satis necessarius usus tormentorum  
fuit. Recenti enim ferē adhuc cemento, inutilis compago lapidum vectibus  
tantum ferreis acta, paruo impulsu sua sponte ruebat. Disiecta igitur pau-  
co momento omnia, reliqua lignea materies, & stipitum robora iniecto i-  
gne arserunt. Stationes militares, & cetera munimenta pariter solo aqua-  
ta. Ita inanimi ultionis genere Scodrenses odio expleto, deformem urbis  
aspectum reliquerunt duci vlciscendum praepropere maximo suo malo, &  
grauiore longe calamitate. Non deerant ibi, qui ducendas recta via copias  
ad Daynensem obsidionem soluendā dicerent, & tentandam ibi fortunam,  
quum omnia essent ad victoriam proniora, Scanderbego absente. Sed tum  
paucitas ipsa suorum minuebat audaciam, tum moliri quicquā noui consi-  
lij in hostes praeter mandatum praefecti urbis ceteri prohibebant. Signa ita-  
que conuersa Scodram, & retro acta domum copia nullo satis specioso glo-  
riae genere, non captiuū spolijs, non hostili sanguine decore.

Marinus

Amor inge-  
niosos red-  
dit.

In animo,  
quod anima  
caeret, sicut  
Vergilius ex-  
animū cor-  
pus. Iā enim  
dixerat de mu-  
ris dirutis.

Marinus quoque Daynum reducto praesidio, & dolorem Ameza pro-  
pter publicam ignominiam, & risum quendam ob priuatam eius fortunam  
excitauit, ne solus ignaue repulsus à Drinastensibus videretur, cum & col-  
lega socius moestitia ac fortuna esset, tum publice ad milites conuersus ado-  
lescens.

Age nunc, inquit, misereamur posthac misereamur eousq; hostium, do-  
nec funesta pietas ista nos ipsos precipitet. Soluamus pernicioso exemplo  
Scodrensiū vincula, reddamus libertatem captiuīs, ut facilius postea in  
capita nostra desauiant. Quis animus patruo erit? Ubi deformem urbis  
aspectum cernet, ubi diruta mœnia aspiciet ab illis, quos captos nuper in  
Drinonij campis, tam specioso omnium spectaculo libertate donatos patriae  
reddidit, ut noua hodie aduersus se arma sumeret, & feroces instaurarent  
spiritus. Ignoscamus Drinastensibus, abstineamus ab hostili agro, hostiliq;  
aeque in corporibus nostris passuri. Jam eò decurritur, ut dum tam faciles  
in ignoscendo sumus, omnium in nos arma excitemus, & dum aliorum vin-  
cula rumpimus, nobis iniqui ipsi imponamus. Habendus ita est hostis, quum  
in potestatem venerit, ne dum pij magis simus quam par est, pietatis ius  
omne amissum in eum transferamus. Nemo conquiri poterit de nobis, si  
belli iure utamur: nemo crudeles appellare eos, cum quibus pari odio de vi-  
ta, de sanguine decertet.

Gerebantur hinc res ignauis querelis. Inde Mustapha immisso agmine  
Scanderbegi praesidium quiescere non permittebat, sed assiduīs procursa-  
tionibus lacebatur magis, quam terrebatur hostes. Ipsi nunquam a quo Mar-  
te congressi, defendebant se nunc munimentis castrorum & locorum po-  
tius quam proprijs viribus, nunc modico agmine educti, simulata fuga,  
per ludificationem Barbari diem extrahabant. Ille itaque ubi inanem  
spem praesidij opprimendi vidit, neque oppugnare stationes eorum aggres-  
sus, neque palantes longe infecutus timore insidiarum custodijs tantum di-  
ligenti consilio dispositis, in deuastandis adiacentibus agris, reliquum ope-  
ra consumebat, donec admonitus de Scanderbegi aduentu retractis copijs  
non multo minus quam duo millia passuum procul ab hoste firmatis signis  
consedit. Locus ipse quem ad id certaminis elegerant, Oronichus, vel  
notiori vocabulo Oronochius appellatus, in Dibra superiore est, in qua-  
dam planicie haud multum lata, sex millibus passuum procul à Croia. Ca-  
striotus quoque cum nouo milite receptus in castris, primum omnium edi-  
cto admonitos, ne quis iniussu exiret stationes, singulos ad opus munien-  
dorum castrorum traducit, neq; à barbaro motus aliquis exortus. Quie-  
ta igitur utrinque statina fuere. Dehinc Epirensis ubi procurata est sa-  
tis castrorum cura, & arma munimentis firmata, tum armis firmare mu-  
nimenta cepit, & ordinum habere rationem. Veteres copia trium millium

Tacita Ameza  
querela.

Mustaphas  
non facta sibi  
copiam pugnandi  
à Scander-  
begano prefi-  
dio, agrum in-  
cendit atq; de-  
uastat.

Oronochius  
locus.

Copia Scanderbegi.

Et quingentorum equitum numerum complebant, peditum sexcentorum. Nam licet Castriotus haud multo minus quam quing. hominum millia ibi reliquisset, quum ad Veneti belli apparatus proficisceretur, plures tamen inde ab eodē postea diuersis rationibus euocati sunt. Computatione itaque omnium habita, sex hominum millia inuectā, qui eo pralio Barbaro opponerentur, et insignis gloriam certaminis subirent. Neq. tamē omnibus copijs pugnatum: vacuas namq. custode restare stationes (quencunq. euentum dedisset fortuna) non passa est solertia ducis, sed trecentorū virorum lectissima corpora ei custodia addixit. Copias summa ratione consilioq. deduxit in alas, equitum robora in frontibus locauit, mille et quingentos utrinq. dispositos, veritus imparem peditem primo impetu hostium facile pelli posse. Circumsusi itaq. pauci post alas, nam in medijs ordinibus maior vis peditatus reseruata. Ibi quoq. munita quingentorum equitum robore, ut prima eruptione undiq. eques cum equite, si ordines turbati non essent, concurreret. Dum ita instructa acie Castriotus immota signa, et silentio militē contineret, expectans ut se hostis moueret, Barbarus à reliquis copijs euectus (Caragusio nomen erat) in medium, quod vacui interiacebat campi prouocationis signum dedit. Deinde progressus ante ipsas stationes, insigni voce fortissimum queng. poposcit, qui secum singulari certamine decerneret. Tenuit silentium primo viros, quippe quos sicut à detrectando pudor, ita ab accipienda conditione metuendum pugnae genus impediēbat. Non tulit tamen diutius insultationem Barbari, Paulus Manessi, notus equestri gloria bellator, quum et ad ipsum omnes ordines spectabant, velut potissimum illum ea appellaret prouocatio. Sed surgens ingenti ferocia, letitiaq. ad Scanderbegum, voluntatem eius sciscitaturus, ire perrexit, à quo laudatus egregie est, et accensus grauioribus stimulis irarum simul speiq. Pergeret secundis Dijs, tum ad priuatum decus petendum, tum ad insignem sociorum victoriam, eo praeclaro facinore auspiciandam, quem ceteri postmodum imitentur, et latus exercitus pulchra recentis eius gloriae auspicia sequatur. Circumsusigitur undique turmales, velut iam inde victorem laudare. Ille tantum moratus, dum arma, et solitos ad id genus certaminis apparatus expediretur, mox equum conscendit, et in subiectum prouolans campum, expectantem hostem infesta voce compellat, et adictus se parare iubet. Barbarus autem tantulum mora petens, dum loqui pauca sibi cum eo liceret:

Leges duelli.

Victoriam, inquit, dextera et fortuna decernet, leges ipsa victoria nobis sunt statuenda. Si gloriam de me hodie tibi promiserē fata, nihil recusato victus belli iure, et opima spolia tibi, et cruentum cadauer auferas. Sin ipse sub manibus meis occumbes, idem iuris seruari mihi in captiuo corpore posco. Idq. ratum habeant duces, ne vel in ipso certaminis ardore, vel post de-

post decretum duellum, motus aliquis oriatur à stationibus ad iuuandam alterutrius fortunam.

Ad ea Paulus comprobata esse eius pugnae legem, quam ipse velut timido desiderio seruari postulet sibi, cedere aperto iure victori reliqua, ubi ferox spiritus cesserit. Pugnaret intrepidē, hostem nisi se tantum habiturum, quem ubi spoliasset vita, inulti quoque cadaveris liberam potestatem futuram. Nam vel si ipse concedat eas inanes reliquias militum lacrymis, non passurum Scanderbegum, ut ignaua membra ad se deferantur. Nouit Barbarū audax viri responsum, et facilis vitæ contemptus, adeo, ut prouocasse fermē pœniteret. Tum ubi firma omnia et rata sanxere duces, destituti in medio ambo, omnium in se oculos conuerterunt. Desiderat passor mixta spe homines, qui ad spectaculum aderant, sollicitos euentuum. Pares namq. visu ambo ac specie erant, media virorum statura, et stas ferme eadem, neq. patiens ignauia, neq. iuuenili calore vana. Idem amobus habitus armorum, hasta equestres, clypei laminis ex calyce in umbilico distincti, ensis utriusque de more recuruus, et ferrea claua, corpora loriceis, et capita galeis tecta. Addebant praterea decorem quendam (licet nihil ad victoriam facerent) fulgentes ex serico tunica. Citatis itaq. occisime equis, trucidibus oculis simul et animis campum diuersi rapiunt. Et

Describit Paulum &amp; Caragusium, &amp; hōrum Panopliam.



quum infestis cuspidibus concurrissent, Paulus supra scutum, dextrum oculum rimatus, Barbarum hasta transfixit. Delapsusq. humi cum vulnere, ex equo desiliens, armis corpus, et capite truncum priuauit, ac casti hostis onustus spolijs, equum conscendens, ad suos redibat, quem effusi undiq.

Paulus vitia Barbarum in duello.

diq; ex stationibus milites ingenti gratulatione perducunt ad duces. Col-  
laudatū eum Scanderbegus mox insigni clamyde ex auro contexta, ac vil-  
la quadam opulenta publice donauit. Tum caterorum ordinum animos  
( pugna nanq; & iacienda congressus illius alea tempus instabat ) solitis de  
more adhortationibus accendit.

Oratio Scan-  
derbegi, qua  
auget ferocia  
suorum, & mi-  
nuit hostium.

Animatos satis vos singulos praclaro hoc priuata virtutis spectaculo  
( si facta quicquam viuaces fortium virorum spiritus mouent ) esse existi-  
mo milites, quippe quum nullum acriorem stimulum subijcere Diū hodie  
potuerint vobis, quam felicia hac victoria delibamenta, qua & auferent  
ferociam vestram, & minuerent hostium. Quare agite, factam ad laudem  
viam audacter ingressi, fumantes adhuc cruore hostili militis vestri ma-  
nus, pulchra omnes contentione imitamini. Vouit pro vobis, vouit pro vi-  
ctoria sollicita socij cura. Immolauit victimam pro vobis fortis dextera,  
quo incruenti vos postea secundo Marte deuota vobis corpora confice-  
retis, & promissa peteretis spolia. Irrumpamus igitur nunc nunc in ho-  
stem, prouocauit prior extra ordinem vos ille, prouocemus priores nos tota  
acie ipsum, extrahamus inuitos in funestum campum, dum ignauus do-  
lor vires hausit, & torpor animorum homines mæsto silentio compressit.  
Sub ijs dictis curatis iam pridem corporibus, signa canere iubet, & quin-  
ta ferme diei hora in aciem educit. Insignis sane ferocia viri, & digna in-  
uictæ virtutis fiducia, quam omnis ætas admiraretur. Ausus est ea homi-  
num paucitate unicus belli artifex, contempto egregie hoste aquo campo,  
collatisq; signis tanti fortunam certaminis subire. ( Nulla nanq; tum igna-  
ua fraudis, nulla insidiosi stratagematis ratio procurata. ) Ausus est prior  
relictis monumentis, libero euectus campo ei hosti insultans velut reniten-  
tem educere ad pugnam. Jamque ad ipsas hostium stationes ingenti mili-  
tum clamore pergebat, ni Mustapha tumultuario primum agmine, de-  
hinc totis viribus illi occurrisset, sed sicut timide progressi, ita facile pri-  
mo impetu pellebantur, & vix dum omnes è castris educti iustam aciem  
compleuerant, quod plures subita fuga iam recipiebantur inter stationes.  
Id ubi aduertit Barbarus, neque signa suorum, neque militem vsquam  
consistere, quo accenderet audaci exemplo viros, clamitans vt se sequerentur,  
& ubi eum vidissent, conuolarent signa. Concitato repente equo, pri-  
mam hostium frontem inuadit, pertinaci consilio aut victor ad Amura-  
them reuersurus, aut non inultus casurus. Secuti sunt plures ordinum du-  
ctores, & turmalium non ignobile agmen. Reliqui quoq; pudore ducis re-  
linquendi, paulatim inferentes pedem ora hosti ferienda præbebant, & va-  
rijs locis conferti, obnixius quo poterant, sustinebant aciem. Ita ubiq; iam  
ordines instaurati, ac renouata pugna erat. Sed nullum vsquam indicium  
variantis ( vt solet ) fortuna visum, perditæ aequæ ex omni latere victoriae  
spes,

spes, vincentibus perpetuo tenore Christianis. Adeo duorum militum e-  
uentus fortunam quoque vniuersi exercitus iam inde firmauerat, & sin-  
gulorum animis impresserat audaciam & pauorem. Moses à suo cornu  
nunc equite immisso, nunc subiecto pedite, & deducto pro signis turbabat  
barbaros, ac diuisos acrius premebat. Illi velut fato quodam magis, quam  
ab hoste superati, & vix ad deuicta vulnera idonei, vinciri magis, quam  
vincere aptiores videbantur. Paulum in media pugnantē acie, maximā  
vndiq; hostium strages sequebatur. Turbati iam hincinde ordines erant,  
non equitis, non peditis locus, promiscue aquata omnia, & maior ferme  
ibi Turcarum numerus confosis sibi equis ab Epirensium pedibus, veru-  
tis pedes pugnat, sed tum inassuetā corpora pedestri pugna, tum in in-  
commodiora arma perniciose perpediebant viros. Augeri semper hostium  
illis videbatur acies, rarefcentibus copijs suorum. Stabant tamen caci pu-  
dore, expectantes ducis euentum altera parte, quem cum nobilissimis qui-  
busq; & omni exercitus robore ad Scanderbegi stationem prateruectum  
reformare cunctorum ordinum fortunam posse credebant. Pauli aspectus  
nunc urgebat, quum metirentur timidis animis maiorem quaq; in hoste,  
ex perempti nuper viri gloria. Nunc irritabat ardentibus stimulis ho-  
mines, quū deformis militis sui species, & inulta socij umbra ob oculos ver-  
saretur. Ingentia præterea ( quod maximum irritamentum erat ) premia  
à Mustapha pro inuiso capite proposita victori avidiora periculi militum  
ingenia faciebant. Den sati itaq; plures circa vnum totis viribus incubue-  
rant, & velut oblii caterorum, obnixis vultibus vnum appetebant. Per-  
cades, per vulnera suorum emergere quisq; preciosi capitis munus non recusa-  
bat, sed stolidum hominū desiderium perniciosum ipsis etiam reddebat per-  
tinax viri virtus, qui stipatus quorumcunq; fortissimorum caterua pro-  
pellere satis eam vim poterat, & cōtemnere inanes conatus. Tum cōspiciens  
Barbarorum exercitum à reliquis copijs incessantem infestius agmen suo-  
rum, tacite consecutus obliquum viri caput gladio perstrinxit, & vno sub-  
inde alteroq; ictu præcipitem deiecit ex equo. Stratū humi ubi videre so-  
cij, retracto protinus pede, neq; vlciſci iacentem, neq; corpus à reliqua ho-  
stium vexatione tutari curabant. Instare tum acrius Epirenses, ac sine re-  
spiratione urgere turbatos, donec pulsi penitus omnem laudem cessere vi-  
ctoribus. Fugientes Paulus quantum maxime poterat, carpebat postre-  
mos, mordacibus subinde verbis in illos cauillatus:

Quo fugitis ignaui? Itā ne omnis sociorum memoria abiit? Nullus ne  
hic Carapusij frater? non consanguineus? non necessarius iacentis quispi-  
am in tanto numero, qui deformem truncum vltione saltē, quæ sola su-  
perest auxilio proxima, honoret? En ipse ipse nunc vos appello, prouo-  
coq; quem priores vos nuper ad mala conceptam gloria spem euocastis.

Sistite

Christiani vi-  
ctores.

Veruta pila di-  
cuntur, quod  
velut verua  
habent præfi-  
xa.

Perpedire,  
proimpedire.



*Sistite gradum, accipite cruenta socij spolia, que vltro vobis ipse offero.*

*Illi nullius rei praterquam fuga memores, turpi silentio hostis increpationem neq; approbant, neque reprobant, sicq; liberi paulatim euecti campo, ex oculis euanescebant, vt vix fremitum insequentium audirent. Sagittariorum tantum obstinatio sauitia in eos fuit, ceteri ordines abstinerunt fugientium tergo, nanque tum lassitudo, tum satietas habetauerat hominum vires, animosq;. Abiecta tamen vbi signa, & sparsa passim lunas (militaris id genus est signi Turcarum populis) collegisset, latimilites pulchro clamore, & iactatis incondite carminibus, ad Scanderbegi stationem contentione quadam afferebant. Lata nanque ibi omnia iam pridem erant, hostes vel casti longo ordine iacebant, vel seruati belli iure inutilibus post terga manibus, & propria ignavia & hostilis clementia confessionem faciebant. Mustaphas quoque ipse cum 12 purpuratis similiter conspiciendus cantherio ducebatur, augebatq; spectaculum, & leuabat velut fortunam ceterorum. Nam quum praterlatus pernicioso gloria appetitu in Castrioti cohortem esset, & obsessum se ibi, ac omni suorum robore exutum vidisset, neq; aut effugij, aut pulchri interitus facultas vlla adesset, maluit infelix dux omnia, libertatem quoque ipsam pro vita pacisci. Nescio an pulchrior res, & magis secundis Dijs toto belli tempore cum Amurathe gesta, ita speciosa omnium eo die opera fuit, non dux, non miles, non ordo aliquis onustior priuata simul & publica laudis antea redactus. Casa ex hostibus referunt 10. millia, captos 72. signa militaria 15, Scanderbego modica militum iactura ea stetit victoria, vix trecentorum (vt aiunt) hominum. Castra quoque non ignobili prada ditauerunt militem, nam quum Barbari aliquot mensibus ibi moram traxissent, peculium quoddam sibi quisque constituerat, casorum spolia pulcherrima inuenta, equorum insignis numerus. Non tamen licet prada militem onerasset, exaturauerat ira ferocem ducis animum, quin extemplo refocillatis corporibus, quod reliquum supererat diei, ad deuastationem agrorum militem traduceret, Sicq; victoriam recentem secutus, iniecto late igne, qua ferro non potuit, absumpsit. Neque inde tamen vulgi manus vacua recessere, & non solum si quid preciosi fuit, nihil relictum, sed pecorum quoque magna vis abacta. Ita dum fessos prada etiam ista magis tardat, vix prima noctis vigilia recepti sunt in castris. Residuum noctis ibi quieti datum, transfactumq;, tacite sine iocis, sine clamore, & nullo ferme victoria indicio, mestorem nanq; ducem visum propter auditam Balesij ruinam, modestiora quoque militum ingenia, & ad ipsum compositi vultus imitabantur, nunc consolantes leniter, nunc priuato odio frementes in hostem. Sed non poterat ager animus somnum capere, dum Scodrensi ferociam, dum sua in illos beneficia collata crebro retractat. Mane itaq; dubia adhuc luce relicto ibi*

Lunæ militaris signū Turcis.

Mos. Manus post terga ligata captiuus.

Cantherius equus, cui testiculi amputantur. Sex. Pom. F.

Decem millia ex hostibus castra.

Scanderbeg mestus propter Balesij ruinam.

*vt consueuerat presidio duobus equitum millibus, & mille peditum cum reliquis copijs ad Daynensem obsidionem conuertit signa. Captiu quoque omnes abducti, & prada ferme quicquid preciosi fuit. Vbi quum ab Hispano singula magis certo ordine didicisset, tantum moratus, dum renouaret militem, mox recentibus copijs, multa simul damna importans Scodrensibus, Drinum traiecit, immissoq; passim equite, quicquid sati in campis fuit (Autumni nanque in ipso exitu altiori tum herba ornabantur prata) deuastauit, vires vniuersa interneccione deleta. Omnis ferme fructifera arbor aquata solo, agrestes qui inuecti fuere occisi plures, dum arceret hostem, reliqui omnes male habiti, exutiq; patrimonijs. Subinde ad alia loca & oppida Venetorum progressus, eandem omnium fortunam faciebat. Villani, & si quid presidij reliquum in agris erat, cuncti ad ipsum defecerunt, priusquam ruinam sentirent. Culpauit Scanderbegus Amese indignationem, suam non cognouit, execrauit adolescentis ferociam, praeferendam in se iram cohibere non potuit. Tum vbi procurata omnia, & insolenti dominatione subiecta sibi vidit, vrbibus quoque ipsis incipiebat esse terribilis. Sed appetens iam frigoris vis, & increbrescentes quotidie pluuia, inuitum sub assuetis mœnibus in hyberna compulerunt. Veneti interea prouincia praesides, & Scodra magistratus solliciti de rebus omnibus, praesertim de*

Scanderbeg ad obsidionem Daynensem se conuertit.



*Dayni presidio, vbi ad vltimum inopia ventum sciebant, literas ad Senatū de singulis decernunt. Sub idem quoque tempus & Barbari cum ingentibus donis ac magna vi pecunia pro captiuis redimendis ad Scanderbegum*

Mustaphas cum alijs 12. purpuratis captiuus, 20. aureorum millibus redimitur.

Q. Scanderbegum

begum acceperant, 25. nummum aureorum millia fuisse nemo dissentit. Datus itaque Mustaphas cum ceteris, & honorati hostes, habitique liberaliter sunt, velut omne odium resedisset. Exin & duces dati, regionis periti, qui ignaros regerent, & seruarent ab insidijs suorum. Captiua pecunia omnis militibus erogata, ut penes eosdem premia, penes quos pericula essent. De Dayni oppugnatione nihil per eos dies tentatum, prohibebat namque molestia frigoris quicquam moliri in muros. Oppidani rerum omnium, praeterquam fidei, immemores, de assueti pertinacia nihil mutabant. Hauserant vires hominibus tot undecunq; incommoda, sed idem feruor animorum erat, vegetiorq; indies in diminutis corporibus spiritus. Ita pusilla vrbs fortissimi ducis impetus retardabat, & tot simul bellorum victorem sola constantia vincebat. Nunquam tamen Castriotum pudor ullus ab incepto auertit, sed dedendo, si aliter non posset, vincere destinauerat. Ferebantur iam obscura quadam vulgi voces, & incerta murmura de propensioribus ad pacem patrum animis. Quare & mitius Scanderbegus agebat cum hoste, leniusq; in procurrationibus assuetis indultum ira, nunciatur extemplo sibi legatos decreto Senatus missos, qui noua pacis consilia inirent, iam iam adesse. Praemisso itaque de more obuiam nobilissimorum ordine, venientes honorifice excepit: deinde habitos lautissime, postero die exhibuit copiam dicendi ea, quae a patribus afferrent. Proposita simul & accepta sine variatione inter eos est unica illa pacis conditio, ut soluta Dayni obsidione Epirensis, acceptam semel in suam fidem urbem cum omni iure Venetis cederet: Ipsi ager quidam iuxta Drini flumen, & locus quem Buslegiarpeni appellant, ad inuicem consignatus. Nihil negauit Scanderbegus, sed quae statuissent ipsi, latus tulit. Firmata igitur pace, & rite peractis omnibus, tum silentio facto (parabat namque generosus animus in signe indicium liberalitatis ostendere) ita exorsus est:

Pusilla vrbs fortissimi ducis impetus retardat.

Conditio pacis obfessi Dayni.

Buslegiarpeni.

Grata lautae oratio Castrioti ad Venetorum legatos, qui cum pace ad eum venerunt.

Laudat Venetos.

Viueret utinam nunc bonus Princeps ille, cuius mors & praecipuum simul dolorem mihi, & molestissima vobiscum arma excitauit. neque enim dum impij belli auspicijs, ac domestico sanguine cruentam Dayni possessionem a vobis quero, cernerem hodie prouinciam Christianorum, & sociorum, tot immersam malis, & inuiolata cum optimo Senatu pace gloriarer, quam lesam nunc tam leui causa momento, vix unquam coquerere poterit animus, sed alia contentionis huiusce origo. Excusabilem vestram sumpti bellirationem illorum perfidia fecit, quibus auctoribus primu Daynensis editio facta vobis, dum & iniquis consilijs facile mulieris ingenium a me abalienassent, & quae acta iam pridem inter me & Leccham fuerant, dolose, & assentationis studio quodam reticuisent.

Non sum igitur succensus eousq; vobis, non arma sumpsi, ut iniustos arguerem, non ut regni libidinem imputarem Venetis, quos unquam ini-

qui

qui alicuius belli auctores nulla satis atas vidit. Illud tantum molestissimè tuli, quod minus mihi, quàm par erat, credidissetis, & dum a verbis illorum non disceditis, contentionis me studio motum, & cupiditate aliqua impetrandi arbitrati essetis. Inj tum ipse belli occasione, quam in manibus ferme mihi traditã videbam, quum ius omne in armis resideret. Depono nunc vltro poscentibus Dijs, & si vos non posceretis, agrum & campos, quos in Dayni compensationem decreto Senatus attulissetis mihi ad foederis huiusce firmitatē, & libenti animo accipio voluntatē patrum, liberalissimorumq; Principum amicitiam amplector, aliud quippiam neque peto, neque accipio. Sed & quicquid agri est mihi, si oporteat, regnum, fortunas, vitam deniq; pro vobis, liberisq; vestris, & imperij dignitate deuoueo.

His dictis, praecordia per uniuersam regionem decerni iubet, & cupitam tamdiu pacem latis populis annunciari. Obsidio tum dissoluta ocuis, & demolitis oppugnationis operibus, alacres ordines excipere oppidanos, ac inuitare ad stationes, deleto odio omni simul publico, simul privato. Andrea quoque & Vulcatanio libera abeundi potestas data, restitutaq; cetera legatis, villa, & castella, quae Scodrensibus nuper ac vicinis urbibus adempta fuerant. Postridie editis de more varijs ludorum spectaculis, cum ingentibus donis legatos a se dimisit.



Ipse impatiens ocij cum omnibus copijs ad Barbarorum fines deuastandos, & assuetam pradam, ire perrexit. Collectoq; ibi veteri praesidio, ac coactis in unum ordinibus, iusti cuiusdam exercitus formam expleuit, ut non ad depopulationem agrorum, sed ad ingentis alicuius belli morem in-

Excursio atq; deuastatio agri Amurathis à militibus Epirensibus facta.

Q 2 structam

Aerariū Scanderbegi, hostilis ager.

structam aciem dices. Ita latus quisque sequebatur ad accipienda promerita diutina militie stipendia. Aliud enim nihil tum à duce poscebat militaris cupiditas, nisi quod quisque sua manu cepisset. Hinc ioculariter saepe vicini principes Aerarium Scanderbegi agrum hostilem appellabant. Tum tripartitis copijs Turcarum fines ab omni parte ingressus, biduum in depulando consumpsit, colonorum magnus numerus casus, nisi qui Christianum nomen profitebantur. His quoque nihil prater vitam et libertatem relictum. Ignis postea tectis immissus, deformavit omnia, ac in cineres vertit, ita ut si exercitus hostilis eo tempore venisset in Epirum, nisi conuecto secum comœatu, vix unius diei alimenta inde sperare potuerit. Ubi igitur nuda tantum tellus, et sola cladis vestigia relicta, tolli signa Castriotus iubet, et retracto intra suos fines exercitu, collaudata singulorum opera, milites omnes exauctoratos domum dimisit, prater tria millia, quod praesidium nunquam à solita custodia reuocatum, ipse cum reliquo civium agmine, et stationarijs suis, Croiam petijt.

Castriotus à Venetis ciuitate donatus, totius rei Venetę in Epiro, Illyricoque summus creatus est Imperator.

Quum relatum est in Senatu de Epirotica pace, et Scanderbegi munificentia, ac laudes celebrata publice à legatis, ingens patrum gratulatio, exorta, quod respirasset eo bello prouincia. Tum ut decorarent eam viri virtutem ac libertatem aliquo gratorum animorum exemplo, primum habitis suffragijs sine variatione absens cum omni posteritate ciuitate donatus, et inter clarissimas familias receptus est: deinde et unus electus ingenti patrum consensu, cui in ea regione totius rei Venetę summa mandaretur. Data itaque mox litera ad eum cum regijs muneribus. De Barbaris et assuetis eorum excursionibus nihil per eos dies auditum. Defixerat namque pauore quodam eos Mustapha fortuna, ac prohibebat Amurathem solita agmina decernere in Epirum, et eiusmodi copijs augere magis, quam oppugnare hostis vires, quum omnes exercitus suos, qui ad id tempus ad Scanderbegum laceffendum Macedonia fines intrassent, vel maiori ex parte deletos, vel fœde fugatos, aut redactos in seruitutem cerneret. Maioribus proinde viribus, et alio apparatu, ad id peragendum opus esse ratus, terebat dies consultationibus, et laudis materiam sibi olim inani proposito referuatam differebat. Sed ubi et fama Venetę pacis, et prouincia deuastatio, ac clades alia super aliam audita, pronus iam inde ad bellum animus, acrioribus stimulis impulsus est. Solicitus itaque senex priusquam decretum aliquod de habendo delectu interposuisset, accitis purpuratis quibusdam, qui propiores Tyranni lateri assidere solent (consiliarios illi vocant) amens ira furoreque, nutritum tam diu odium his tandem verbis explicauit:

Acris Tyranni adhortatio ad suos super

Fouimus iam hucusque, optimi duces, auximusque nefarij transfuga fœlicem semel audaciam, dum nouis semper Hungarici belli necessitatibus prape-

præpediti, inuisi capitis supplicium distulimus, ut tot subinde iniurijs, contumelijsque, Ottomanum imperium impune laceffuerit, quas neque audire iam aures, neque videre oculi possunt. Creuit (proh pudor) processit eò ferox insania, ut audeat hodie prior totis nos armis impetere, et aperte timorem simul et ignauiam vestram arguere. Quid Alybassa nunc fortunam, aliorumque ducum eundem euentum narrem vobis? Sumamus ex Macedonia imaginem conditionis nostrę, quam ita assiduis euersam excursionibus, et haustam incendijs audio, ut nulla iam simus prouincia, sed sola hostium vestigia visuri. Ita integros dies nuper populabundus ingressus, compositis ad id ipsum copijs, signisque, in deuastanda ea regione consumpsit. Quousque tandem scelerati hominis propositum passuri sumus? an dum vincula nobis ipsis circumdet? Extinguendi sunt improbi conatus, ne sensim per negligentiam nostram crescat incendium, et seruum (quod ominari reformidat animus) remedium conqueramur, quum à paruis initijs contemptus hostis olim funestum caput extulerit, et auxerit vires. Inuitant ad bellum omnia, et arma tradunt vobis. Nam et si nulla sit consilij huiusce ratio, nonne satis fortium virorum animos sollicitare debeat miserabilis aspectus subditorum populorum? An pudorem non excitent tot indies vincula nostrorum, et fumantia late incendia villarum vltorem eo ipso poscentia? Compressimus iam totiens Hungaricam rabiem memorabili semper clade, sordidaque in luctu suo Græcia relicta, haustum tot insolentissimorum Principum vires, Epiroticos tumultus per discordiam nostram crescere permittimus? et vectigalem, ac stipendiariam nuper prouinciam a quo nobiscum bello decertantem diutius cernimus? Itane alios tam repente Epienses terra adidit? Nonne, et inusitati nobis hostes repente apparuerunt? Experiri iuuat igitur ipsi mihi, vtrum tam inuita bello gens, et inflati pertinacia ducis, ingum assuetum subire possit, Neque enim amplius incunda sunt nobis inania consilia opprimendi per insidias hostis, non alternis ducibus, copiisque solitis decernendis exaturandum sanguine nostrorum inuisum solum. Habemus namque in oculis eandem omnium fortunam, vel ductorum, vel copiarum, quorum ad hanc diem operam verius ad nos, quam ad hostem oppugnandum elegimus. Alybasse aut Ferisso ne exercitum tradamus? qui prater vulnera suorum, deformesque reliquias, nullum reliquum hostile signum afferant? Mustapha infelicia consilia vltius exerceamus, ut stipendijs alat Christianos, et foueat hostium vires, dum ignava vincula cupit exoluere? Victi totiens, capti, ac redempti tot pœnas dedimus, ut pudere merito iam nos debeat fortuna nostrę. Quare subeunda est omnino nobis belli huiusce ratio, incumbendum ijs viribus, progrediendum eo exercitu, quem vix capiat Epirus, nedum eius sustineat impetum. Sicque incruenti omnia expurgabimus.

bello contra Scanderbegum decernendo.

Macedonia deuastata.

Miserabilis aspectus populorum.

Victorie Turcicę.

A fortuna ductorum & copiarum.

hostibusque aut expulsis aut memorabili clade domitis, amissas populorum perfidia urbes, in antiquam formam redigemus. Velsi pertinacia gentis (ut solet) temerario proposito ducis tutandi studio in arma ruet, dabimus excidio avidos supplicij animos, et cupita tamdiu ultione veteres publicas, priuatasque iniurias copensabimus. Sumenda hac arma sunt vobis fortissimi viri, non velut aduersus Hungaros, aliosque hostes consueuistis, sed maiori longe ira, indignationeque, tanquam in seruos vestros, et transfugas, qui insolentes in vos spiritus nefario iam pridem consilio seruos excitarint.

Apparatus belli Amurathis contra Epirota.

Clamabat hac concionabundus irarumque plenus, maximoque silentio ac assensu auditus est a suis, approbantibus omnem belli eius rationem et totius dignitate imperij futuram, acclamantibusque curam apparandarum armorum subeundam, quam maxima fieri posset festinatione, ne verum tempus (nam mitescente iam hyeme, vestiti niuibus colles aperiri incipiebant) in apparatu per negligentiam consumeretur. Tum confestim per prouincias et subditos populos ac regna sociorum praconia emissa, editaque proposita, ac iussa nominatim urbes, prout Tyranno visum, tot hominum, tot equorum millia impendere, qui ad regiam urbem Adrianopolim, qua maxime possent festinatione, properarent. Nondum enim mactata tanto funere Graecia, nobilissimorum Imperatorum sedem Barbarico subditam iugo, ingemiscebat. Inuaserat rumor, terrorque pariter vicinos populos, urbesque Christianas, ignaras, quo tanti belli moles eruptura foret, occulta namque tyranni consilia vix ullus poterat coniectare, ne illorum quidem qui magis intimi domesticique erant, prater consiliarios, quos diximus aliquot maxime obseruantes Ottomanis, ne praemoniti hostes, ad vim propulsandam consilij copiam habere valeant. Hinc memini prima Scodrensi obsidione prius ferme visos nobis sub muris, quam auditos fuisse hostes. Sed et illa insigniori fallacia perdit a gens uti solet, ut alio plerumque mendacem belli famam, ac inanem tumultum praemittat, alio veros exponat impetus, quo perniciose credulitate ductos facilius incautos opprimat. Quare omnia ingenti tumultu undique misceri. Hinc Hungari verentes aeterni perfidiam hostis, exhaustas iam tot cladibus vires, ac infelicia arma erigebant. Hinc Graecia sollicita tenues inclinati iam imperij reliquias defensura, dispersos domesticis odijs spiritus colligebat, non fessit tamen Scanderbegum Amurathes, qui omnes simulationes, et dissimulationes Ottomanas longo iam usu callebat. Admonitum tamen illum etiam ferunt a primoribus quibusdam, et purpuratis Principis, per indicia quadam, et occultissimos nuncios, licet nihil valde certum affirmarent, sed credita sunt facile omnia ab Epirota. Augebat namque praecipue fidem, insolitum Amurathis ocium, quod nihil penitus praesidij, et copiarum, vel ad recentes Mustapha iniurias ulciscendas, vel ad tuendos

Confilia Turcae secretissima sunt.

Mos Turcae mendaci fama belli illudere.

fines

fines ad eam diem mississet. Dimissa itaque urbanarum rerum cura Castriotus, nihil ex tam vasto belli motu, ac hostili tumultu fluctuatus animo, expedito consilio omnia, qua vel alius Imperator prudens et impiger in tali re praeciperet, ageretque, praecipit ordine, atque egit. Illicoque simul nuncios cum literis ad vicinos, regulos, et socios Epirotici nominis mittit, quo instructi starent in armis, disponderent praesidia, ac firmarent armatis oppida, communirentque. Promiscua etenim omnibus damna, communesque vastitatis ruinas tanti exercitus magnitudinem asferre, tendereque Ottomanum, non ad eius perniciem tantum, sed ad commune excidium Epiri. Ipse simul, dimisso prius Mose, pluribusque optimatum suorum, tum ad copiarum conquisitionem, tum ad frumentationem habendam ad eas belli necessitates, nihilo segnior ab alia parte peragrans omnia, obequitansque crebra edicta per vniuersam prouinciam decernere, non dies, non noctes cessare, donec omnem materiam sciendi hosti, et gloria occasionem sustulisset. Agrestium itaque magna pars, et inutilis turba, cum vniuersa suppellectili in urbibus reducta. Quod roboris virorum fuit, et omnis militaris et as retenta ad belli diuersos usus, praesidium quoque a Macedonia finibus reuocatum ad nouum apparatus belli, coactaque undique copia ad regiam urbem Croia, non contemnendam formam effecerant exercitus speciem. Tum Castriotus conuerso animo ad discernendas copias, primum omnium decem

Quae Castriotus ad salutem regni procurauerit, audito Tyrani aduentu in Epirum.

Decem millia hominum electa contra Turcam.

In rem effe-

Ingenitum vulgi non admodum virtutis & libertatis curans.

Croia claustrum Epirotici regni.

Habitu summa ratione, exactoque consilio rerum omnium discrimen, utpote quod claustrum totius prouinciae ad comprimendos barbaricos tumultus ea urbs videbatur, a qua reliqui spes imperij penderet, salusque. Sed nescio an meliori consilio abstrahi a ciuium conspectu filij, uxoresque, an relinqui sibi potuerint. Quum acrius longe irritamentum maestis praesentium vultus, visa lachryma, auditi gemitus, ac oberrans praeculis seruitutis calamitas, et foeditas vinculorum, quam sola absentium memoria armatis futura fuerit. Nihil tutius idcirco fortasse id consilij genus peritis militia

Spectaculum  
miserabile cū  
pueri & foemi-  
nae vrbe eijci-  
untur.

militia visum, quod licet apta sit ea adhortatio cernentibus ad labores, & pericula subeunda, simul tamen & hostilis audacia, pertinaciaq; non leue momentum est. Quod sperata praeda libido impingit obstinatori ad arma proposito milites, & feruidioribus ad insistendum stimulis acuit barbarorum ingenia, acrius in vulnera, acrius in tela ruunt, neq; illos vel muri, vel superstantes armati arcere queunt, quin certatim subeant, segnius si nihil audiant in vrbe praeter fortium praesentiam virorum, si nihil aspiciant in mœnibus praeter auidas sanguinis dexteras, & morti destinata pectora. Miserabile spectaculum erat, flebile Croiensium discedentium agmen, plena omnia gemitus, ululatusq; foeminei. Non domus, non vicus, non pars vlla vrbis expers luctus. Personabat vario clamore forum nunc reprehendentium, nunc inuitantium suorum lachrymas. Praecipua tamen in templis & delubris eius fortuna, ac publici doloris species erat: ibi namq; ingens populi concursus, & omnis generis multitudinis versabatur. Supplicationes, votaq; mixta cum miseranda vi lachrymarū, per aras omnes cadebant, pectoris ac oris (ut mos est gentis) laceratio, foediorum aspectum



Malorum cau-  
sas in Deos  
vertente.

calamitatis faciebat. Matronarum nihilo segnior dolor, & praeter vultus deformationem, dulce videbatur imitari reliquarum mœstitiam. Nihil pudendum, nihil immodicum in ea sorte censebatur, & laudatior ea cessit, cuius insignior mœror iudicatus. Non deerant quoque sicut solita, ita impia mortalium querela, ac improba voces foeminarū, malorum suorum causas in Deos vertentium. Deinde ubi resedit aliquantulum per lachrymas exaturatus dolor, ad alloquia suorum versa matres iterato sermone vndiq;

vndiq; tumida cum osculis mandata dabant. Nunc praestita olim officia filijs, & promeritam pietatē commemorantes, nunc infirmam senectutem, & verendam caniciem oculis subijcetes. Idem omnium status, & habitus sermonis, uxores paruulos obiectantes viris, viduos iam inde penates, & sordidam orbitatem deplorabant. Senes mœsto silentio defixi, & aequae denatorum salute solliciti, neq; accendere ulterius verbis feroces suorum spiritus, atq; auidam suoapte ingenio periculi iuuentutem, neq; debortari a laboribus, & perfungendis pertinaciter muneribus, ne liberorum amorē patria charitati praeferre viderentur. Mox decretū à Scanderbego missum, ut leuaretur eo onere ciuitas, & armati ad sua quisq; munia abirent, quū satis iam impensum ignauo dolori & priuatis singulorum consilijs diceret. Renouatus igitur iterum luctus, clamorq; cum lachrymis sublati, velut rapi iam ab hoste omnia, viros, parentes, mœnia, delubra, Deos ipsos vidissent. Vix abstrahi poterat multitudo à possesso semel amplexu, manere quisque socius periculi suorum, ac comes fortuna vellet. Sed ubi iam instare molestius pracones, & apparitores ducis aduertere, in vltima oscula prolapsi omnes, paulatim chara pectora relinquebant, & fixis semper in mœnia oculis, incerta humi vestigia figentes abibant. Transportatos ferunt in maritimas Epiri vrbes, & alia sociorum oppida, ac Veneti nominis, ibidem & ingens colonorum multitudo cum armentis, gregibusq; ac patrimonijs reducta, ne opportunum quicquam calamitati relinqueretur, vnde alimenta eliceret hostis, quibus abunde vteretur. Postquam summoti est turba, & sedatus clamor, ac tumultus in vrbe, solaq; viris armorum cura relicta, Scanderbegus reliquum eius diei in recipiendis frumentatoribus, ac disponendis publice horreis consumpsit. Diuisa est & viritim annonam militibus, telaq; omnis generis, ac ingens scutorū copia dono data, ut inde iam liberali erogatione suorum fidem praeueniret. Arma se ferrumq; ita largiri dicebat hominibus, ut sibi perpetuo liberè haberent, vel gloriosius transferrent in hostem: clypeos ita demum tradere, ut iterum restituerent. Sic procuratis his per iocum, & deuinctus varijs muneribus vulgi animus, postero die Vranacontem, quem vrbes praesidio praeposuerat, Epiro oriundum, gratum & auorum meritis, & propria virtute virū ad se accitum, primo summotis arbitris, multa cum eo de Croiensi obsidione, & Barbarorum ingenijs longo examine egit. Deinde propalam in foro, medio armorum agmine immixtus, altiori sono vocis, ut sermo ad omnes peruenire posset, singulorum fidem appellans, patriam salutem commēdabat, nunc hortans, nunc imperans, nunc precibus agens, & tum perfidia pœnas, ac sceleris, tum generosa fidei prœmia statuens. Subirent fideliter patriam onera, arcerent pertinaciter hostem, neque quicquam satis hostilis colloquij ad obstinatas aures deferri paterentur. Insidiaturum eo modo Ottomanum, &

Vulgi animus  
muneribus  
deuinctus.  
Vranacontis  
heros Epiro-  
nis vrbi Croiæ  
praeficitur.

Scanderbeg  
patriam salutē  
commendat.

R. capta-

captaturum eiuscemodi persuasionibus, ac funesta pacis colore, si faciles ad credendum inueniat. Contra si nihil prater feroces spiritus, & surdas inanibus blandicijs aures videat, pulsam primo impetu aduersis Dijs collecturum vasa, neq; moliturum diutius quippiam in muros, ni perniciem militum suorum capiat, & in indignationis explenda causa apertum ruat discrimen. Eum namq; situm urbis insigni munimento natura esse, ut locus ipse, vel si compressis manibus sedeant ciues, iniuriam facile cedere possit. Exin, si motus aliquis fiat in muros, neminem excessurum integrum, praclaramq; simul ac incruentam gloriam paratam sibi, dummodo vti ea velint.

Croia vrbs munitissima.

Adhortatio Scanderbegi ad Croienfes suos per occupationem.

Ecquid, inquit, orationis vobiscum mihi esse potest amplius? Quid hortor diutius, accendamq; eos, quorum totiens virtus, fidesq; spectata, iam omni fermè terrarum orbi innotuit? Quin & si minus omnia tuta mihi viderentur in vobis, & nulla hucusque dedissetis constantia, nulla fidelis opera pignora, iustius tamè crederem à ciuibus ipse meis decipi, quam diffidere.

Scanderbeg Croiam exit.

His dictis, sexta hora diei exit vrbe. Ingens, ac omnis ferè ciuium turba prodeuntem vsque ad portas secuta est. Tum relictis & obseratis portis, ad reliquas copias in ipso conspectu urbis in campestrum locum descendit, ibiq; signo ocius dato, mota sunt castra, haud multo longe progressus, & Cosem cum expedito militum agmine obuium habuit. Redibat autem à Sfetigrado, quod oppidum ad Barbarorum fines positum, impensus sollicitudinem augebat Scanderbegi. Nunierat id verò Dibrensis rebus omnibus, viris, armis, comaeatu, operibusq; quibusdam in muris, quae in rem videbantur exstructis. Impedimenta praterea omnia inutilis atatis, sexusq; abducti ex vrbe, cura vrbis Petro Parlato, graui, ac perito militia viro tradita erat. Sed illud longe optimum videbatur, quod perniciosissimum ex ipso postea euentu apparuit: Quod omne fermè presidium armatorum ex Dibrano milite constabat, quos de industria Coses tanquam longe bellicosissimos Epiri populos ex totius corpore imperij ad id elegerat. Laudatus est multum à Scanderbego, quod omnia ex animi eius sententia gessisset. Traditis itaque illi alijs copijs, quas ad ceterarum presidia urbium parauerat, ipsum cum optimatibus quibusdam ad cetera prouincia loca & oppida firmanda mittit, & singula fermè munia singulis designat, quo celerior foret omnium procuratio, neque periculi quippiam sequeretur ex mora. Ipse cum paucis equitibus Sfetigradi portis adequitauit, sollicitus namq; de ea vrbe erat supra quam dici possit, velut tacita diuinatione praesagientis animi imminens malum. Vt autè praesenti sermone firmaret magis, accenderetq; suorum animos, & Barbarorum insidias, ac delinimenta Amurathis, quae magis etiam quàm arma ipsa timebat, doceret praecauere, Sfetigradum ingressus, in media vrbe, ubi ma-

Petrus Parlatus.

ior

ior aderat concursus, & fremitus armatorum, ac circumfusa undiq; nobilissimorum quorumcunq; astabat corona, exorsum ita ferunt:

Non poterat hodie meliorem materiam Sfetigradenses offerre vobis Deus Optimus Maximus, non pulchrior occasio laudis ardentibus animis, & cupidis militibus subesse, quàm ea, quae nunc iustissima vobis arma tradidit, quo & priuatam simul fidem mihi, & publicam Epirotico

Oratio Castrici ad praefectum Sfetigradensem &amp; oppidanos.



nomini in omne tempus praclaro exemplo testatorem sanciretis. Pro victoria hucusq; pro decore imperij dimicauimus, nunc pro salute, libertate, & mœnibus ipsis patriae pugnandum est vobis. Enitendum ne quas tot bellis feliciter gestis meis auspicijs laudes promerustis, nunc per summum dedecus & ignauiam dehonestetis, multa ac maxima fermè fortuna huiusce pars à vobis pendet. Primus namq; Amurathis transitus in Epirum, primus (ut nuncius sum ipse vobis eius periculi) Barbaricus furor vos impetet, ut inde velut demolitis claustris Epiri, opportuniorem iniuria prouinciam perrumpat. Vos belli eius primitia manent. Vos (si residet quicquam in pectore virtutis, si viget in fortibus viris memor libertatis animus) contundere potestis superbas hostis vires, & feroces frangere spiritus, à vobis & timoris & spei initium sumpturus est Ottomanus. Si ita animatos offenderit, ut nunc ego vos in pulchro furore contemplor, & latus immodicos fremitus audio, maiorem vbiq; vim periculi timebit, & documentum eo ipso feret abstinendi à ceteris urbibus Epiri. Neque premet diutius vos inani obsidione, ni consensere hic copias stolido proposito volet obstinatus senex. Is enim vrbis est habitus, ea natura loci, quae

Libertas.

Sfetigradi vr- bis habitus.

R a con.

contemnere aequum quantumlibet irritatum hostem possit. Quare inducite in animum ciues sola pertinacia animorum, ac fidei constantia incruentam hanc pariter & speciosam vobis victoriam parare. Ex euentu virtutis vestrae (id quod libenter repeto) fides quoque ceterorum populorum plurima ex parte pendet. Vos spectabunt omnes, quos laudent, quos accusent, quos demum velut omni reformata belli fortuna imitentur. Quid enim obtendere fatum, & casuum humanorum necessitatem fortes viros decet? Ratione res optime & suscipiuntur, & finiuntur. Vix est ut fallat consilium fortuna, & non sequatur virtutem. Habetis autem omnia, quae exactissimo iudicio potuerunt provideri, & praestari vobis. Non arma, non commeatus, non validissimum praesidium extrinsecus desiderare potestis. Non inutilis vos turba vulgi impedit, non querula foeminarum voces, & molesta occurrationes liberorum a muneribus publicis, ab armorum cura, & patriae custodia auocabunt. Solos vos vobis, & patriae manibus, Dijs, aris, focusque reliqui, ut gloria tantum, & libertatis stimulis, laboris, ac periculi certamine, ipsoque inter vos conspectu accendimini. Adero tamen & ipse non longe cum expedito milite & spectator, & hortator tacitus virtutis vestrae. Et licet non in temeraria libidine pugnandi omnem cruenti hostis impetum, & uniuersi fortunam belli a quo Marte subiturus, multos tamen labores vestros in me transferam, & vanos hostis conatus crebris infestationibus ludificabo. Quandoquidem nulla potior ratio dimicandi, nulla tutior militia exercenda est nobis inter eam hominum colluuiem, & tot armatorum millia, quam nunquam satis copiam facere pugnandi hosti, nunquam, vel si certam victoriam videamus, totius aleam fortuna intrare. Dabit namque de industria primum materiam nobis bene gerendi Barbarus, fouebit audaciam nostram sanguine suorum, ut velut inescatam felici semel successu temeritatem facilius circumueniat, opprimatque. Sed eludenda erunt summa ratione, consilioque improba Ottomanorum desideria, carpendusque paulatim immodicus hostis, prout temporum suadebit & locorum habitus. Luctuosa namque mihi profecto illa esset victoria, quam militum meorum pernicie emerem, & tristius (mihi credite) quam letius spectaculum cernerem, caesa octona, vel 10. hostium millia, paucissimorum quantumcumque vestrum iactura. Satis laudabo Epirenses meos, & honorabo pro victoribus, si non vinci se a Turcarum rege permittent. Reliqua vos ipsos vobiscum reputare Dibrenses, quam sollicitè monendo de fide vestra tacita aliqua dubitatione referre, malo.

Ratio dimicandi cum Turca.

Asianus miles in Europam transportatur.

Per eosdem dies, quibus Castriotus collectis hincinde copijs ad Croiam firmandam concepsit, Asianus miles est in Europam transportatus, Adrianopolimque magnis itineribus contendit. Haud multo plus quam 40. hominum millia fuisse omnes consentiunt. Nam quum bellum in Europa esset, conse-

confectus est ibi ex maiori parte exercitus, utpote quod & aptior esset ad belli assueti usum miles, & commodius in ea celeritate domesticus ferme apparatus fieri poterat.

Dum sic ex omni parte indies aduolarent regia copia, & ingentis iam speciem exercitus confecisset Amurathes, ac prope finem apparatus esset, varia exordiendi belli consilia apud Tyrannum afferebant purpurati, ac periti militia. Alij non amplius morandum rati, mittendum prius expeditorum equitum agmen in Epirum (praecursores illi de more gentis appellant) qui velut procella subito impetu confunderent, turbarent, miscerentque omnia, ac incautum hostem extraherent ad certamen per ludificationem, donec subsequens deinceps ipse toto exercitu facilius opprimeret. Alij abstinendum omnino ab eiusmodi inanibus irritamentis censebant, ne vel maiorem hosti materiam procurandi praeberent, quae ad totius belli molem in rem essent, vel priores ipsi precipitarent in insidias. Satis multa esse aliorum recentissima cladis documenta, audire se praeterca, id quod & propalam quotidie in vulgus nunciatur, totam Epirum iam pridem instructam in armis esse, urbes, oppida rebus omnibus, & praesidijs armatorum affatim communita, loca cuncta ferme & aditus locato ad id ipsum milite teneri, Epirenses cum reliquis copijs tota die peragrarè provinciam, ac perlustrare saltus ad felices toties insidias, si quas deinceps etiam posset, concinnandas. Perniciosum esse cum eo hoste seruare cum beligerandi morem, ineunda alia consilia, quae non, ut consuevit, adhuc improbet euentus. Quid enim obstare, ut non ad unum pereant sub hostili gladio omnes, antequam serum lenti exercitus auxilium adsit oppressis? Cauendum ne belli eius auspicia a suorum sanguine capiant, progrediendum cum omnibus signis, ac integro apparatu, exoluendumque tandem eo labore Ottomanum imperium. Vicit tamen media quadam sententia, utpote quae aptior temperi, ac rerum gerendarum dignitati videbatur, ut haud multo minus, quam tertia pars exercitus praemitteretur, idoneum numerum rati non ad propulsandam solum, sed inferendam quoque ignominiam, qui turbatis repentino aduentu hostilibus rebus, consilijsque, liberiorè deinceps regio exercitui aditum pararent. Electa mox igitur 40. equitum millia leuis armatura, eoque ipso magnis itineribus expedita re-  
cta ad Sfetigradum via, ut priores eius obsidenda urbis rationem inirent. Tum surgens ex toto Tyrannus, perlustrare reliquas copias iubet, ac in ordines deduci. Legionum duces penè innumeri erant, diuidi namque consuevit per Flambura exercitus, quibus Feudatarij, quos ipsi Timaratores appellant, praesent, & singula Flambura plures Subasidas, ac capita ordinum, & pro qualitate maiorem vel minorem equitum numerum habent. Pedestres item copia tam Asiana, quam ex Europa, certo quaque

Flambura.  
Timaratores.  
Subasidas.

ordine constant, ac ducibus suis distinguuntur. Auxiliarium quoque armorum, qua belli tempore decerni consueverunt Tyranno, non ignobilis numerus erat. Non deerat etiam, ut solet in omnibus ferme negocijs, multitudo voluntariorum. Aderant praterea haud multo minus, quam tria millia, oblatorum, ac exauctoratorum, & aliorum florentissimorum iuuenum, qui mercedem regis, & stipendia militaria, ac restitutionem ordinum praclaro aliquo facinore, atque ignominia abolitione expectantes quaerunt. Pratorium, ac stationem Principis, amplius quam septem armatorum millia, Janizaros vocant, custodiunt, & hac verius familia Tyranni dicitur, pedites omnes caterorum longe bellicosissimi, quos velut Triarios in subsidijs habent in bello Barbari. Sed & ad augendam speciem exercitus magna seruorum colluuias, & ingens inermium ferme numerus ad terrendum magis, quam ad belligerandum appositus cogebatur. Et ut ea materia cedendi oblata occupatus, hostis exhaustis viribus facilius fessus opprimeretur, id quod inter maxima Turcarum stratagemata numeratur, huius exercitus duo praecipui ductores ex more fuere, quos illi Beilarbeidas, hoc est, ducum duces vocant, vnus Asia, alter Europa, nos vsitatio-ri vocabulo Bassas nuncupamus. Nimis molestum esset animis legentium, si demonstrare nunc singula proprijs nominibus, & suis quaque numeris recensere vellem. Satis igitur fecisse mihi in hoc proposito scribendi videbor, si totius exercitus summam certa aliqua eius rei notitia perstrinxero, sed & in hoc etiam sicut in multis non transit sine variatione res, qua minuat aliquantulum fidem certa approbantibus. Aliqui enim 150. millia armatorum tum affuisse Amurathi narrant, 90. equitum, peditum 40. Quidam 120. tantum, & de equitibus 20. millia detrahunt, 10. de peditibus. Ipse utramuis sententiam sequar, non multum video momenti, inclinatur tamen in maiorem numerum animus, ut parem magis tamdiu preparato bello apparatus dicamus. Quamuis non sic exactissimo eoque ordine confectus est hic exercitus, veluti quum ad dimicandum collatis signis, ubi vera appareret virtus, proficeretur Ottomanus, omnia consilia, omnes apparatus potius ad obsidionem urbium, & murorum euer- sionem, quam ad vlla campestris certamina ordinabantur. Scanderbegus firmatis Sfetigradensium animis, rebusque, prout operaprecium videbatur, ad cetera loca, urbesque imperij sui perrexit, peragransque maxima soler- tia vniuersam prouinciam, nunc laudibus, nunc premijs, nunc ipsa etiam periculi vastitate suorum fidem acuebat, accendebatque. Firmauerat autem omnia validissimis praesidijs Xcoses, annona, armis, cateroque appa- ratu, ad sustinendam quantamlibet belli fortunam. Dimissa itaque eorum cura, Castriotus ad copias, quibus non longe a Croia se operiri manda- tum fuerat recta ire pergit. Assequutus est cum Dibrensis in ipso itinere, & re-

Janizari.

Beilarbeidas,  
ducum duces,  
apud Turcas,  
Bassas dicit.Summa exer-  
citus.

& reducto simul milite in castra lati se recipiebant. Vix spacium ad collo- quendum fuit vel militibus, vel ducibus, quod subito undique trepidi nun- cij, clamorque insuetus iam iam in vestibulis adesse hostem, ardere omnia, miscerique miserabili tumultu nunciabant. Ignari ( ut credulos facit ho- mines timor ) Amurathem ipsum adesse, compleseque iam armatis mon- tes, iuga, prata & valles omnes asseuerabant, obtestabanturque solliciti du- cem, consuleret sibi copijsque, ne campestribus locis perniciose audacia pri- mos tam validi hostis impetus excipere vellet, reduceret militem in ali- quo aditissimo loco, unde ex conspectu ipso melius, tutiusque possit sumi re- rum omnium iudicium. Non multum monebant hac Castriotum, ut se- mel possessa castris loca, iuxta eorum suasiones relinqueret, sed ubi undique custodias ad se aduolare vidit, & eundem ferme omnium sermonem, nisi quod de magnitudine copiarum hostilium incerta ferebantur hominum iudicia, nondum enim descenderat omnis in campos barbarus, nec colle- cta in vnum agmina confederant, ut de numero certa posset fieri aestima- tio. Tum sublatis ocius signis, quatuor equitum millia, mille peditum se sequi iubet, & ad Sfetigradum, ubi castra metaturum hostem sciebat, quanto maxime potuit silentio procedit. Extremum noctis erat, quum si- gnum proficiscendi datum est militi. Subsequenti die igitur vix secunda noctis vigilia confederunt circiter septem millibus passuum ab oppido pro- cul. Distabat enim a Croia Sfetigradus per 400. ferme, & 80. stadia. Ubi tutum castris locum cognouit Eprensis, aggere quoque ducto ut tutior esset, curauit disponi pedites, equitesque suis locis, decerni custodias, ac quaerere tacite idoneos insidijs saltus. Prohibuit tamen ignes, vel priuatim, vel pu- blicè fieri. Sic omnibus procuratis, imperatoque silentio viris, ipse ad spe- ctanda castra, & contemplandas res hostium cum Xcosè, & Tanusio Topia perrexit, taciteque nunc per sylvas, modo per occulta vallium collem ascendit oppositum urbi. Inde certa iam luce quietissime perlustratis om- nibus repetit statua. Ea res non sine multa variatione consiliorum est transacta, nam quum sub ipsis mœnibus castra metatus esset hostis, & par- tim subiectos campos, partim montes teneret, vix aliqua spes rei bene ge- rende apparebat ducibus sine multa suorum pernicie, ne pauci scilicet mul- tis, nunc in plano, nunc descendentes ex monte integris succumberent. Verebantur praterea ( id quod etiam abstinere tum ferme eos ab omni ra- tione pugnandi cogebat ) ne si reliqua regia copia ex improviso super- uenissent, opprimerentur in medio omnes, eademque ratione & euocare praesidium ex oppido periculosum censebant. Tutior illa via visa, ut con- suctis artibus, si possent, diuiderent hostium vires, & diuisas in magis op- portuna iniurie loca traherent. Nihil tamen actum ea die, nam nox agen- dis interuenit, missi tantummodo exploratores latissime per omnia loca, qui

Timor homi-  
nes facit cre-  
dulos.Processus Ca-  
strioti aduer-  
sus hostem e-  
rumpentem in  
prouinciam.Distantia in-  
ter Sfetigradum  
& Croiam.



Stratagemata  
Scanderbegi  
ad alliciendum  
hostem ad pu-  
gnam.

qui obseruarent aduentum Amurathis, & ne quid insidiarum ab hoste fieret. Dimidium eius noctis quieti datum est, reliquum diuersis operibus consumptum. Notis enim inde castris Epirensis propius urbem transfudit vasa, ut vix à stationibus hostium 40. stadijs distaret, facilius namque extractos ad certam ex propinquo opprimi posse putabat. Ordine deinceps curatis corporibus, & instructis (ut sic dixerim) ad manum singulis, quae apta insidijs videbantur loca, complet armatis, & per omnes sylvas, dum metae circumfundit milites, peditatus superne per magis ardua motis, & saltus inuios dispositus, ipse latuit inter equitatum, & secundum radices montis vallium sinus obtinuit. Mosem deinde pluribus verbis cohortatus, & Musachium Angelinae praecipuum bellicis artibus virum, cum 30. ferocissimorum iuuenum agmine, ad hostes à stationibus eliciendos & trahendos ad locum insidiarum mittit. Electi sunt equi, virique ex omni turma maxime insignes, gregalibusque amicti sagulis, ne militaris & speciosior habitus proderet insidias, quas maxime tegi cupiebat. Data ferme singula iumenta equitibus agenda onusta frumento, ut frumentariorum speciem quandam praese ferre viderentur. Iussique (ne deesset quippiam ad fraudem) per latentia itinera ad equitare oppido, qua parte liber hostilibus tentorijs mons patebat, ut inde intrare urbem simularent, nihil horum est praetermissum à veteranis & sagacissimis ducibus. Milites quoque



intrepidi, & obedientissimi in omnem euentum sequebantur. Rarefcentibus iam ex interuentu diei stellis, mille ferme passuum spacio appropinquauerant hostium castris, quum barbarorum custodia ex alto inspectos, primum sublatis signis, deinde clamore prodiderunt. Ipsi nihil his vocibus turba-

turbati, accelerabant instantius gradum, nondum enim vel periculum ab hoste timere poterant, vel utilis fuga videbatur. Sed experrecti à vigili- bus turmales quidam, incerti ex somno, arreptis armis incondite, è stationibus progressi in eos proruuunt, pastorum, & agrestium frumentatorum gregem rati. Epirenses contempta paucitate venientium, maiori quidem animo quam consilio preparant se ad dimicandum, primo tamen pro cursu hostium paululum retrocedentes terga vertunt, & simulato pauore, relictis iumentis arripiunt fugam. Barbari ubi timoris indicem fugam aduerterunt, quam concitatissimos equos immittunt in eos, & insultant ferocius fugientium tergo. Tum conuersi uno impetu omnes sistunt equos, & strictis cominus gladijs inferunt pedem, tanquam vel necessitate coacti, periculum ultimum subituri, vel obiectis corporibus, & obnixo vultu vim insequentium propulsaturi, quum perniciosam iam fingerent fugam afflantibus ferme humeros hostilibus equis: Turca nihil territi, & ex habitu solo metiti viros, sublatis velociter scutis, appropinquantes hosti ordiuntur priores pugnam. Unusque ex eis Asiatici generis ingenti mole corporis ante alios progressus, ferream clauam maximo simul clamore & impetu rotatam dextera, ut telum magis concitaretur, iacit in hostes. Qui conferti in unum, ac conglobati, vitare ictum venientem non potuerunt, licet vulnus vitassent. Perlatam namque in medios, ingenti sonitu à Dibrensi quodam iuvene porrecto scuto est excepta, dehinc secuti ceteri, & gladijs geri caepit res. Pulchrum spectaculum faciebat, & speciosam formam dimicationis, idem ferme utrinque numerus armatorum, & non dispar armorum habitus, nam neque Barbaris, ut in ea celeritate, & per contemptum quendam eruperant è stationibus, praeter singula scuta, gladiosque, aliud teli genus aderat. Illud tantum onerabat hostes, quod electissimi ex omni virorum robore, & Principes iuuentutis nostri erant, illi sine discrimine ignaui, fortesque simul, prout tumultuarie exciue- rant eos vigiles, proruerant. Sicque haud dubie primo furore congregien- di fortuna eorum longe inferior apparuit. Confosso namque sub Mosi Asiaticis manibus Asiatico, in quo totius robur agminis erat, ingens terror ceteros, ac desperatio simul incescit, nedum victoriae, sed salutis quoque, ni auxilium aliquod adesset è castris. Quare referetes paulatim pedem, terga dant hosti, & per quem modo alios in sequebantur, mutata sorte sceda fuga campum deserunt. Epirenses liberam praeuere facultatem fugiendi, neque molesta quicquam vocis, aut indicem victoriae clamorem sustulere in victos, sed exactissimo consilio collecti circa duces, relictis corporibus, spoliisque occi- sorum repetunt iumenta, & agrè fugientibus simillimi, unde venerant, pergunt. Creuerat audacia, animique viris ex eo prospero pugnae successu. Differebant tamen gaudium omne in secundum caepit iam rei euentum. Vnus erat nota in multis bellis opera miles, cuius assiduus gemitus, & im-

Fuga timoris  
index.

Ferrea claua  
Asiatici.

Asianus M-  
fis manibus  
confoditur.

S  
patien-

Misericordia  
Mosis ducis  
in militem  
faucium.

Milites duos  
intelligit, al-  
terum vulne-  
rati, alterum  
cui Mofes huc  
commiserat.

patientia doloris ex vulnere ceterorum solatia perturbabat, & impedi-  
bat latitiam sociorum, transfixerat namque Barbarus gladio leuuum viri  
humerum, ut neq; ad arma gerenda, neq; ad regendum equum sufficerent  
vires. Hunc miseratus Mofes desiliens ex equo, sublatum suis manibus  
vni ex militibus commisit, ne inter cursum equi procideret inutilibus ad  
sustinendum manibus, & quam ocussime priusquam alius excitaretur tu-  
multus ab hoste, ferri in castra ad stationes suorum iussit. Reliqui integri  
omnes erant, nemoq; prater illum eo certamine violatus excessit. Barba-  
rorum quinq; occisi, vulnerati octo, pauci quidam numero, multi tamen,  
ut ex ea paucitate. Simul itaque & equus hinc ex oculis sociorum rapuit  
milites, & clamor inde, fremitusq; ingens à castris hostium exauditus.  
Impleuerant namq; querelis omnia faucij, & deformia ostentantes vulne-  
ra, excitauerant ad arma totius exercitus furorem, illosq; precipue, qui af-  
finitate aliqua contingebant occisos. Proinde impatientes imperij, prorump-  
pebant undiq; sine duce, sine ordine è stationibus, ut quenque ira, cupidi-  
tasq; ultionis ducebat. Cisso tamen edicto à pratorio Imperatoris, re-  
uocati sunt omnes, & conuenere circa tentoria, iussa eius expectantes. Ille  
assuetas veritus hostium insidias, & ne sub frumentandi pretextu fraus  
aliqua circum latitaret, praesertim quod plagæ ipsæ suorum, & vulnerum  
vastitas, nō humilis vulgi dexteræ, & agrestes gladios arguebat, quatuor  
fortissimorum equitum millia, ne ita exposita ignominia esset paucitas, ad  
id muneris eligit, qui simul & id agmen frumentariorum opprimerent, ex-  
uerentq; iumentis, & vicinos colles, valles, sylvas, ac latebras locorum di-  
ligenti indagine oberrarent, ad aperiendas insidias hostium. Peruenerat  
interim ad Castriotum miles à Dribensi missus, & tradito socio stationa-  
rijs obuiam progressus, ut vulnera viri curarent, ipse vix sui compos pro-  
cursans huc, illuc, ob oculos armatorum, & multos nominibus appellans,  
arma arma clamabat, iam iam adesse Barbaros, concitata omnia castra  
hostium, & tollens indicem, venientium puluerem ostendebat. Tenuit do-  
lor primo, timorq; Scanderbegum, sollicitum de salute sociorum, quum &  
duos tantum ex toto agmine, alterumq; profluenti recentium vulnerum  
cruore oblitum ad se deuectos turpi fuga cerneret, & stolidum clamorem  
militis, ac plenum pauore exaudiret: sed ubi ordine quæ acta fuerant, di-  
dicit ab homine, mutata in risum mæstitia, & solitudine in audaciam,  
omnes bono esse animo, & equos, tela, armaq; viris in procinctu esse iubet.  
Conspiciebatur iam Mofes à custodijs suorum, quæ per montium iuga  
disposita fuerant, aperto campo hostes eodem tenore insequentes, iam iam  
ad locum insidiarum pertractos, sociorum manibus cadendos traditurus.  
nam lentiori gradu primum nostri inter agenda iumenta deflexo nunc  
hac, nunc illac procursum expectantes magis, quam fugientes carpsent  
iter.

Sed ubi prorumpentes è castris aspexere hostes, relictis saccis impedimen-  
tisq; in apertam fugam inclinauerant. Memento itaque temporis pla-  
nicie superata, contigere collem, qui à septentrione oppositus, tegebat val-  
lis umbilicum, ubi aderant armati. Et priusquam immineret propius ho-  
stis, recepti tacite sunt inter suos, ita labore & cursu continuo exhausti e-  
quiq; viriq; ut verè fugisse appareret. Barbari velut prolapsos mox eos è  
collis vertice aspicientes, valle immersos latitare arbitrati rectè illos inse-  
quuntur, & appropinquantes loco, ut commodius undiq; obsessos caperent,  
effusi passim ac inordinati, hi collem conscendere, hi ab alijs partibus ingre-  
di vallem parant. Conterruit tamen primo viros auditus ingens fremitus  
equorum, immoti q; gradu silentium tenuerunt, donec certior iam so-  
nus, strepitusq; increbrescens, aperto indicio patefecit hostes. Tum audi-  
ta maiora omnia visa, & incerta timidus ( ut fit ) interpretata, perpule-  
re facile ad fugam homines. Fugere iam parantes Scanderbegus dato pre-  
propere signo, ingenti, ut in re subita, iniecto terrore, consurgens à dextro  
latere est aggressus, Tanusius à sinistro, superne quoque peditatus, qui in-  
ter confragosa montis loca, & aspera latitabat, ex improviso descendens,  
eodem impetu obruit. Stetere tamen admiratione quadam magis, terro-  
re q; percussi, quam certo ad dimicandum animo. Sed ubi seuentibus un-  
diq; hostibus suasit arma necessitas, concitatis ingenti furore equis, occu-  
pauere collem. Et primo equestres hastas iacentes ex alto ( nullus enim a-  
lius in tam exiguo interuallo loci, ac precipiti, & iniquabili solo eius teli  
usus aderat ) arcebant hostem, sed succedens ab auersa parte Peicus Ma-  
nudi cum agmine peditum, quorum ducenti sagittarij, totidem scorpionari-  
erant, facile pulsos loco impulit in praecipitium. Subter hostis undiq; circum-  
sidebat. Deorsum premebat intollerabilis vis telorum, ita ut vix ullus ad  
effugium exitus pateret oppressis. Strictis itaq; gladijs omnes in duas partes  
diuisi irruunt in aduersos, ac velut ceci multa suorum strage incumbunt in  
tela, & in ferrum ruunt, sed facile pellebantur retro à pluribus pauciores, &  
fessi ab integris. Praesertim à dextero latere, ubi Scanderbegus vallum, mu-  
rumq; velut fecerat densato agmine equitum, peditumq; hastatorum. Coa-  
ceruati igitur eadem rabie omnes, à sinistro latere perfracto robore nostro-  
rum penetrant aciem, emptaq; multo sanguine via, pugnantes simul, & fu-  
gientes cōsulunt saluti. Confusa repente sunt omnia, neq; vel ordinis seruan-  
di cura, vel retinendi collis habitata amplius ab Epiensi, pro se quisq; instat  
victis, & cadere fugientes pergit. Attriti sunt ferme plures in eo tumultu  
contentioneq; exeundi, proprio onere, & sociorum armis, quam hostium. Ef-  
fugere tamen paulominus, quam duo millia: reliqui occisi, nudatq; spolijs  
cadauera palpitantia adhuc iacere, qua quenq; oppresserat fatum. Fugi-  
entium 34. viui capti. Ceteros vix ullus est 20. passus insecutus, mox nanq;  
S 2 receptus

Peicus Manu-  
di.

Scorpio mili-  
tare instrumē-  
tum est, quod  
vulgo nūc ba-  
listam vocat,  
ita dictus, q;  
paruis ac sub-  
tilibus spicu-  
lis inferat  
morte...

receptui cani iussu à Castrioto, quum contentū se ea victoria diceret, timereq̄, ne si exaturari ad finem libidinē suorū permitteret, breue foret id eis gaudium sibiq̄. Signa militaria tria tantū adempta, sed neq̄ plura tulerant Barbari, quum tumultuarie, & quasi latronū more venissent. Equi occisorū mille amplius inuenti, ceteri confossi inter pugnandū fuere. Victorum 22. tantum interfecti, vulnerati 15. Ita compesauit egregia prada victoriaq̄, iacturā frumenti Albanus. Turcarū statua, que sub oppido morabantur, lata fuere primū cōnecto frumēto hostili, iamā inde vinctos frumentatores expectantia adduci ad prestitutū supplicium immolādos manibus illorū quinq̄, occisorum. Vbi verò eam tanti agminis deformitatem, ac suorum stragē aspexere, oborta cum inani indignatione lachryma viris, obtorpuereq̄, insigni mœstitia animi. Trepidatū quoq̄, summopere est in totis castris, veriti ne elatus eo successu hostis, ipsos eodem impetu adoriretur, quum maiore longe numerū nostrorū, & totius vires prouincia adesse in oculis crederent. Quare disposita vndiq̄, præcipua cura custodia, partiti exactissime ordines, ac in speciem corona circa ducum tentoria cōsidere iussi. Parata suis locis signa, equi strati, frenatiq̄, velut certissimo indicio expectaretur hostis. Non tamen is animus Epirensi, non ea victoria elatio & insolentia spiritus erat, qui timebat non minus hostes & ipse, quam ab eis timebatur, & moliri aliquid in se ad eam ignominiam vlciscendam a sidue putabat, præsertim quod non longe iam regia castra abesse nunciabatur. Primum igitur omnium exortis tenebris colligi vasa iussit, & alijs quinq̄, millibus passuum procul ab hoste locauit statua. Mane vix dum orto sole, Tanusium cum 50. militibus, & singulis famulis Croiam versus, ad accersendas copias ibi cum Georgio Stresio relictas misit, equosq̄, ac prædā captiuam illis tradidit in tutiora prouincie loca deportanda. Procurati sunt ea omnia, expeditaq̄, septē diebus, ac coacta in vnum copis nostrorum. Biduo tamen prius quā nouum istuc presidium receptum est in castris, quinq̄, millia antesignanorū Tyranni, secunda noctis vigilia aduolârunt ad urbem. Amurathes cum reliquo apparatu crastina luce inclinato iam sole est subsecutus. Mille simus hic quadragesimus quadragesimus nonus à Christi natiuitate computabatur annus, vndecimus autem à tempore quo Scanderbegus obtinuerat imperium, pridie idus Maias, quum maturescunt segetes in campis, & vestita herbis prata commodā præbent pabulationē exercitibus. Id aptissimum belligerandi tempus ad externas præsertim expeditiones obseruant semper Barbari. Pari igitur ratione prohibuit Tyrannus quicquā in hostilibus campis corrumpi, vel proteri frumētum, ut mature factum postea & demessum præstaret alimenta militibus. Sed summa ratione consilioq̄, tum ex more gentis, tum ut deterreret oppidanos, huiusmodi pompa spectaculi est constituta: primum instructa peditum agmina, &

Anno 1449. no  
no anno impe  
rij Scanderbe  
gi, bellum Sfe  
tigradenfe.

na, & leuem armaturam Asapporum, deinde equites iuxta Timaratores, Subasidas, Sanzacchos, ac ceteros suo ordine duces obire mœnia urbis præmittit, atq̄, ingenti plausu, clamoreq̄, militari, & omni instrumentorū crepitu edito se præire iubet. Deinceps quisq̄, ad eligenda statua discurrerent, fixis humi signis, statuant diuersis locis tentoria, maior pars peditatus, ac vilia vulgi capiti secundum radices montis sub mœnibus, & in magis opportunis iniuria locis disposita. Equitatus partim tribus, partim quatuor stadijs stetit procul ab oppido. Prætorium, & statio Principis octingentis passibus amplius à murorū ambitu collocata. Totum id noctis in situandis castris, ordinandisq̄, custodijs, per iocos cantusq̄, varios transactum. Non tamen expers molestie animus Tyranni erat, quum & recentem suorum ignominiam acceptam ab hoste æquo animo ferre non posset, & difficilem urbis potiunda spem cerneret in ea, præsertim in accessi loci asperitate, qui in ardui crepidine montis situs, vix habilem expedito pediti præstabat accessum, ita ni lenioribus consilijs magis quam armis fidem oppidanorum expugnaret. Nihil igitur postero die tentatum vel molitum hostiliter in muros, retentus quietissime miles, neque procurattonibus vllis indultum. Nisi verò sub sero diei caduceatores ad urbem, cum postulatis Otromani, qui monerent obsessos imminentis mali, periculiq̄, ni priusquam bellicum cani audissent, ad voluntariam deditonem animos inclinarent formula ea edita singulis. Nihil immutaturum Amurathem de pristino ciuium statu, eadem onera, muneraq̄, relicturum viris, que ante à Scanderbego essent prestituta. Præfecto multa dona, honoresq̄, propositi, presidio libera abeundi facultas, & 300. millia asprorum promissa (genus est argenti signati apud Barbaros) dare se eius noctis spacium ad consulendum. Si persistant in pertinacia, visuros crastina luce supra caput armatos, & frustra strictis idem gladijs, ac perfractis mœnibus spretas semel conditiones imploratuos. Perlatus, qui in foro aderat cum agmine armatorum, ubi progressus è muris miles, nunciauit aduenisse regios quosdam, petentes, ut eum alloquerentur, citato gradu mox processit ad eam partem urbis, ubi hostes expectare narratum, superstansq̄, è muris per interpretem dicere Barbaros iubet, illi summoueri caterā turbam, habere se à Tyranno, que cum eo solo agerent, postulant. Ad ea Petrus facete cauilatus & iocans: Aptum quidē tempus, ait, obseruastis amici, quo archana isthac vestra in noctem differretis, ut nedum milites meos, sed diem quoq̄, ipsum latrent. Quare timeo, ne eius generis isthac sint, que ad me afferitis, que lucem ipsam nō iniuria horreant, licet forsan verecunde factum à vobis, laudari debuerit. Non tamen accepisse se exemplum à maioribus suis, inquit, ut quicquam inconsulto milite suo ageret, quos laboris, & periculorum socios haberet, ac summoueret ab hostilibus alloquijs illos, quorum

Spectaculum  
Turce quo ob  
fessos Sfe  
tigradenfes de  
terrere vo  
luit.

Situs Sfe  
tigradi.

Caduceato  
res quos vo  
cant Hirat  
dos.

Responsum  
Perlati datū  
Turca peten  
ti deditonem  
Sfetigradi.

præcipue fidem ad Scanderbegi imperium, ad Epiroticã libertatẽ defendendam ad sui deniq; corporis custodiam elegerat. Neq; consuevit se præterea notetem ullis externis cõsultationibus adhibere, in eo præsertim rerũ tumultu veniam eius temporis darent, crastina luce, si uellent, eos se ad satietatẽ usque auditurum. His dictis excedere ilico à muris iussit. Irritati tum sunt



maxime ( ut leuiter impelluntur ) vulgi animi, ac ingenia militum, coactiq; circa præfectum spectatores ad situm urbis contemplandum, & perscrutandas res oppidanorum nõ fœderis causa missos vociferantes, aperiri portas rogant, ut comprehensos & adductos in urbem, confessionem veri ab eis extorquerent, & præcis manibus ( ut puniri exploratores consueverunt ) remitterentur in castra. Petrus non solum negauit isthac stolide petentibus, sed seueriori etiam castigatione verborum, repressit libidinem militarem: Non esse, inquiens, aliquid in rebus humanis tam studiose obseruandum mortalibus, quàm ut fides non laderetur. Ipsos curiosos nimis & sollicitos interpretes factos, ut in ea incertitudine rei ius omne gentium, fasq;, & mores ac ritus bellorum violarentur. Rediẽre igitur nuncij ad Tyrannum aque, ac venerant, sicut nullo, neque facto, neque verbo inclementiori violati, ita incerti omnium, nullaq; re vel exposita, vel impetrata. Indignatus est primo senex velut per derisum contemni ab hoste, & propior fermè ad oppugnandam prius armis, quàm verbis urbem fuit: tamen sedato animo, nihil satis humile ratus, vel pudendum Principi, quod pro imperij ratione & cupiditate gloriæ non sit ad eundem, præsertim ubi conciliari per beneficium populorum animi possent, & haberi oppi-  
da ur-

Fides fernanda & ius gentium.

da vrbesq; incruento milite, & sine aliqua pernicie mortalium subiugari. Postero die usdem ipsis mandatis eosdem tentare oppidanorum animos iubet. Adiecitq; unum ex purpuratis suis, verendũ animis virum, & præcipue in persuadendo solertia, Epiro oriundum, quo & maior interesset agendis grauitas fidesq;, & nota lingua homo facilius obstinatos animos nunc precibus, nunc consilijs ad deditiõnem impelleret. Appropinquantibus illis oppido, Perlati priusquam ad colloquium descenderet, procurauit è muris undiq; perlustrari oculos montem, ac viciniores mœnibus salutus, ne insidia aliqua instarent à tergo. Dehinc portula quadam, cui Dibrana nomen est, recepit in urbem barbaros. Purpuratus tantum immissus fuit cum tribus militibus, & duobus famulis, adductisq; per medium forum in templo sanctæ Mariæ, & conuocatis senioribus urbis, concilium indixit. Inuentus namq; omnis exclusa, ne is motus alicuius causa fieret. Tum consurgens Barbarus, quũ suas diceret primas partes loquendi, qui prior ad colloquiũ inuitasset, multis prius verborum lenocinijs præstruere fidem sibi, ac præoccupare oppidanorum animos est conatus, atq; à multarum urbium populorumq; exorsus exemplis, tam accurate differuit omnia, ut nihil haberet quod reprehenderet, nisi quod immodice ad terrendos homines supra mortalium ingenia Tyranni vires extulit. Petrus eleganter ait, & optime eam causam actum esse, nisi apud tam obstinatos animos, & deuota libertati pectora ageretur. Inclinatoros sine variatione ad ea postulata omnes esse, si vel Ottomanum & inanes hostium minæ ad fortes animos penetrarent, vel imperium Scanderbegi illis fastidio esset. Nullum neque maleficium eius ad hanc diem extare, neque beneficium Amurathis, quo præponat externum ciui, amico hostem, Christiano Barbarum. Ageret, tentaret, experiretur armis Tyrannus, ferro perterreret obsessos, perfringeret muros, ederet prius occisorum accruos, ut eo spectaculo exanimati ciues ad genua eius prouoluti, tunc has pacis conditiones approbent, turpe nunc videri sibi, ac prope ridiculum tantæ indignitati submittere animos, priusquam infestis signis impeti muros, & discurrere armatos sub mœnibus, priusquam gemitus, vulnera & sanguinem suorum, priusquam effosam murorum compaginem, ac nudata urbis latera conspexissent. Rectius tamen facturum Amurathem, si conuersis signis Adrianopolim repetat, & senilis quod superest spiritus immunis à bellica inquietudine transigat, neque fatalem sibi populum armis diutius lace scat, quorum egregiam in tuenda libertate fidem, ac priuata, & publica in duces suos studia, totiens tanto suorum sanguine sit expertus, se promissam semel Principi fidem, & tradita curam urbis, nisi mortuum non relicturum, sat præmiorum, sat honoris delatum sibi credere, si vel defensam patriam superstes aspiciat spiritus, vel ea collapsa vindex

Secundo tentat Tyrannus Sfetigradum ad deditiõnem impellere.

Barbari oratio super modum Tyranni vires elerens.


Pulchrum responsum Perlati.

Fatales populi.

dex libertatis dextera, & insons animus inter suorum cadauera liber ad meliorem patriam migraret. Idem finis & orationis & consultandi fuit, nam primores urbis, qui aderant, ad unum ingenti assensu, vocem praefecti laudibus efferentes approbarunt. Regij nihil ultra apud tam surdas aures agendum rati, re infecta exeunt de templo. Praefectus cum suis iuxta secutus, & quia praedendi tempus instabat, laute & opipare acceptos habitosq; ad portas usq; deductos ad suos redire permisit. Mouit maxime Ottomanum audita oppidanorum fiducia, & grauitas, prudentiaq; ducis, rerum praeterea omnium & alimentorum copia, non ad necessarios tantum usus, sed abusus etiam in urbe repletorum, quae potius de industria curauerat disponi per vicus Perlati, intransitibus oppidum regijs, ut narrata postea Amurathi amouerent spem urbis per diutina obsidionis, & famis incommoda potiunda. Quare ubi nullum aliud remedium praeterquam in armis cognouit Tyrannus, indicto mox ad praetorium concilio, purpuratorum & fortissimorum quorumcumq;, ac peritorum militia virorum, ardens odio simul, iraq;, quod leges bellorum, & agendorum consilia sibi ab infami castello, & clauso latronum agmine darentur. Quod inuictos se, & fatales populos velut usurpato prouerbio appellarent. Multa de oppugnanda urbis ratione quaerens tacite, & consulens disseruit, praecipitq; tum ordine quadam viris, quae ad id operis genus in rem essent. Reliquis apparatus, & exordium oppugnationis in posterum diem dilata, nam parum adhuc eius diei supererat.

Amurathes  
agrefert leges  
bellorum sibi  
dari ab infami  
castello.

MARINI



MARINI BARLETII SCODRENSIS, DE VITA ET GESTIS SCANDERBEGI,  
LIBER QUINTVS.



**L** Nuaferat iam pridem ex Amurathis aduentu, & hostilis exercitus fama, pauor, timorq; uniuersum Epiroticum nomen, regulos praesertim, ac Principes vicinos sollicitos, ne si tam immodicus hostis obsessam urbem absorbuisset, eodem quoq; calamitatis tenore caterorum fortunam traheret. Quare secretis hincinde concilijs habitis ( licet pleraque, ac fere omnia ad locorum praesidia, & saltus regionis custodiendos antea procurassent ) legatos ad Scanderbegum ex omnibus locis decernunt, qui monerent ducem, ne pateretur ea impunitate diutius Amurathem urbes Epiroticas vexare. Nam si iniquo aliquo sydere Sfetigradensis urbis atrox Tyranni animus compos fiat, caterorum quoq; sumptis velut inde victoria auspicijs, & ferocia alimentis eandem fortunam facere. Neue ( id quod longe perniciosius esset, & maximo omnium periculo futurum ) solus ea hominum paucitate ad hostium vires tentandas, & tanti exercitus molem laceffendam animum destinaret, offerrentq; ei arma, equos, viros, commeatus, aliaq; omnia, quibus amoueri commode tantum incendium posset, antequam uniuersi conflagrassent, satis se quisq; defensos,

fenfos, tutosq; dicentes, si defensum nunc eum ab ea periculi vastitate praestent, à qua tum publice, tum priuatim incolumitas omnium, & quietissima possessio imperandi, tum prouincia totius robur, & perpetua Epirotici nominis gloria pendeat. His alijsq; multis obedientissimorum sociorum & benevolentissimorum animorum documentis onerati nuncijs, recta via circumfusos Sfetigrado montes, ubi locata Principis statua esse sciebant, petunt, sed non inuentum illum, ibi per totum diem expectarunt. Namque quum primum Amurathes signa intulit in Epirum, & tam immensi exercitus, ac tanta rei fama omnium aures animosq; formidine repleset, postridie eius diei Scanderbegus cum Tanusio, & Georgio, ac decem electis custodibus corporis sui, militari (ut consueuerat) sagulo amictus ad peragrandas propiores periculo prouincia urbes, & firmandos animos, ac stabiliendam eorum fidem processerat, non ignarus (ut in re noua ac recenti) multum illos ex tanto rerum motu atq; crescentibus quotidie vel falsis rumoribus, & animo perculsos esse, & plurimum se omnium sollicitudini, ac timidis consilijs mederi posse, restituereq; hominibus (si qua parte labassent) pristinum robur animorum & solite pertinaciam fidei, sicq; nihil (ut instituerat) pratermisit. Orsus enim à Croia, tanquam à capite, vel imperij, vel sollicitudinis, accito ad portam Uraconte cum agmine armatorum, ac nobilissimis quibusq;, urbem namq; ingredi prohibebat, multa ex breui temporum agendorum instantia, plerisq; concitatis rebus (ut aiunt) calcaria addere superflua cura conatus est. Responsum à praefecto tulit, sicut tanta non indecens fidei, ita neque iniuria ingrato silentio à praclaro viro auferendum. Indignantem namque primo simillimus, & velut mæstior ex eius aduentu: Si, inquit, hodie Scanderbege Amurathem, & hanc quam narras, praclari exercitus formam, quam te ipsum visuri erant Croienses, adeo sicut ingratus & publice omnibus, & priuatim singulis sermo iste tuus fuit, ita nihilominus aduentus quoque ipse molestus. Quid enim deterius afferre potuisset hostis vel visus, vel auditus, quod magis fortium virorum turbaret animos, & feroces ostenderet spiritus? Iam eò decurritur, iam eos aduersus te & Epiroticum imperium animos gerimus, ut donec vigent hi rerum motus in prouincia, & donec reddat in Epirensibus campis armatis iura Amurathes, expectatior sit omni tempore, gratiorq; nobis hostilis congressus, quam tuus iste futurus, quandoquidem hic nihil prater tacitas querelas, ac velut inclinatum ad perfidiam animorum sollicitas dubitationes aduehit. Ille totius materiam laudis, praclarum fidei experimentum, ac perpetua occasionem gloria est allaturus. Nihil aduersatus ijs Castriotus, sed expurgans se, & nuncium non hortatorem appellans, dimisso inter oscula praefecto militibusq;, ad reliqua euectus loca, ex animi sententia omnia & inuenit, & reliquit,

Vranacontis  
responsum da-  
tum Scander-  
begi.

liquit, abscedentibus tenebris, neque adhuc certa die applicuit in castra, fessus longa itineris fatigatione, & continuis vigilijs propè exhaustus. Sed vix respirandi tempus coecepit ipse sibi, ubi legationes sociorum vidit. Conuocatisq; extemplo primoribus ac optimatibus suis, permisit liberas conciones viris. Illis auditis, liberaliter consensu omnium laudati, maxime socij, & gratia acta à Scanderbego, quod in ea perturbatione rerum tantam salutis & laudis sua pariterq; Epirotici nominis rationem haberent. De auxilijs responsum, ut bono essent animo; non videri ex re nunc sibi maioribus copijs agere cum hoste, & integris adhuc omnibus nudare praesidijs sociorum latera, starent interim instructi & ipsi, atque defixi in Ottomanum. Difficile esse perfidi hominis consilia pernoscere, ubi aliqua bene gerenda rei occasio affulsisset, illuc prater spem omnium irrupturum se, quum operaprecium erit, & maior exiget ius periculi, ac ratio dimicandi, illorum opera libenter, & aequae ac sua usurum. His expeditis, parata militarilyter mensa, ac refocillatis corporibus, tertia hora diei cum multis muneribus dimissi. Dum hinc consultationibus geruntur res, & verborum magis quam armorum usu Amurathem oppugnat Castriotus, ille dilatam ac praestitutam diem Sfetigradi oppugnationem aggressus, locatis in eminentiori quodam loco opposito urbi, unde apertior murorum aspectus apparebat, duobus tormentis ingentis magnitudinis (neq; enim plura adueherat) triduo ad id operis intentus, crebris ictibus satis amplam murorum partem decusserat, concoperatq; crastina luce totis signis & robore exercitus succedere mœnibus, sperans non posse aliqua oppidanorum pertinacia, vel arte excludi ab urbis possessione milites, quum perfracta inuastum urbis latera non difficilem suis aditum promittere viderentur. Nunciata hac omnia Epirensi per eam noctem sunt à custodijs locorum & exploratoribus. Proinde coniectatus & ipse tacitam hostis voluntatem, ac institutum Amurathis, subueritus est primo, timens ne obruti multitudine ea armatorum, ciues ad hostes propulsandos non sufficerent, & collapsa alioquin ab ea parte mœnia eum timorem augebant. Quare voluens plura animo, statuit eius periculi laborisq; partem in se transferre, ac laxamenti aliquid praebere obsessis. Medio itaq; noctis acceptis tantum unius diei cibarijs, reliquis impedimentis, sarcinulisq; ibi relictis, quinque millibus passuum procul ab hoste in veteri prateritarum loco insidiarum posuit castra. Premissoq; Musachio, & Guiriz a Uliadieni, primoribus suis, ac praecipua solertia viris, ad spectanda hostium statua, & obseruandum apparatus ad urbis oppugnationem, ipse iugi silentio mansit, donec gerendorum consilia ex suorum aduentu sumeret. Secunda diei hora simul & Epirenses spectatores ad copias suorum vertunt iter, & educti è stationibus Asappi atq; auida periculorum gens Janizari, armis instructi, & ad

Oratores sociorum atque Principum Epiri, Illyrici atq; Macedonig ad Castriotum cōtinuè cōuolant auxilia offerentes.

Oppugnatione urbis.

Asappi auida periculorum gens.

invasionem parati conscendunt montem, equites vix tribus passibus superare radices montis propter acclivitatem illius poterant, & procul intenti sagittis, superstantes è mœnibus hostes terrebant magis quam arcebant, viliora capita vulgi, ac imbellem turbam ad primos impetus oppidanorum exponebant, ut defatigatos ea cadendi occasione facilius ipsi postea sternerent, & auocatis ad eam materiam rei bene gerenda à designatis custodijs ciuibus, nudata praesidijs munimenta occuparent, hæc ab ea parte moliebantur, qua perfracta mœnia tormentis fatiscabant. Sed facile locus ipse natura arduus & erectus pellebat homines, & leuissimo quoque ictu deturbabantur ab oppidanis. Aggerem præterea eo loci per eam noctem fecerant ciues, congesta terra tumuli in modum & cratibus vimineisq; pluteis circumdederant locum, præparatisq; circa sudibus, & lapidum congerie paruo impulsu emissa tela altitudo ipsa, ac declinitas loci concitabat in subiectos, vix ullo satis firmo retinaculo oblato, vel certo vestigio firmamentorum pedum ruentibus in præceps in alijs urbis partibus, præsertim iuxta portas, ubi planior locus erat, & facilior militibus ascensus, descensusq; ostendebatur. Circumfusi undiq; Asappi scutati à fronte, & pone duo lectorum hominum agmina scloppis, scorpionibus, ac velut caligine sagittarum ad auertendos à stationibus oppidanos locata erant, ut fa-



cilium euaderent in muros Janizari, qui plures admouerant scalas, ac summa contentione vulnerum prorsus, mortisq; immemores, integri alij, alij vulneribus confecti ascendentes iam ad coronam summis manibus attentabant. Inconcussa namq; ab ea parte mœnia fuere, neque praesidium aliud,

aliud, quam per scalas, potiunda urbis apparebat, sed quo altius à terra euecti superabant muros, eo infirmiores ad insistendum, multi suo ipsi onere ruebant, & cum scalis ipsis deuoluebantur humi, quæ pondere frangerentur ascendentium. Plures præcisus digitorum retinaculis, inutilibus ad tenendum manibus, quibus collapsa primum arma corporis, deinde ipsi quoque ruina sequebantur. Sed saxis præcipue gerebatur res, quæ supernè demissa cum ingenti fragore promiscuè & armorum, & omnis apparatus idem exitum trahabant. Et licet passim innumeri caderent, ascendebant tamen nihilo pauciores, ac recentes, integriq; pro defessis, ac vulneratis suffecti, oppugnationis ministeria subibant, & per cadauera ac sanguinem iacentium irruentes maiori iam ultionis studio, quam cupiditate prædæ, abiecto omni procul mortisq; timore, ingenti fremitu rapiebant murorum propugnacula, & festinatione ipsa, ac certamine ascendendi, quum quisque summus euadere non posset, alij (ut plerumque fit) alios impediabant. Oppidanis cum ingens copia congesta telorum suppeditabat, tum etiam vires ad exercenda non deerant, adiuuabat præterea omnia locus, & ipse sibi suppetias ferebat. Ad sagittas autem & missilia hostium, plutei quidam, & tabulata disposita fuerant, ac porrecta in modum scutorum, ut tecti ponè milites facilius assignatas stationes seruaarent, & sua quisq; munia commodius obiret. Turcarum plures vix capi manibus poterant, quum propter altitudinem scalarum corporibus penè ipsis contingerent hostes, & inermes nonnulli relictis armis ascendissent, dum impedirent onera scandere cupientes. Nemo tamen viuos, quam mortuos mallebat, timens, ne si in eo furore & rabie pugnandi hostis seruandi cura, & prædæ cupido animos incessest, urbs ipsa stolide ab ignavis amitteretur. Hæc primo sermè & secundo impetu tentata à Barbaris. Ubi verò fœde repulsos se semper viderunt, iam inanes conatus, & stolidum mortis appetitum cognoscere incipientes, & quisque propria tractans vulnera, ac profluentes sanguinis riuos aspiciens, tum demum ferinam mitigare iracundiam coeperunt, imbelles, tum etiam virorum ictus tardior concursus ad muros. Non agilis dextera, non pernicitas pedum aderat propter tacitam virium defectionem (ut maxime solet lassitudo haurire spiritus ex ascensu continuo) sed astantes à tergo duces & purpurati regis, nunc adhortationibus, nunc minis urgentes, fessos concitabant in hostem, ac impellebant verberibus, si qui segnius intulissent pedem. Ità coacti redintegrabant pugnam, & languida corpora trahentes in hostem, torpidos efficacesq; ictus in aduersos muros effundebant, & paulatim deficientes mœstam exhalabant animam. Multos inter expirandum socij tractos pedibus, dum à seuitia oppidanorum ereptos deducere in tentoria conantur, & officio pietatis fungi credunt, alij quasi consulentes ma-

Clamor lati-  
tia index.

Feribassa.

Donum para-  
tū ei, qui pri-  
mus murum  
ascendisset.

gis vulneribus confossi, super semianimes cadebant socios. Exin facile iam victor oppidanus ex clamore indice latitia e muris sublato & festiuis incessationibus irridebat victos, augebatque dolorem viris, ac renouabat vulnera, sed non ferens inultam eam ignominiam Tyrannus, unum ex satrapis suis, Feribassa nomen erat, praeclarum & virium, & ingenij robore duccem, cum tribus armatorum millibus, ac quibusque bellicis instrumentis, magno praeterea scalarum numero ad oppidanorum excidium, vel verius ad ulciscendas iniurias, & praesidium ferendum socijs misit. Mox clamor omnis cessauit in vrbe, & timorem arguens silentium ad aliam belli duriciem, & recentes sudores ordiendos euocauit milites. Intenti itaque omnium animi, oculisque, ad auertendum nouum hostem, & perturbandos progredientium apparatus, sagittis primum, manubalistis, scloppis, catapultis omnis generis, quibus a longe potuit arceri procul a muris tenuerunt hostem. Deinde ubi inferri pertinaciter signa aspexere, & praeter aliquem periculi respectum impeti mœnia viderunt, sudos saxaque, illit as pice oleoque corbes & sarmenta iniecto igne iaciunt in subiectos. His igitur onerati, ac perterriti regij, dum alij ab incendio se subtrahunt, alij ad extinguendum ignem accurrunt, paucas admodum vllas mœnibus scalas admouere potuerunt, & quae admota fuerant plures arserunt incendio. Dux ipse cum parte agminis euectus aliquantulum ab eo tumultu, & occisis stationarijs quibusdam nostrorum erectis ad eam partem murorum scalis, pugnando simul & hortando accedebat viros, ut in vacuum inde urbem intrarent. Neque deerat obsequium militum, & suoapte inflammati ingenio vulgi animi, ingenti namque ferocia, ac prope rabie omnes certatim, id decus petebant, non ignari quam praeclara quaeque praemia, & amplissima fastigium fortune, praeter muralis corona donum parata essent ei, qui primus murum ascendisset, sed irritas & ducum adhortationes, & contentiones militum fecit, accurrens repente in locum demortuorum sociorum Perlatas, cum non ignobili manu Dibrensum, ac grandine veluti telorum obrutos homines contriuit, apparatusque omnes perfregit, ac dissipauit. Clamor iterum renouatus ex vrbe, & repulsus hostis, licet maiori timore quam periculo. Vix enim ex eo agmine 30. ceciderunt, vulnerati duo de viginti. Nemo tamen ab alijs operibus oppugnationis abstinuit, priusquam receptui cani audiissent. Instabant ab omnibus partibus pertinacia sola, qua poterant, ac pudore magis quam viribus, ita ut satis ampla copia respirandi fuerit oppidanis. Longe tamen amplior, nunc futura ex ipso Scanderbegi aduentu, & aspectu sociorum, quos index iam venientium puluis ac fremitus equorum auribus, oculisque omnium prodebat. Tarditatis autem nostrorum (pugnatum est enim ante eorum aduentum sub muris tribus amplius horis) ea causa fuit, quod post multas denique sententias tutius

visum,

visum, & magis opportunum, si protraheretur paucillius eius dimicationis exordium, donec hostes vacuis tentorijs relictis omnibus signis viribusque, in oppidanos intendissent, ac quisque ad sua discurrisset ministeria, facilius tunc rati intentos operi, ac occupatos fessos, ac duplici oneratos hoste aggressi vrbes, & inita oppugnationis poenas luere posse. Sed non adeo supinus inuentus Ottomanus, nec tanta se reum stultitia prudentissimus Imperator praebuit, ut conuersa in oppidanos cuspide, nuda tantum terga Epirensi reclinqueret. Locata namque ipse statione paulominus quatuor stadijs procul a muris spectator & hortator confederat, stipatus assuetis custodibus corporis sui & lectissimorum iuuenum agmine circa passim 15. ferme equitum millia disposita, qui obirent assidue, & lustrarent oculis omnia, ne motus aliquis oriretur a tergo. Epirensis septem millibus equitum, tribus peditum instructis usque ad duo millia passuum prope hostem processit. Ibi vero de more partiti copijs, Mosem cum peditatu omni, & duobus equitum millibus in insidias, & ad varios fortuna euentus locauit. Ipse cum reliquo equitatu maximo impetu apertissima, & campestri via tendit in hostem, & priusquam ad coniectum teli appropinquaret, ingenti sublato clamore & oppidanorum animos erexit, & depressit Barbarorum equitatus. Regius qui ad id ipsum (ut dixi) instructus stabat, nihilo segnus occurrit, & concitatis equis irruit in aduersos. Ipsi nihil multitudine territi, vel gradu turbati, illato infestius pede, primo impetu facili negotio propellunt ac dissipant venientes, pluresque immixti, ac congressi cominus iam gladijs furere coeperant. Regij nulla re, praeterquam numero suo aliquantisper pares, iam cedere aperte, & timida fuga momento temporis paulatim confessionem ignauiae praebere non erubescabant. Id ubi aduertit Tyrannus, & aduersis ubique Dijs, ac infeliciter rem geri cognouit, mox cecinit receptui: Proh pudor, inquiens, & ostentans digito paucitatem nostrorum: Terga vestra ait, tam infame latronum agmen vidit, sed vidi, & ipse, quod magis excitare ruborem fortibus viris debet. Ita ne Deos illi in manibus, in sinu victoriam gerunt? Vos tantum imbelles gladios, mortales dexteras, & humana, ac ferro obnoxia corpora habetis? En expectant adhuc, quid statis? Oberrant praeculis tam vobis pudendi victores, absorbere potestis cum totis armis equisque viros. Ulciscimini sanguinem vestrum, ulciscimini (ut enim sit publici honoris ratio) cladem sociorum, & priuatas saltem iniurias. Ad hanc illius vocem conuersi exemplo omnes, & undique relictis operibus effusi ex monte prorunt in subiectos. Non expectauit Epirensis, licet fessos & inordinatos, sed retro actis ocuis signis, adeptum semel victoria decus ordinato in tuto recessu, qua sola poterat via seruauit, & uno tantum suorū amisso, tribus vulneratis, ad Mosem se recepit. Ex Barbaris 60. amplius ceciderunt, & sub solius Scanderbegi

Tyrannus re-  
ceptui canit.Exhortatio  
Tyranni ad  
suos.



Victoria Scan-  
derbegi ce-  
dit.

derbegi manu quinq; interfectos narrant. Recedentes eos Turca non longe sunt insecuti, nam veritus insidias Tyrannus (praesertim quod de caeteris copijs latitantibus non incerta apparebant indicia) iterum receptui cani iussit. Pulchrum spectaculum erat, quum momento eodem & urgere ab una parte Barbaros, & urgeri à tergo ab oppidanis cernere liceret. Insultabant hi Castrioto cedenti, ac carpebant conuiuijs, quem armis non poterant. Illis molestior longe Perlatius & clamore aures, & telis terga incessabat. Nam ubi relictis munimentis ad auditum Scanderbegi nomen descendere eos ex monte vidit, occasionem sequens praebitam cum 300. armatorum agmine erumpens, multo fremitu, ac grandine velut telorum, usq; ad extremum montis illos est insecutus. Ita omnia aduersa irritata, ea die Ottomano steterunt. Urbis oppugnatio intermissa, hostes non assecuti, &

Ottomanus  
infeliciter  
pugnat.

incruenti erepti ex oculis, aucta oppidanorum audacia, & promptissimus ferme quisq; sub mœnibus amissus. Rerum praeterea aliarum, ac totius apparatus vix tolerabilis ruina. Tria namq; hominum millia confossa per montis latera sunt inuecta. Vulneratorum quatuor amplius millia excessere, instrumentorum bellicorum magna vis perfracta, ac consumpta incendio. Oppidanis 40. non amplius militum iactura ea victoria stetit. Vulneratorum magnus numerus. Ingens tamen telorum multitudo ac spoliorum inuenta sub muris, conuecta, in urbem, dum circa Castrioti recessum occuparentur hostes, Tyrannus nihil amplius per eam diem tentauit. Sed recedens ab oppido, fixis circa tentoria signis, ac stationibus firmatis, per totam usq; noctem mœsto silentio se continuit. Epiensis quoque satis ea vi-

Etoria

Etoria contentus, quod & dissipatos hostes, & tantum laxamenti datum oppidanis cerneret, moratus tantummodo dum respirarent milites, sublati signis in priora castra ubi reliquerat impedimenta concessit, ac ibi cibo refocillatis corporibus somnoq;, mane ab una parte nuncios rei bene gesta, & Sfetigradensis victoria ad Vranacontem, & ceteras imperij urbes ac populos decernit. Subsequenti die ab alia parte ipse cum ducentis viris per ardua montium ad res hostium contemplandas ire perrexit. Et quum quiesca vidisset omnia, idemq; ocium oppidanorum, reuersus in castra, & ipse biduo ibi mansit. Postridie verò in Dibras superiores cum omnibus impedimentis transtulit copias, ibiq; munitissimo loco statuit castra, 15. millibus passuum procul ab hoste. Eam potissimum (ut arbitror) rationem intam crebra mutatione loci secutus, ne vel certis stationibus ocio assuescerent milites, vel consilia inire posset hostis, aut per insidias captandi viri, aut ab eo praecauendi. Amurathes interea egreferens funesta illius diei fortunam, & tam grauem repulsam ab oppidanis non aequo tollerans animo, ubi satis iam cæcis consultationibus, & ignauo dolori datum est, accitis furoris & ultionis ministris, contemplari denuo situm urbis, & obseruare, qua parte magis obnoxia iniuria mœnia essent, iussit. Deinde dispositis machinis, integro triduo in euertendis muris inanem operam consumpsit. Nam licet ab ea parte laxarentur urbis latera, & exstructa opere humano munimenta corruerent, insignis tamen natura loci nulla vi poterat, vel ingenio mortalium expugnari. Et quamuis aperta omnia, ac sine defensore fuissent, progredi vix manuum pedumq; (ut aiunt) adminiculo expeditis licuisset viris, ne dum armatis, & eos trahentibus apparatus. Ita confragosi montis saltus, & anfractus præcipites, liberum prohibebant ascensum. Ab alia parte unde commodior apparebat oppugnatio, si perfringi mœnia potuissent, umbilicus quidam in modum gibbi in dorso montis oppositus, defendebat à machinis, ne à stationibus hostium in eum locum apponerentur tormenta. Sed tum propter ascensum in primo aditu difficilem, tum ob vicinitatem nimiam urbis, frustra saepe tentata res. Erumpentes namq; oppidani, semper apparatus impedierunt, & detecerunt omnia beneficio loci adiuti, tormentis praeterea ceterisq; id genus instrumentis, securre de muris hostium conatus deturbabant. Sic inanis labor ex omni latere apparebat, neq; dilucebat quippiam, quod inuitaret senem ad spem tam cupita rei potiunda. Statuit tamen crebris certaminibus, & vexatione assidua incessanter incumbere, exhauriri posse obsessorum vires dictitans, quod licet dies prima oppugnationis multo sibi sanguine steterit, satis tamē multos hostium quoq; cecidisse, ut ex eo numero, sed non totius tamen alea fortunam experiri ausus est, quum & à tergo residens hostis inijceret pauorem Tyranno, & recentis memoria cladis adhuc ob oculos obuersaretur.

Sfetigradenses  
erumpunt in  
Turcos.

V Jono-

ignobilibus tantum dimicationibus laceſſiti oppidani, & quaſita crebris procurſationibus occaſio à regijs urbis ex improviſo potiunda. Sagittandi tamen nullus finis erat, neq; à reliquis operibus oppugnationis à longinquo ceſſatum. Minimum itaq; utrinq; iactura fuit, neq; aliquid dignum memoratu geſtum, muri non attentati manibus, & ſcala eoſq; nuſquam admota, donec Ianiſari quidam latenter progreſſi, obſervarunt ſolitudinē quandam urbis ab auerſa parte, unde non ſatis neceſſaria viſa fuerat procuratio oppidanis, propter inacceſſi propè loci munimētum, & prarupti montis cupidinem. Reſ ad Amurathem delata, mirifice eius movit animam. Itaq; approbata ea occaſione, alij poſt alios ab illo miſi, & illuc conuolantes, iuſti agminis formam expleuerant. Praefecto obeunti munimenta, ea reſ nunciata eſt ſtatim à cuſtodijs propinquis, quamobrem accurrens mox ad locum cum delecto ſatellite, & magna vi telorum, ex occulto primum, & ipſe ſpectatis hoſtium conſilijs, admiratus ſummopere eſt eam audaciam hominum, vel verius ſtultitiam, & apertū vitæ contemptum. Deinde ut dolum dolo, & ſilentium ſilentio falleret, latuit tantum poſt munimenta, donec intentos operi ſingulos, erectaſq; ſcalas, & alios ſcandentes, atq; in ſublime leuatos vidit. Tum erumpens illico ita vel ſolo aſpectu exanimavit hoſtes, ut relictis armis, ſocijsq; multis, prout pauor cuiq; ſuadebat, profugerent, priuſquam ſub teli iactu eſſent. Pleriq; tamen inter fugiendū obruti ſaxis, reliqui obruti ferè cum ſcalis omnes, & pracipites ad ima montis deuoluti. Ita deformatis, contritiſue corporibus, ut inuenti poſtea nō agnoſcerentur à ſuis, quum vix effigies humana ſuper eſſet, oppidanorū nemo laeſus abiit, ſed nec per totos eos dies gemitus fermè in urbe eſt exauditus. Nam ab ea parte qua tormentorum ictibus quatiebantur mœnia, inter diu quidē ſumma ratione verſabantur ciues. Noctū verò congeſta terra ſtipitibus, ſarmentis, lapidibusq; reſciebant locum. Dum ſic leuibus offenſis laceſſunt ſe, & acuiunt magis iras, quam dimicant cum oppidanis hoſtes, Scanderbegus cum duobus equitū millibus ſollicitus ubiq; peruagabat, perluſtrans ſummo ſtudio omnia, ſi alicunde ſibi daretur occaſio intercipiendorum frumentariorum, vel aquatorum, vel id quod facile credebat miſſorum forte quorundam à Tyranno ad depopulationē prouinciae, & vaſtationē agrorum. Vanus tamē huius rei eſtimator ſemper fuit, nam neq; tum, neq; ullo deinceps tempore Sfetigradenſis obſidionis tentatum tale quippiam comperio ab Amurathe. Redibat mœſtior in caſtra Epirenſis, ubi irrita ea conſilia, & nullam explenda ira materiam offerri ſibi cernebat.

Quadam die decima Kalend. Quintilis, acta iam ſecunda noctis vigilia, cupidus iam pridem ſanguinis conſcendens equum cum Tanuſio, & quinquaginta viris ad aſſuetum opus, ſcrutandas videlicet reſ hoſtium profectus, quum ex alto proſpectans velut muta omnia, neque prater ſigna hoſtile

hoſtile aliud quicquam vidiffet, & ſtratos promiſcuae cum iumentis ſub tentoria homines (torrebat namq; impatientia aſtus corpora cancer nimijs ſolis ardoribus peruſtus) conuerſum ad ſuos ita, & inſigni vocis oriſq; habitu proloquutum ferunt:

O praeclarum ſpectaculum viri. En Orientis Imperator, & terror gentium Amurathes. En orbis victor exercitus, qui Hungaricis ſpolijs, & Aſiatica gaza, ac Peloponeſiacis ornamentis toties barbaricas domos decorauit, ſepultus ignauo dolore, ſomnoq; iacet, à Sfetigradenſi praefidio, & tam puſilla urbe victus, ut obſeſſo iam videatur, quam obſidenti ſimilior, vix exaturari animus eo aſpectu poteſt, quam turpis rerum omnium facies, & iumentorum ſimilima omnia. Sed aſſent utinam ſpectatores Chriſtiani Principes, vix temperaturi quidem lachrymis nunc mecum, quum ex eo ſediſſimi habitu hoſtis, fortuna ſua indignitatem metirentur. Quod ad vos attinet, tranſmittite quaſo hac ita ad ima pectora, & memores libertatis animos, ſicut oculis nunc tam ſordide ſubiecta ſine contemptu cernere non poteſtis, agite dum, properate mecum, dum aliquid diei ſuper eſt, & recens huius ſpectaculi imago haeret animis. Abeamus in caſtra, ut accipiamus ſigna, ut ferrum tradamus ſocijs, dum iacens tam belle hoſtis cruentum nobis iugulum tradit.

Oratio Scanderbegi ad ſuos.



His dictis, concitato equo, ſequentibus impigre alijs, totus irarum ſpei q; plenus ad ſtationes contendit, atque nullo ibi laxamento ſuis dato, vix cibi militariter ſumendi facultate conceſſa, auelli pracipiti feſtinatione ſigna & copias omnes, arreptis vnus tantum diei cibarijs ſe ſequi iubet. Ad cu-

Plures exerci-  
tus & clari Im-  
peratores ma-  
gis infidijs,  
quàm aperto  
Marte delecti.

In ducibus nō  
laudatur pro-  
diga vitā vir-  
tus.

stodiam castrorum 40. militum libera capita, ceteri seruilis corporis, & li-  
xarum manus relictæ, nondum sole fugato opertam tellurem inuasert tenebra,  
quod octo millia passuum prope hostem irrepserat Epirensis, tacitus  
semper præcuntibus equitibus quibusdam, ac lustrantibus omnia, & per-  
agrantibus assuetæ indagine singulos saltus, ne struendarum tantummodo  
insidiarum artificem Castriotum appareret. Timebat semper peritus bel-  
li dux, vel ex composito summa ingenij dexteritate timorem simulabat, ut  
cautiores efficeret milites, & ad omnia redderet intentos. Inde crebro di-  
cere solitum ferunt, plures claros Imperatores exercitusq; infidijs, quàm a-  
perto Marte delectos. Optare se contra decem potius viros certa cum desti-  
natione, atq; aperta fortuna congregari, quàm aduersus duos in aliqua rei  
lociq; incertitudine configere, quum & omnia occulta formidolosiora, &  
in re subita quæq; maiora videantur. Ubi verò quadringentorum ferè in-  
teruallo stadiorum hosti propinquus factus est, progredi ulterius signa pro-  
hibuit, donec duos milites multis pellectis donis ad disquirenda cuncta vs-  
que ad statiuam Barbarorum misisset, sed & sponte cum illis id subiit onus  
Moses, utpote qui non satis vel audacia, vel peritia illorum fideret. Et de-  
scendens illico ex equo, ut pedes tutius falleret vigiles hostium, seruili veste  
tectus, ac Jlyrico præcinctus ense, alacer euauit ex oculis sociorum. Mi-  
lites ambo intrepide secuti, erecti sunt omnium animi, quum Mosi inge-  
nium ad id negocij adiectum vidissent. Expectabant itaque solliciti inui-  
tantibus pauorem noctis tenebris, quæ gerendi belli consilia tantus explo-  
rator afferret, neq; fefellit hominum vota Dibrensis. Quum non tantum  
adiacentia castris loca, sed in intimas quoq; stationes progressum, latebras  
omnes hostium perlustrasse non ab re dictum sit, nec me præterit aliquis  
ad Scanderbegum id audacia experimentum transtulisse, quod tamen  
ego à Mose non aufero, secutus in re non satis certa plurium sententiam,  
licet non prima, & solius ea Mosi fuerit laus. Nam & Castriotum ip-  
sum in Croiensi præsertim obsidione, nemo negat id munus obuisse, pari ani-  
mo, euentuq;: quid enim dicam consilio? quum vix ferè ibi aliquid ra-  
tione, sed solo casu geratur. Quare non multum ausim laudare in ducibus  
tam prodigam vitæ virtutem, & si quod reprehendas in Epirensi nihil re-  
linquit fortuna, quæ omnes viri conatus, cogitatusq; ita ad ardua quæq;  
est comitata, & secuta, ut rarum illud spectaculum ea ætate cernere li-  
cuerit, euentum cum consilio, fortunam cum virtute coniunctam. Sed da-  
bitur aliàs his locus, nos interim cum Mose redeamus in castra, quem con-  
spectum à longe stationarij ( luna namq; pernox erat ) obuiam progressi,  
multo gaudio exceperunt, tacitoq; murmure perduxere ad Imperatorem,  
circumfusi tum turmales, & mixta multitudo optimatibus concurrunt so-  
liciti ad audiendum quæ viderit, quæ egerit, quantum timoris, quantum  
spei

spei attulerit. Ubi tuta omnia sunt nunciata, ac lætitia in singulos transfu-  
sa, Scanderbegus sentiens iam pugna optatū adesse tempus, medius vadens  
per agmina armatorum, disponebat simul tela, virosq; nunc primos, nunc  
postremos ad sua quæq; officia collocans, simul animos præclara verborum  
adhortatione accendebat:

Et si, inquiens, milites nunc cum tempus ipsum, ac multa prope undiq;  
omnia, tum spectata totiens virtus vestra me ad silentium inuitarent, ta-  
men noua hæc consilia nostra, & insueta belli gerendi ratio non alienum  
fortasse sermonem meum apud vos faciunt, quandoquidem cum noctur-  
no nunc hoste, non aperto ( ut consueuistis ) Marte adenda vobis noua  
virtutis exempla decerno. Quare ago libenter nunc vobiscum, & si quo  
intentius fieri possit, hortor, obsecro, obtestor omnes, ut memores ani-  
morum, memores per tot annos parti decoris præsentis vos tenebra o-  
stendant. Nam ibi ipse neque spectator, neq; adhortator cuiusquam ve-  
strum vel virtutis, vel ignavia esse potero, sola luna testis, & dextera vo-  
bis vestra hortatrix aderit. Aderit à vobis rerum gestarum tamen & e-  
uentus publice testis, ego priuatim singulorum iudex, quum cruenta occi-  
sorum spolia, & oblata è tentorijs signa, quum trunca hostium capita ma-  
nibus vestris ad me deferri videro. Hac & huiusmodi alia velut per io-  
cum iactabat, monens tamè præcipua cura viros, abstinerent ab hostilium  
castrorum direptione, neq; dum sordidam cupiditatem explere conantur,  
functissima se præda præpedirent, nullam posse meliorem fortunam, nihil  
preciosius præclaro militi offerri, quàm hostile iugulum. His expeditis, ac  
supplicationibus, votisq; multifariam pro victoria nuncupatis, quarta  
ferè hora noctis inde eduxit signa. Sed priusquam ad castra hostium per-  
uentum esset, illorum aduentum prodidit equorum hinnitus, armorumq;  
strepitus custodijs Barbarorum. Itaq; momento temporis vigiles excitatis  
ducibus castrorum confuderant omnia, ac repleuerant tumultu. Prato-  
rium quoque Principis re subita percussum, excitusq; facile è somno senex,  
quæ in tam præcipiti facto potuit quasi inops animi procurauit. Non ta-  
men idcirco tardauere, ne dum tenuere impetum Castrioti, qui & si eo mo-  
tu misceri castra, ac volitare per stationes armatos sentiret, vix aliquid  
de concepto iam pridem ardore moderatus, ingenti clamore, fremituq; im-  
petit munimenta. Dimicatio primum orta circa tentoria Asiaticorum  
quorundam militum, quæ forte prima occurrerant. Facile itaq; disiectis o-  
mnibus, & stationarijs tum fugatis, tum occisis, ad alia viciniora eandem  
traxit ruinam. Occurrebāt multi sumptis tumultuarie armis, sed impares  
& numero, & ferocia nostrorum, mox discepti gladys, vel in fugam acti  
fuere. Inde Epirota ubi desertas quasdam stationes viderunt, iniecto igne  
& funibus præcis vacuas custodibus domos deformabant. Stetit incru-

Oratio Scandi-  
derbegi ad mi-  
lites nocte pu-  
gnaturos.

enta eousq; victoria Scanderbegi, donec collecta in unum, & densata valida Barbarorum manus è visceribus ipsis, ac robore castrorum ad eam ignominiam propulsandam accurrat. Tum anceps apparuit Mars, & opertus cadaueribus, ac multo cruore notatus locus. Castriotus namque deductis à fronte scloppis, scorpionibusq;, ac omni agmine sagittariorum, primo impetu venientes exceptos ea strage afflixit, ut obstupescerent primo augente pauorem nocte dubijs pergerent, ne ire, an retrocederent animis, steterint. Freti tamen numero (14. namq; millia amplius illuc confluxerant) reliquam fortunam experiri destinant. Epirensis possessum semel locum necubi mutauit, sed obnixò persistens gradu, pari animo consilioq; adictus cum inferendos, tum sustinendos se preparabat. Neque enim vel ingredi ulterius castra hostium ob cõsertam multitudinem poterat, vel eam praclaram victoria occasione nullo proposito discrimine dimittere volebat. Collato igitur cominus pede, gladij gladijs, scuta scutis concrepuere, ac congressus velut vir viro (cauebant namq; permisceri, ne in ea noctis confusione periret discrimen hostium, sociorumq;) singularis cuiusdam certaminis speciem effinxere, ita ut ne dum publico, sed privato quodam odio insanire viderentur, dum quisq; sibi veluti assignatũ credit hostem, & cruenta inuisi capitis spolia detrahere studet. Dilucebat iam ex omni parte, quam fixa militum animis recens oratio Castrioti, quam infusa mentibus singulorum priuata quoque precepta forent. Ita undique sub manibus victorum gemebant Barbari, ac secta ferro guttura cum profluenti copia sanguinis stridebant. Dum abscissa quisque capita sollicitus velut data pignora fidei, & emerita signa virtutis duci ostentare cupit, sed non permessa diutius nostris ea facultas scruendi. Nam ubi oneratum agmen suorum viderunt Turca palantes undiq; integri, ac saucij simul ad tutiora castrorum loca, & vallum Principis se recipiebant. Deprompta mox è stationibus omnis acies, & egregie (ut in eo tumultu potuit) instructa, ad eam partem sicut magno, ita inani impetu incubuit, quum in ipso ferme hostium fuga initio, nostri quoque satis ea cade tum defessi, tum exaturati retrocessissent. Caterum cum vix adhuc per duo stadia abessent, nullus tamen instare ausus fugientibus ob timorem insidiarum. Mansere ibi igitur, donec illucescens aurora suorum stragem, & cadauera sociorum recensenda illis multis cum lachrymis obtulit. Duo occisorum millia fuisse omnes consentiunt. Vulneratos quingentos amplius. Nostrorum quoque duo & quadraginta inter hostium acervos iacuere, quos inuentos Barbari, licet frigida tactu corpora, & liuentes ex more oculi conspicerentur, ac pristinos membrorum vsus felices iam pridem deseruisset anima, inani tamen ultionis studio fæde laceratos, publica simul & priuata odia in exanguis truncos, & surda nequicquam cadauera explere sat agebant. Scanderbe-

derbegus interim ereptus omnino ex oculis auribusq; hostiũ in quadã valle, quam Pulchra incolæ appellant, 5000. passuum procul ab his stare iussit signa, donec respirarent milites, & reformaretur equus ordines sub splendore diei, sauciorumq; cura haberi posset, quos ipse singulos adeundo cõsolabatur, & imperatorij decoris oblitus, militari ingenio, velut vnus ex plebe, manibus suis atrectabat. Procuratis diligentèr omnibus signis sublati, inde circiter quintã diei horam peruenit in castra. Nam tardabant multa viros vulnera, calores, præterea præda hostilis satis graui onera captorũ, quinetiã non ignobilis erat numerus fortuna tam publica, quã priuata, subtentorijs quantũ inuentũ, tantum fermè arreptũ, equi 230. signa militaria septem. Sed ornabant præter cetera spectaculũ præclara gestamina, & insignia priuata virtutis cruenta hostium capita in manibus militum. Hos Scãderbegus publicè multis verbis donisq; honorauit, captiui ad vrbes vicinas transmissi, donec pro redimendis precium afferretur. Signa ad regulos socios cũ quibusdã ornamentis Barbarorũ transmissa. Reliqua præda concessa militibus, & diuisa, quiesq; per eos dies data castris ad reparandas vires. Exacto triduo collecta vasa, & in Aemathijs campis castrametatum. Ottomanus ex tam miserabili suorum fortuna, & fædissimo castrorũ aspectu ab ira in rabiem & furorẽ versus, quum aliam ultionis materiam non videret, truculentissimos animi estus in oppidanos & opposita mœnia nequicquam exprimebat. Ter per eos dies præfectus noua Roma cum insigni apparatu eam oppugnationem aggressus, repulsus totiens ab oppidanis, & maxima clade deiectus. Sed quantum ferocia ex ea re obsessis & animi accedebat, tantum atrox indignatio, & præferuidus furor vexabat magis Amurathem, & superstes in effæto corpore virtus, ac vetusta rerum gestarum memoria seniles erigebat spiritus. Bellorum varios euentus dicebat, & nullibi instabiliorem fortunam, difficultates omnes pertinaci consilio, & indefesso studio superari posse, debiles fore vrbes, infirma oppidorum munimenta aquabilia solo omnia, ubi mortalium ingenia, & humanus labor intendere vellet, accendens his dictis suorum animos, & præmia simul (qualia vix villo imperij sui tempore polliceri consueuerat) proponens viris, posterum diem ad vrbs oppugnationem destinauit. Non latuit horũ quippiã Scanderbegũ, sed prout vel decreta, vel tentata fuerant, detecta sunt omnia ei per singulos dies, tũ ab exploratorib; à se dispositis, tum à transfugis barbarorũ, quorũ indices multi ad eum confluebant, vel imperiũ Ottomanum fastidientes, & sequetes fortunã ducis, vel sola ducti (ut sit) ingeniorũ leuitate. Conciliabat præterea ita sibi homines liberalis natura, & prudentia viri, ut si quid simulati & perniciosi ingenij secũ attulissent, ea victi clementia id fermè omne exuerent. Moratus itaq; tantum Epirensis dum Moses rediisset, quem ad conquirendos milites, & in supplementum amisso-

Scãderbegũs folatur vulneratos, & manibus suis atrectat.

Bellorum varij euentus & nullibi instabilior fortuna.

Scanderbeg conscius consiliorum Turcæ.

amissorum suffiendorum miserat, reliquos ordines, turmasq;, tanquam visus esset hostis, in procinctu tenebat. Ab Amurathe ut constiterat signa sub mœnibus illata, & cœpta oppugnatio sub primo ferme diei exortu. Cincta vrbs corona undique qua accessibilis mons erat, & operta omnia armatis. Nam quum ultimam eam dimicationem Tyrannus proposuisset, in obsessos, totis viribus, roboreq;, exercitus incubuit, sed ne perturbaret ea ( ut consueverat ) improuisus Castrioti aduentus, Feribassa feroci illi duci sponte ad munus petenti, 12. equitum, 6. peditum millia tradita, qui hostis impetum auerteret, sustineretq;, neq; reliquas turmas à tenore oppugnationis interpellari pateretur, multum consilij aderat Barbaro, plurimum animi, utpote militariibus non minus, quam imperatorijs officijs assuetus. Obibat singula crebra perequitatione, & exploratoribus pramissis perlustrabat remotiora etiam à tentorijs loca impatiens animi, ocijq;, velut caput expectans hostem, & indignans tam præclaram laudis materiam diutius differri sibi ( ita oberrans præ oculis fatum, & vicina libertas, audaces plus nimio homines facit. ) Rudis namq; propriarum virium estimator destinauerat, iampridè animum ad singulare certamè cum Scanderbego ineundum, si per militares tumultus, & furores belli sibi usquam licuisset. Deformata interea tormentis multa murorum parte, & disiectis munimentis quibusdam oppidanorum, repleuerant scalis muros

Libertas audaces homines facit.



regij, & intenti omni genere telorum, asseribus præsertim ( usitatiore vocabulo Arpagones dicimus ) superstantes armatos incessabant, neque cuniculo-

culorum inanis labor à quibusdam intermissus, ignes quoq; rotati à multis partibus, & immisi in urbem ( nondum enim vel nota mortaria, vel satis in usu erant ) sed facile extinguebantur ab oppidanis, agebaturq; intrepide undique cura murorū. Plurimus tamen labor, ac ferè periculum omne ad portam maiorem erat, ubi conuectis multis scalis tabulisq;, velut turrim quandam erexerant regij, quo & plures simul euadere possent, & pedum stabiliore vestigio tela iacere ad summonendos, stationibusq; deturbandos oppidanos. Agebatur semper numerus hostium confluentium, tanquam inuenta via esset potiunda vrbs. Alij ingentis magnitudinis trabes ad firmandum, ampliandumq; nouum opus, ac latentes muris insidias struendas subuectabant. Machinas minores alij, & ferreos vectes ad fodienda subter mœnia afferebant, ministrabantq; simul sagittas, lapides, ac cætera id genus missilia ijs, qui à summitate eius compaginis, urgebant hostes. Jamq; senescebat paulatim ab alijs partibus ardor oppugnationis, & vis omnis, ac certamen illuc transferebatur. Tumultus præter eà, clamorq; insultatium omnia maiora faciebat, inceserat formido mixta desperatione oppidanos, quibus ea statio assignata fuerat, quum in eo statu res viderent, ut ne dum remoueri vlla pertinacia ab eo opere, sed neque tardari Barbarus posset. Quo maiori strage pellebant hos, eo numerosiores alij scandentes nusquam respirare illos patiebantur, ita ut tela quoque cum viribus deficerent obsessis. Quare ubi inane suum præsidium sensere, periculumq;, ne inde vrbs caperetur, extimescerent, solliciti de salute patria, præfectum acciri cum manu armatorum ocus iubent. Sed exciuerat rumor, pauorq; alius ab alio Perlatum, quia inuenere eum non longe festinantem ad eam partem, cum longo ciuium agmine. Consternata namque omnis ætas velut captam ciuitatem audissent, nondum certo dolore, suspensq; gemitu cupidi ad tam inuisum spectaculum accurrebant. Deiecit primo impetu hostes Petrus, qui euaserant in muros. Signa quædam Tyranni inuenta affixa munimentis, multo clamore auulsa, delataq; in forum, quo eius præda aspectu sollicitudine sociorum animi leuarentur. Vnum restabat, ut lignea moles illa perfringeretur, & iniuncta ad muros trabes ( ut diximus ) aquarentur solo, sub quibus tecti milites vectibus ferreis demoliebantur fundamenta, & reliqua ministeria oppugnationis exequabantur, licet & ex ipsa turri sauientibus Barbaris non satis adhuc tuti nostri erant. Congesta igitur vis saxorum ingentium, ac oleo, aceto, aquaq; feruentibus affatim coniectis, eodem momento machina tabulata, compago illa scalarum crebris superne ictibus dissiparunt, reliqua instrumenta hostilia obruta, perfractaq; pari ruina. Gregariorum quoq; centum amplius capita attrita, suffocataq; in eo tumultu, & duo non viles ordinum ductores. Liberata eo metu ciuitate, ac renouatis munimentis, custo-

Perlatum præfectus festinat ad tutandum murum.

diarumq; habita ratione, vix enim ullus de vetere presidio inuiolatus excesserat, ad alios hostium motus ubi par iam contentio de muris, ideoq; propior periculo urbis fortuna apparebat, conuersis signis dux peruolat. Barbari, qui à recenti agmine nostrorum repulsi, abcefferant aliquantulum à mœnibus, dum primus ille feruor oppidanorum resedisset ( utpote quos licet magna, non tamen omnis penitus tentata rei spes deseruisset ) ubi abesse ducem nouere, procurrentes illico ad relicta ministeria, & fumantes adhuc suorum sanguine trabes, renouant oppidanis priorem periculi faciem, sed paulopost accurrens Perlatus, vix dum compactam materiam leui momento disiecit. Inter has virorum contentiones, & fortuna variationes, speciosior longe figura belli ab alia parte affulsit, quæ utrorumq; auerteret animos manusq; à pugna, & velut mitigata ira, ac ferro deposito spectatores timido silentio euentus sociorum faceret. Adduxerat enim repentine instructum militem Castriotus quinque ferme stadijs prope hostem, celeriq; cursu ad hostium castra pergebat, ni instructus iam pridem Feribassa cum assignatis sibi à Tyranno copijs ei occurrisset, non passus propius progredi hostem, ne ( quod maxime intendere nostros ciebant ) disturbaretur eo tumultu oppugnatio urbis, & auocarentur à mœnibus reliqua principis copia. Scanderbegus simulato pauore, retulit latenter pedem, & 140. amplius passus protraxit, longius adhuc se insequentes hostes, tum deductis ex more copijs, infestis passibus procursum est in aduersos, verusq; depromptus furor. Barbarus olim audax pugna, nihil recusauit, sed quum eam paucitatem nostrorum vidisset ( nam cum 9. paulo plus millibus Christianus venerat, reliquos enim ad M. D. amplius, cum Musachio 10. ferme stadijs procul velut ad subsidium cæterorum, si variaisset fortuna reliquerat ) peditatu omni, & quatuor equitum millibus à fronte oppositis, impetum eorum excepit, reliquas copias equestres militari astu delusas à robore cæterorum, ac passim circumfusas ad occludendos & opprimendos à tergo nostros misit, ne ullum effugium pateret obsessis, ratus forte Scanderbegum quoque ipsum eo modo viuum in manus suas venire posse. Sensit fraudem veteranus dux, moxq; concitato equo, Mose cum cæteris ibi ad media aciei sustinenda onera relictis, ipse cum expedito equitum agmine ad dextrum latus peruolat, & progredientes ad prostitutas insidias, hostes primo aspectu inibuit. Deinde cominus illato pede acerrime vrgens loco mouit, transtulitq; animos hominum ad propria salutis curam. Quatuor amplius hostium millia erant, Epirensis vix duum millium implebat numerum. Par itaq; aliquantulum victoria spes, & ardor animorum fuit, licet dimicatio dispar, quum longe plures illorum caderent. Musachus à sinistra parte euocatus, & ipse à socijs toto agmine in hostem incubuerat. Ita tripartita copia

Feribassa occurrit Castrioto.

copie utrinque triplicis speciem prælij effecerant. Moses consilio magis, quam dextera rem gerebat, neque indulgere ferocia suorum, neq; nimium adire periculi volebat, donec prosperum aliquem successum, & exordium victoria à cornibus conspexisset, seruare recentes suorum vires, & densatis ordinibus differre fortunam tergiuersando in aduentum sociorum. Feribassa eo insolentior instabat, & crebro ad suos conuersus:

Inferre pedem, clamabat, socij, Vt imini Dijs propitijs, ut imini victoria, dum torpent hostium gladij, dum senescunt vires. Petite deuota vobis capita. Excindite scelerata ferro pectora. En quam ignaua undiq; omnia. Vix hostile quicquam aspiciamus in hoste. Non vultus hominibus, non vox, non motus aliquis, index animorum apparent. Vel protrahunt fortasse in noctem certamen tenebris assueti prædones. Vobis aperta luce est utendum, & è manibus hostium ea consilia extorquenda. Nunc & virtute & numero superamus. Nox expectata, & pluribus pauciores, & ignauos fortibus est æquatura. Sed quid hos increpo? quid insequor? qui velut æstus maris subito cessabunt, ubi procellam sustuleris. Abscindendum caput ipsum, cæterorum sicut vilis, ita facilis sanguis. Ubi est nephandus transfuga ille, tot autor malorum? quem incruentis vobis, si eum mihi aliquis hodierni prælij offerat casus, solus conficere cupio, & elatam tantis latrocinijs feram sociorum mactare manibus. Longum hoc desiderium meum, nõ noua aliqua & subita libido certaminis est, milites, iam dudum est quod hoc cogito, animumq; meum istuc iam diu sollicitat certamen, & scelerati hominis supplicium, experiri iuuat, an & hoc ferrum nocere possit? An penetrabile corpus illi, unde ea virium vis, & in quo felix tam diu bellator iste cæteros superet mortales.

Eo vociferans modo, minus quam ducem decet, perlustrabat passim oculis, sicubi eum conspexisset, & ab alienato à reliquis animo, solum manu, solum voce poscebat. Milites non inuiti audiebant hominem, & licet inuicta omnibus ducis nostri virtus videretur, expectabant tamẽ intenti ( ut auidum est vulgus rerum nouarum ) tam pulchrum spectaculum cernere, sperantes præterea alterutrius victoria finem sibi eius dici potius laboris ac sanguinis futurum. Multi tamen, quibus maior rerum cura, & honoris inceserat ratio, lenibus ne quicquam alloquijs, ne ignauiam tacitè imputarent viro, summo studio singulare illud certamen dissuadebant. Perniciosam æque ac nullius exempli rem esse dicentes, ut duces ipsi eius rei præberent spectaculum, cuius deberent esse spectatores. Militares esse eas contentiones, & priuatorum munia. Imperatoris partes magis in consulendo & imperando, quam dimicando sitas esse. Non defuturos plures alios ( si res ferat ) qui intrepide id muneri obeant, ne ipse ea ferocia & auditate periculi, possessum iam iam decus & certam victoriam alea committeret.

Feribassa hortatur suos ad pugnam.

Feribassa prouocat Scanderbegum ad singulare certamen.

Imperatoris partes magis in consulendo quam dimicando sitas.

*Surdus ad omnia auribus profectus, neque vel tantum salubre consilium ad animum transmittens, ut stolidum propositum differret, dum signum aliquod bene gerendae rei à cornibus affulisset, concitato prope equo, militum stipatus agmine, Scanderbegum clara voce compellans, parare se ad pugnam iubet. Ille et si audisset nuper omnem ferme orationem viri, nihil tamen ab incepto dimicationis ardore auocatus, vel dissimulans regio decore, vel contemnens, vix caput conuertit. Vbi vero et expeditam pra oculis victoriam, et instantem molestius Barbarum vidit, adductis ad eam partem militibus, mox et ipse recenti successu ferocior, ac hostili cruore resperfus conuolauit. Poterat Barbarum is presentis aspectus, poterant fusa suorum ex lateribus legiones, ac tanta militum iactura commouere. Debebat talis fortuna sua facies illum perterrere, et extinguere eo ipso illi omnem dimicandi cupiditatem. Tamen vel coactus fatis, vel pudore prohibitus à retractando, nihil de pristino animi habitu mutare visus est. Quiuere mox ex omni parte tela, et publicus furor inhibitus à ducibus. Non tumultus, non clamor, non hostile quippiam auditum, circumfusi tamen milites ac purpurati circa Castriotum, non precibus modo, sed contentione agere, ut manibus suis clamoriferam beluam illam relinqueret, caput tantum occisi deberi Imperatori, reliqua omnia sua esse. Magis futurum et ex eius, et Epirotica rei dignitate, si sentiat Ottomanus, pares milites Albanos ducibus suis, quam pares Imperatores. Indecorum praeterea videri tantum principem eam gloriam rerum gestarum, et tot annorum laudes cum infami Amurathis seruo dimicando in discrimen dare, se noui decoris nihil exinde expectare posse, Feribassam illustriorem eo facto, quam reliqua omnia anteacta vita futurum. Ad ea Scanderbegus mirifice omnium animis ac priuatis in se studijs collaudatis, inter apparandum, qua ad id genus certaminis in rem erant:*

Oratio Scanderbegi ad suos, ostendens paratum se ad duellum cum Feribassa.


*Auertat, inquit, Deus optimus maximus, socij, ut dum hac dextera ad telum gerendum sufficit, dum viget in corpore tale virium robur, extorqueat à me quisquam vestrum huiusmodi fortuna euentum, quemcumque parauerint fata. Seruate in aliud tempus officia isthac vestra, quum senem me, et haud satis viribus meis fidentem videbitis. Nunc cauisse potius vos oportet, ne dum nimio plus salutis meae anxij estis, laudis videamini inimici. Quid enim si ad vos (ut poscitis) id periculi transtulero, dicturus est hostis? nisi tergiuersando apertam timoris dissimulare confessionem, quum sentiam me sibi parem non esse. Nam (quod ad vos attinet) non priuatorum hac tantum, sed Imperatorum etiam quandoque munia esse consueuerunt. An pudori Alexandro cum Poro Indorum Rege gloriosa illa dimicatio fuit? An Pyrrho cum Pantacho duce singulare certamina*

Etiam Imperatores singularibus certaminibus vsi.

*men illud vitio dedere veteres? Marcellos hoc in loco, Torquatos, Coruinosque conticesco, qui prouocantes hostes magna sua ciuiumque suorum gloria prostrauerunt. Mea fors hac, manibus his subeunda, me hostis poscit prodigus minarum. Me trux belua compellat, ignauus sim, si recusem, ingratus ni tanto hominis desiderio morem geram, satis dignus est, qui ferrum hoc sentiat, quem tanto non indignum imperio sensit Amurathes.*

*His dictis, mox unum est stationarijs ad Barbarum, ut adictus pararet se, mittit. Ipse subinde maximo militum clamore euectus, in destinatum certaminis locum prorupit. Minus nobile spectaculum fecit, sicut impar hostilis du-*

Alexander, Pyrrhus, Marcellus, Torquatus.



*cis virtus, ita praeproperus exitus. Primo namque concursu telorum excepta in faciem cuspide Feribassa, eo solo ictu corruens, simul et equum et vitam reliquit. Scanderbegus dimisso cadauere, spoliisque iacentis, et ad suos reuersus, inire ocus omnes pugnam, et instaurare undique praedium iubet. Non expectauerunt hostes, sed ubi stratum videre ducem, primo densi accurrentes, tractum pedibus cadauer ab ignominia, deinde haud satis commode tutari comati sunt propter interuentum nostrorum, eo officio defuncti totis signis effudere se in fugam, illi prout auide prodierant, multi fugientibus instare, antesignani praesertim, donec receptui dato reuocati sunt omnes. Ita priuata simul et publica victoria letus Epiroensis, ubi quieti omnia, et nihil praeter vestigia hostium, ac frigida iacentium corpora vidit, mox vulgus ad legenda occisorum spolia dimisit. Ipse instructus cum reliquis copijs, et promptissimis quibusque, ne quis motus fieret ab hoste, obseruabat. Amurathi nunciata hac primo, deinde visa ita dolorem mixto timore in-*

Scanderbegus iugulat Feribassam.

Scanderbeg suos mittit ad legenda occisorum spolia.

re incusserunt, ut vocem aliquandiu non emiserit. Quum ita velut inuisus superis fatisq; prohibitus, frustratam undiq; spem suam videret. Sed retrocedente paulatim vi doloris, qua in ea re prudentissimus quisque procurasset, ordine procuravit atq; egit. Primum namq; dispositis undiq; militibus, solícite observare omnia hostis consilia iubet. Deinceps deductis à muris quibusdam minoribus machinis, locat ab ea parte castrorum, qua magis solitus aggredi hostis, & opportunior iniuria locus apparebat. Auditis præterea copijs ducis occisi, ac quatuor millibus in supplementum susceptis (totidem enim ceciderant) ad custodiam munimentorum collocavit, edicto ne quis signa extra efferret ad dimicandum cum hoste, nisi cominus inuictum in castra vidissent. Tunc tormentis ad id ipsum locatis magis quam corporibus suis rem gererent. Facile eo modo ratus incruento milite suo omnium certaminum veteres & novas iacturas refarcire. Ita & commode ubiq; prouisum, & oppugnatio urbis non omissa. Corruerant tamen animi Barbaris, defecerant vires, consenuerant ictus. Ubi infeliciter pugnatum in campis, secusq; quam expectauerant, belli fortunam inclinasse conspexerunt, & priuata ducis nostri virtus, fortunaq; multorum sibi conciliauerat animos, illorū præsertim, qui ex successu rerum formant, variantq; fidem. Quare ea die transfugarum ad nostros numerum, amplius quinquaginta fuisse inuenio. Oppidanis velut alimenta quadam audacia, & virium victoria sociorum præstiterat. Exin acrius semper promunimentis instare, neq; respirare unquam sinere, donec fessus iam hostis superuenientibus etiam tamdiu cupitis tenebris, relictis operibus, signo receptui dato, reuocatus est in castra. Stetit ea dies Tyranno septem amplius millium militum iactura, saucijs ferme plures, quam integri excessere. Ex oppidanis 70. desiderati, vulnerati nonaginta duo, adeo ut rarefcente indies nostro numero, multorum animos timor inceserit, ne defendentium aliquando paucitate, urbs custodiri non posset. Igitur intentiores quotidie ad reficienda mœnia, & construenda munimenta, ne penitus obnoxia telis hostium corpora offerrent, curam omnem transtulerunt. Erigebat tamen illud præcipue fessos, & acuebat animos inclusorum, quod eandem semper Principis sui fortunam aspiciabant, & hostilem exercitum tot claudibus sordidatum, ac magna ex parte diminutum. Scanderbegus autem priusquam descendissent ex monte regia copia, lectis tutissime iacentium spolijs, duplici ouans victoria abscessit, & receptus in castra, quod noctis superfuit, cantibus, iocisq; varijs consumpsit. Præda tantum aduectum, quod iam satietas homines ceperat, equorum præsertim, ut concederentur promiscue ignauis, fortibusq; multi dona regulis vicinis, cum alia gazæ hostili missi. Confluxerat præterea ea tempestate multitudo mercatorum ex Italia, alijsq; locis, qui emptos pecunia, vel mercium facta permuta-

Bona consultatio Amurathis hostis consilia obseruare.

Transfuge ex Turcis ad Christianos.

tatione, abducebant indies ex prouincia. Quieuerat iam pavor per uniuersam regionem, & perinde contemni cœperat ab omnibus Ottomanus, quum sic confractas penè eius vires viderent. Scanderbegus quoque ipse iam iam urbis obsidione relicta, discessurum ultro credebat, neque amplius tot acceptis iacturis, moram tracturum in Epiro, crebros tamen spectatores quotidie decernebat, qui regis consilia explorarent, sed nullus motus apparebat à castris hostium. Itaque ipse impatiens ocij, cum duobus equitum millibus per aspera montium progressus, oberrabat indies loca, & contemplabatur omnia: neque satis poterat coniectare, quid consilij versaret hostis, si quos frumentatores, & vectigales Tyranni intercipere poterat affixus stabat. Aggrediendorum nanque castrorum, vel congregiendi aperto campo, nulla usquam tuta occasio apparebat, quum & unitas tanta multitudinis vires, & detectas à transfugis insidias machinarum timeret. Obequitabat tamen pluribus locis conspiciendus hosti, ut eliceret ad certamen viros ea militum paucitate, spe bene gerenda rei iniecta. Sed ea consilia nullus unquam euentus est sequutus. Nam velut obsesti in stationibus Barbari, vix pedem extra vallum mouebant, quum edictum à principe fuisset, capit ali proposito animaduersionis metu, ne quis iniussu suo, non solum in hostem pugnaturus egrederetur, sed neq; etiam pugnandi ullam facerent mentionem. Epirensibus ubi inanem expectationem suam vidit, plenus curarum indignationisq; reuertitur in castra, cōsultaturus, qua ratio obsidionis soluenda, & fugandi ex prouincia hostis esset ineunda, quum alioquin & imparem se ad vim apertam, & hostem nihil temere agentem cerneret. Solicitare ad arma socios, & regulos nominis Epirotici concitare, ac dare fortuna pignus totius summa rerum, nunquam satis tutum visum, quippe cum licet certa apparuisset victoria, non posset tamen tanta res sine multo suorum sanguine comparari. Illud ex multis consilijs melius est visum receptumq;, ut solito tenore, bellum cum Barbaro gereret, sineretq; marcescere hostem, donec tacitis exhaustus incommodis, senescentibus indies viribus, ultro maleceptam prouinciam damno suo deponeret, se eousq; neq; de vilius fide, neq; de fortuna conqueri posse. Sfetigradensis constantiæ ea iam dilucere exempla, ut omnes constanti, quietissimog; animo esse possint. Urbem præterea rebus singulis, quibus indigeant obsesti, non ad usum solum, sed abusum communitam. Itaque hostem vel nihil diutius moliturum in muros, vel maxima suorum pernicia, urbem tentaturum, præsertim, quum operibus occupata oppugnationis multitudine, castra ipsa inuadi paruo negotio campestribus copijs possent, & affici undique ignominia Tyrannus. Hæc pro palam hilari vultu, pulchraq; fiducia iactabat Scanderbegus. Varij tamen iactus astus curarum urgebant sollicitum viri pectus, interpretabatur consilia

Edictum Tyranni per omnia castra.

Exempla Sfetigradensis constantiæ.



consilia Amurathis, prout euentus postea ipse rerum non falsum aestimator ostendit. Silentium illud, & ocium senis non minus quam arma ipsa timebat, utpote cuius longo usu nouerat ingenium, auro & largitionibus, munerumq; copia oppugnari posse urbem assidue cogitabat. Subinde mortalium pectorum cupiditas facile omnia timenti suadebat, & penetrabilia auro mœnia, ac corpora virorum, quæ omni ferri genus contempsissent, non vanum suspicionis metum incutiebant, quum præcipue facillimum videretur voluenti singula, in tanta præsertim multitudine aliquem reperiri posse, qui nefaria ea libidine obcacatus, sordidas conditiones ad sceleratum animum transmitteret. Neq; de Sfetigrado tantum ea sollicitudo ducis erat, sed de cæteris quoq; urbibus, Croia præsertim, ne occulta alicuius perfidia, & secreta suorum consilia cum Ottomano aliquid struerent. Quare nihil moratus Tanusio tantum, & Musachio socijs consilij acceptis, & triginta non amplius viris sibi adiunctis, militari veste amictus, ad disquirenda omnia, & digitum ad fontem (ut aiunt) intendendum ire perrexit. Ita hic Epirensis, inde Ottomanus varijs ambo curis alter alterum timentes anxie torquebantur. Cæterum Ottomanus totos eos dies (ut ante dictum est) castris inclusus, vasis consultationum discursibus consumpsit. Nam ubi nihil vel arma, vel minas, vel diuinam obsidionem, & crebros armatorum insultus ad urbem potiundam satis esse cognouit, & perstare in pertinacia oppidanos vidit, alia sibi via fortunam tentandam esse statuit, licet non deessent, qui instandum adhuc ferro, & urgendam solito apparatu urbem dicerent. Plures autem qui nihil ultra tentandum in ea rei difficultate affirmarent, sed vel discurrendum totis signis ad deuastationem hostilis agri, & cæterarum rerum incendia, & insequendum hostem, qui tot elatus victorijs, per omnis contemptum periculi cum ignobili virorum agmine passim vagaretur: Vel relicto Sfetigrado, Croiam copias deducendas, ibi fortasse meliore fortuna rem gesturos, & obsideri posse in ea urbe Scanderbegum, sicq; unum tantum hostem habituros. Facile enim credebant ducem curam eius loci nulli præterquam suo ingenio fideiq; commissurum. Hæ sententia haud quaquam ad animum Tyranni transmissa, sed spreta aqua atq; abiecta sunt. Nam prædandi agri ridicula ac penè puerilia consilia non immerito dicebat esse, quum nihil fermè usquam apparet, unde vnus posset militis libido exaturari, ita ante eorum aduentum procurauerat omnia Epirensis. Castrioti quoque insequendi nihilominus stolidas cogitationes suorum ridebat, perniciosissimum inquiens saltus Epitoticos, & inaccessa ferarum magis, quam virorum cubilia eo inani studio adire, quippe quum nihil aliud eo cupiat hostis. Croiam præterea copias transmittendi, nouas ambages & refugia fortunæ appellabat, scilicet, pugnatioribus ibi eos futuros, & alios Sfetigradi, alios Croia Deos esse. Subinde

Auro peruia  
mœnia quæ  
genus ferri  
contempsis-  
sent.

Proverb.  
Digitum ad fon-  
tem intende-  
re.

inde dicitans, scilicet in minoribus male expertam virtutem, fortunamq; ipsorum, ad tantæ rei onus inani quodam appetitu transmittendam, & intrantibus intima Epiri, ac umbilicum ipsum hostilis imperij veluti exordium, à tergo Sfetigradum relinquendum. Ita his consilijs spretis, alijs adhuc non inuentis, omnia in incerto erant. Et abscedere Tyrannum, hinc pudor & indignatio plusquam credi potest non sinebant, inde tentare quicquam diutius satis cognita fortuna prohibebat. Stabat igitur dissimulato dolore Ottomanus, & ne nihil ageret perstructa paulatim occasio, ac captata colloquij copia, benignis verbis hostes pellicere aggreditur, apta irritamenta, ad ingeniorum leuitatem, & quod magis cæcæ hominum libidinem inuitat, ingentia dona proponens, & ingentioribus etiam promissis

Sollicitat Ot-  
tomanus Di-  
branos ad de-  
ditionem vr-  
bis.



sefe ostentans, ad portas aperiendas, & præsidium in urbe accipiendum pellicere conabatur. Varia subinde à ciuibus responsa tulit, omnia tamen recidentia in idem, non esse cur ad mutandam cum muneribus fidem descenderent, Scanderbegiq; amicitiam cum alieno iugo permutarent, cuius neminem ad eam diem pœniteret. Consociata sibi omnia cum eo esse, & ad ultimum futura. Aluit tamen ea spes Barbarum per aliquot dies, quum tanta perfidia præmia proposuisset, quæ vel obstinatissimos labefactare animos possent, neq; eum sententia fefellit postremo. Exciuit nanque sordida cupiditas hominem quendam perditum, qui perniciosis muneribus, & Barbari pollicitis muneribus corruptus, præsciis commodis, ciuium, patriæ, ac sociorum salutem ne flocci quidem faceret. Obseruato itaq; tempore quo custodias falleret, habitis ex occulto sermonibus cum quibusdā exploratoribus

T

regijs,

regijs, ignaram ciuitatem mercede pactus est. Sed non obtulit tam cito consilium fortuna nefario proposito viri, et haesitabat timidus scelere aliquid tentare, ne detecta fraude, prior ipse tanti mali periculum pernicie sua lueret. Non portas et serras moliri, non effringere claustra, egredi ad excipiendos hostes satis tutum visum, quum omnia ciuium custodijs tenerentur, non sibi socios consciscere, qui nocturno tumultu occisis optimatibus consternatam ciuitatem opprimerent, traderentque Barbaro, quum alienissimos ab ea re omnium animos cognosceret, infixumque viris, aut defensa patria victoriam reportare, aut expugnata, speciosam mortem oppetere velle, cerneret. Montana vrbs erat, et in aditissimo vertice saxi sita, nulla neque intus scaturientis aqua, neque propinqui fluminis commoditate utens, unicus erat intus puteus aqua, vetusta populi cura, tum ad priuata hominum commoda, tum magis ad bellorum necessitates, si qua incidissent, in medio vrbs vico effossus constructusque. Praesidium omne (ut diximus) ex Dibrensi milite constabat, subiecta ea gens Scanderbego, sed non usquequaque Epirotici nominis, et lingua erat. Duas namque Dibras regio habet illa, sicut natura, ita nominum etiam distinctione seiunctas. Et alteram quidem inferiorem, alteram vero superiorem Epiri accola vocant. Inferior plana ferè tota est frugiferis circumdata campis, et rerum omnium fertilibus. Albani, et Epirota incolunt loca, fortissimi bello populi, quorum praecipue armis Castriotus et seruaui, et auxit imperium, et ardua quaque ac difficillima expediuit, ita ut velut Colophonem quandam ad omnem bellorum vim et hostium molem illos haberet. Egregios inde viros uniuerso promptissimo tempore habuit, qui non imperatorijs minus, quam militarijs rem Epiroticam iuuerunt. Superior Dibra montuosa est, et aspera, ferax tamen, et Macedoniã tum ipsa loci vicinitate, tum similitudine morum contingens. Bulgari, siue Tribali habitant, ferox in armis gens, et non minus Scanderbego multis praclare virtutis fideique meritis grata. Propior tamen externis, quam Epiroticis moribus, et abhorrens in multis ab Albano cultu, Graecanico ritu victitabat, et plerasque eorum superstitiones sequebatur. Hinc occasionem nepharij propositi scelestus ille proditor sumpsit, ratus si alicuius in puteo demersi animalis cadauer conspexissent Dibrenses, subituros potius ultimam perniciem, vel foedissimas pacis condiciones admissuros, quam eam amplius aquam haurituros. Neque vanus eius rei estimator fuit: nam quum noctu proiecto in puteum cane, contaminasset aquam, ea re postridie mane perspecta, quum rumor alius ex alio totam urbem cito peruasisset, tumultus ingens undique exortus, ac prope seditionem res fuit, dum tanti auctor sceleris queritur, nec inuenitur. Dolentibus vicem suam Dibrensibus, proditos se, et velut ignaua pecora iam siti omnes extinctos iri, vix enim ullus est inuictus, qui

Descriptio Dibrarum.

Superstitio Dibrensiu ob demersum in puteo cadauer canis.

non magis id aqua genus, quam hostile iugum formidaret, clamantibus alijs incendendam urbem, et per medios hostes erumpendo, consulendum fuga sibi, aut fortiter cadendum, leuissimum tamen malorum deditio visa. Sedatus itaque paulatim dolor, et clamor ubique cessauit. Iam feroces viris spiritus tam parua rei momentum abstulerat, iam relegat a fides superstitiosa pectora reliquerat, iam facilius barbaris aditus, et placidiores hostilibus alloquijs aures facta, sollicitique undique milites, quas nuper tam gloriose spreuerant, sordidas pacis condiciones ab Amurathe petituri ultro ire parabant. Ciuium minor numerus longe erat. Itaque impares viribus, Dibrensi nulla vel cadendi, vel expellendi praesidij consilia inire poterant, quum praesertim vel si eiecissent eos, non satis paucitatem suorum ad murorum custodiam esse viderent. Fremebant tamen omnibus locis, nunc perfidiam illorum, nunc inanem superstitionem accusantes, incessentesque querelis Scanderbegum absentem, quod patrie et salutis suae curam in eorum manibus tradidisset. Attonitus in eo tumultu Perlatus, et commentata proniorum ad perfidiam animorum, corruptionem aqua causantium ratus, ac prodita omnia credens, prohibuit primo quicquam posthac cum Turcis se inconsulto decerni. Deinde progressus in forum, coacta in hunc modum concionis multitudinem:

Ita ne, inquit, Dei boni, tam leui momento fides vestra fundata erat Dibrenses, ut non minus animos nunc vestros, et illam tot bellis spectatam

Oratio Perlati vrbs praefectus ad Dibrenses suos, ne se Ottomanis dant.



constantiam, quam aquam ipsam corruperit? Quisquis ille est tanti reus criminis, Dys pariter et hominibus inuisus, vix possum (proh pudor)

mei compos esse, animumque meum componere, quum et perniciosissimas has consultationes vestras, tamque subitam rerum omnium mutationem, et leuem, ac ridiculam quidem eam causam tanta indignitatis aspicio. Prodere patriam sociorum satius ne videtur, uxores, liberos, aras, focos, Deos ipsos in manus hostium transferre? Et vos tam insignis perfidia reos in omnia secula offerre, quam sordidiori hoc, vel (ut vos appellatis) foedissimo etiam potu contaminatos, et obnoxios praclaros spiritus tantam animorum mundiciam, et fidei nitorem seruare? Nihil video cur pereatis milites, ni Demon aliquis consilia vestra sana peruerterit. Iam certis eo decurritur, ut dum superstitiosiores sumus quam par est, honestatis, pietatis, fidei rationem uniuersam abijciamus, et malimus, ut perfidos nos, quam minus superstitiosos homines appellent. Ridebunt mortales, mirabuntur posterum, detestabuntur etiam hostes ipsi tam stolidam fidei mutantem causam, tam faciles ad stultam, futilemque perfidiam animos, vel potius credent omnes (in quam sententiam tamen et ipse, ni aliam vos mentem indueritis, licet inuitus descendendo) corruptos Barbaricis muneribus vos, et beneficijs praecipuos, commentitiam hanc causam perfidia vestra nunc velle praetendere, qua certe obiecta cum culpa coram omnibus vacare contendatis, culpam profecto omnium iudicio, scelestissimumque facinus confessione vestra confirmabitis. Quae enim est tam efficax ratio? quis persuasionis modus? qui tot simul honestissimarum rerum, ac Scanderbegi officiorum memoriam abolere a pectoribus vestris potuerit? Quae tam foeda animorum imbecillitas, mentiumque inconstantia, ut adeo parua, contemnendaque res, totius utilis, et honesti discrimen abstulerit a vobis, ni aliud sit tanti motus pretium, alio morbo infirmi sensus, et corrupta ingenia. Haec ne Scanderbegi premia Dibrenses? Haec constantiae documenta? Haec gratissimis hisce ciuibus, et socijs vestris debita exoluitis? Piget ea apud fortes viros referre. Nihil tutum usquam erit, nihil sanctum, nihil integrum, si tam delicatum praetextu, et perfidum sit genus humanum, si tam leuibus de causis mortalium pendeat fides. Et quis tam ignauus est, tam perditus hostis, qui non semper aliquem inueniat modum nocendi, insidietur, tentet, experiatur omnia, si tantum videat promissum fraudis fructum? Frustra mœnibus circundedere vrbes patres nostri, frustra aggeres et turres in iugis montium constructae, frustra et armorum praesidia adinuenta, si mutabiles cum singularum rerum et temporum mutatione homines gerant fidem? Si ratione hyemis et aestatis velut arbores alios induamus, et inuicem exuamus animos? Quid, si immodici calores et intemperies caeli corrupisset aquam, facturi eratis? Nempe istuc ipsum. O perniciosum fidei genus. O detestabilem ingeniorum leuitatem, sic agimus, sic loquimur de urbis salute, libertate, velut de re hu-

milli-

millima orta sit contentio. Pedibus trahi oportebat vos exanguis, seminaces, de loci huius possessione, non sic voluntarios, integrosque, tam praecleara dominio fortuna cedere. Nos ipsi (si Dijs placet) ultro inuitamus hostem, subdimus iugo collum, abrogamus libertatem, ius omne, fasque, polluimus, ne sordidiori potu superstitiosa ora inficiamus. Sic ne Darium illum Persarum superbissimum et lautissimum regem, quum superatus ab Alexandro nostro, foeda fuga memoranda cladis vestigia recenseret, oblatam a seruulo sibi turbidissimam aquam, quam inter fugiendum circa equorum ungulas et cadauera occisorum collegerat, recusasse audistis? Accepit insolentissimus rex, et quum hausisset, nunquam se bibisse libentius testatus. Praterijt ita iugum hostile, distulit fortunam, et regios seruauit spiritus. Qui? Caium Marcium magni nominis Romanum Imperatorem in bellico ardore, et inter militaria opera, ac obsessarum urbium munia obeunda, coetamne semper habuisse refert antiquitas? Quid (ut Saguntinam pertinaciam omittam) Petilia ciuitas in Brutijs, Annibalidis tempore, memorabili, ac prope incredibili exemplo, nonne fidei suae constantiam posteris testatam reliquit? Quae non canum modo, quos tantopere vos execratis, sed omnis generis quadrupedum carne, sutrinisque corijs, radicibus, et corticibus, structisque cois vesci non dubitauit, ut receptam semel Romanis fidem, et nuda seruaret mœnia. Themistoclem illum longe clarissimum Atheniensem, latiferum poculum hausisse ferunt, ut ingratis patriam interitu suo liberaret. Multa sunt per omnia secula vetusta et noua huius generis exempla, quae vos ipsos vobiscum versare, quam me referente cognoscere malo. Sed alienam fortasse patriam dicetis, non vestram. Vobis tradita, vestra est Dibrenses, vestram potissimum fidem ad id muneris elegit Scanderbegus: vos restituere principi commissam vobis urbem oportebat. Date quaso modum tempusque perditis consilijs, nec vim, ac necessitatem appellate, quod peruersum consilium appellandum sit. Quid enim, si spretis conditionibus deditiois vestrae ad supplicium vos vocet Ottomanus? An recusaturi exitialem potum sitis? Hausturi quidem omnes potius vos, quam in vosmetipsos seruituri. Nunc quia saluis vobis nihil praeterquam fides perit, insanistis eadem cogitatione omnes, adeo minimum malorum inuiolata crimen fidei videtur. Nequeo animo meo imperare Dibrenses, nequeo lachrymis temperare, quum obuersatur ante oculos, nunc illa concionantis Principis nostri species, obtestationes illae, precesque discedentis, quas in hoc ipso loco nuper, tanta vestrum corona fidem singulorum appellans, credulus iactabat. Quum fremitus item vestros illos, et audaces singulorum tum publice, tum priuatim pollicitationes, ac fortia dicta recolo, ubi nunc voces illae Dibrenses? ubi feroces spiritus? ubi urbi huic deuota pectora? ubi tam

Caius Marius

De hoc Titus  
Liuus, Val.  
Max. & Cice.  
in Philippicis.Plutarchus in  
vita Themi-  
stocelis.

audax vita contemptus? Eosdem quidem viros, eadem arma video, diuersum tamen animorum habitum, & cum deplorata iam vrbe infelicissimum rerum omnium statum. Adest, adest forte in oculis vestris sollicitus Princeps, tam insignis perfidia spectator. Quem putatis fore eius? quem caterorum animum? Quos provincia tumultus? Quam totius Epirotici nominis fortunam? quum ea malorum & calamitatis sua initia fluxerint à vobis. Proponite ante oculos, dum integrum est, facti huius indignitatem, & seruate vos vobis. Retinete patriam sociorum, retinete libertatem dignitatemque vestram, qua per summum ocium tenere potestis. Respicite mæstos ciues, respicite meipsum iam iam, si patimini, ad genua vestra prouolutum. En offerunt iugulum omnes. En trado & ipse hoc pectus vobis Dibrenses. Aperite ferro, haurite (nihil enim recuso) sanguinem hunc, si iuuat potius iste, si fidem ipsi vestram, si urbem hanc aliter seruare non potestis. Sed heu quos nunc sermones vobiscum iacto Dibrenses? Audire sine lachrymis hæc apud vos loquentem potestis? Neque moneo (ut mihi videor) iam quempiam vanus adhortator, quos nuper, dum cruentis sanguine vestro mœnibus instaret hostis, ad pericula, sudores, & extrema quaque audenda, vel nutu solo mouere potui. Expirassetis vitinam tunc mecum omnes potius, quam ad istas nunc consultationes, ne dicam mala me vobiscum fata seruassent. Poteratis tunc impransitotum diem transigere in armis, & pari sitis, ac caloris tolerantia perdurare pro muris istis, pro salute sociorum, pro Castrioti, & Epirotici imperij dignitate: nunc quum omne ferme iter per summam laudem emensit sitis, & verius hostem in castris obsederitis, quam ipse obsederit vos, inani hac superstitione debonestare & pessundare omnia vultis? Intuemini, iterum repeto, intuemini sordidatos ciues, audite iustissimas sociorum querelas, & preces obsecrantium. Ne quos vobis tantis officijs, & sparsò passim cruore deuicistis, nunc vel tanquam iumenta tradatis hosti, vel extorres patriam per summum dedecus stipem mendicare cogatis? Momentaneum hoc erit Dibrenses, quod nunc vos abhorretis tantopere, palatum tantum & labra vestra inficiet: perpetuas vero calamitates, perpetuas sordes, æterna mala, amissa semel miseris ciuibus patria, obstinatio isthæc vestra est allatura, neque ora solum, oculosque, ac singulos sensus contaminabit, sed vret continua laceratione animos, & memores nequicquam spiritus libertatis. Sed (ut nullus sit horum respectus, nulla honestatis ratio, vestra salutis, vestri capitis) non minus (ut opinor) cura est habenda. Seruaturum creditis Tyrannum pacta vobis, cuius vos totiens omnes pacis conditiones insolentissime recusastis? & studio tuenda libertatis, dictis factisque ita hominis indignationem in vos acuisistis, ut nihil expectat, nihil quarat dies noctesque, quam vnde tamdiu conceptum venenum in ca-

A perfidia  
Tyranni.

in capita vestra, in hanc urbem euomat. Ibimus scilicet sequentes fidem Amurathis, transibimus per tot armatorum ordines in hostium oculis integri, inuiolati? Quos tot publicis, priuatisque calamitatibus affecimus, ut vel si prohibeat Amurathes, vel si ipsi nolint, manus tamen ipsa hostium impatientes odij, ulciscendi cupiditate sponte sua sint in ferrum dilapsura. Poterunt Barbari? Quis furor hic, qua mentium insania, truces hos aspectus, & cruentas adhuc sanguine suo dexteras intueri, neque subrepet cuiquam tot cladum, tot malorum recentium memoria? Non feruebunt iustissimo dolore pectora, quum fratrum, parentum, quum filiorum occisorum umbra ob oculos obuersari videbuntur? Victima omnes (michi credite) crimus Dibrenses. Et (utinam Dijs omen auertant) dabimur pro cuiusque appetitu ad varia genera suppliciorum, iugulabimur alter in alterius conspectu, neque proderunt tum inanes querela vobis. Sera erit spreti huiusce consilij pœnitentia. Expirabimus tanquam ignaua pecora, & rei prodita & orbis, rebelles sociorum, proditores sanguinis nostri, inter hostium tormentis infelices efflabimus animas, hominibus pariter & Dijs iniusas. At quanto satius est nunc & cum socijs, & pro socijs viuere. Nolite igitur per Deos immortales in vosmet ipsos crudeles esse. Agite dum, properate mecum, en propino ipse primus omnium vobis poculum aqua eius milites, nunquam suauius estis, nunquam dulcius potaturi. Quandoquidem libertas eo, & vita vestra, dignitas Albani imperij, opes, pœnates, sociique, & chara sociorum patria seruatur.

Hæc dicens, sequente ferme omni multitudine, progressus ad puteum, spectatibus omnibus, inde haustam bibit aquam. Idem fecit & maior pars ciuium. Porrecta est deinde quibusdam optimatibus, & ducibus presidij, sed neque bene dicta, sed neque facta, mouere quicquam superstitiosa viro- rum pectora. Vix ausim sine rubore quodam vel credere ipse, vel alijs affirmare leuissimam hanc, vel magis ridiculam tantæ rei causam, quum non dubitem risum potius id posteris, quam admirationem excitaturum. Ita ut si concedendum tamen sit aliquid, negent tamen causam eam, sed quandam verius occasionem fuisse existiment inclinatis ad perfidiam animis, & corruptis iam pridem militum ingenijs. Ego quum omnia diligentissime euoluerim, neque usquam aliud quippiam à me sit compertum, nihil vereor tantæ credulitatis quospiam insimulari. Quandoquidem nihil puto tam occultum in mortaliu actis, aut abstrusum adeo, quod latere tamdiu potuerit, præsertim quod nullus eorum (ut aiunt) qui superstitionem secuti sunt illam, vel ad Amurathem transfugerit, vel consequto postea tempore ditior sit deprehensus, ut coniectari exinde fraus aliqua posset. Neque profecto mirum cuiquam esse videatur, si Dibrenses hac sua leuissima superstitione adducti, in hanc delapsi dementiam, huiusmodi errorem commiserint,

Perlatus præ-  
bibit Dibren-  
sibus.

Superstitio &  
hæresis mor-  
bi connexi &  
affines.

miserint, cum ij non tantummodo superstitiosi, verum etiam hæretici sint, fuerintq; semper (ha nempe contagiones, siue morbi connexi sunt inter se & affines) Sermo enim huius gentis Sclauonus est, cuius sermo & lingua (ut nobilissimi scriptorum tradidère) latissima, in varias diuersasq; sectas diffusa & sparsa est. Nam ex Sclauonibus alij Romanam sequuntur Ecclesiam, ut Dalmata, Croatini, Carni ac Poloni. Alij Græcorum errores & ineptias, ut Tribali, qui & Bulgari dicuntur, Rutheni, & multi ex Lituaniis. Alij proprias hæreses inuenère, ut Boëmi, Morau, & Bosnienses, quorum magna pars Manichæorum imitantur insaniam. Instabat tamen præfectus nunc precibus, nunc donis promissisq; agens cum illis. Vbi vero obstinatos eos & vanas omnes adhortationes suas vidit, assumens & ipse conuenientem tempori animum, coactis tam Dibrensis quibusdam, quam primoribus urbis, breui consultatione (res nanque moram non patiebatur) leges deditiois sibi ipsi statuere, quas neque graues sibi, neque ingratas hosti censuere, ut præsidio rebus armisq; libera abeundi facultas daretur, ciuibus siue manendi in urbe in pristino statu, siue discendi, prout quisque elegisset, potestas esset. De præsidio nihil mutatum est à Tyranno: Oppidanis tamen negata urbs ad habitandum, cetera concessa, & designata stationes in suburbij. Quare data mox claues Ottomano, & vacuum oppidum traditum. Ciues, quos patriæ amor, & cura na-

Conditiones  
deditiois.



alis soli tenuit, adificatis extra muros tectis, in assignatis sibi locis manserunt. Multi impatientia hostilis iugi, relictis omnibus, confugère ad Scanderbegum. Proditor ille & corruptor aquæ, apud hostes in oppido mansit, qui

qui cognitus ab exploratoribus regijs, & in castra ductus ingenti lætitia ad Tyrannum, publice ab eo verbis simul & ingentibus donis honoratus est maioribus adhuc, quam promissa sibi in eius perfidia præmium fuerant. Data nanque quinquaginta Asprorum millia, tres vestes insignis artificij precijq; assignata deinde tot villa, prædiaq; ut reditus duum millium aureorum nummum superaret. Sed breuis admodum earum rerum perditio homini possessio fuit: nam quum publico omnium spectaculo his muneribus ac laudibus simul honorifice habitus esset ab Amurathe, & multo fauore versaretur apud Barbaros, paucissimis postea diebus nusquam vel visus, vel auditus. Rumor fuit sublatum occulte digno supplicio à Tyranno, non satis fidente eo viri ingenio, qui patriæ, sociorum, & domestici sanguinis prodendi, sordida ductus cupiditate tam impia consilia iniisset. Præsidium Dibrense per medias hostium turmas, & tentoria Amurathis liberum inuiolatumq; excessit, licet magna contentione ageret apud patrem Mahumetes ferox adolescens, qui tum paternæ castra in Epiru, belli & gloriæ cupiditate fertur secutus, ne inani studio fidei seruandæ ita per summam suam ignominiam illesi dimitterentur hostes, quum alioquin nullum haberent Turcæ certius fidei documentum, nullum antiquius esset legis Mahumetanae præceptum, quam omnibus modis seruire in Christianos, & omne in eos exercere supplicij genus, in eos præsertim, à quibus tot iactura fuissent, tot calamitates acceptæ, caesa legiones, caesi duces, & deformatus magna ex parte exercitus. Plectendos Sfetigradenses ad terrorem cæterorum, & præstādū reliquis exemplum, ne in eiusmodi pertinacia diutius perstarent: non esse, inquiens, clari Imperatoris officium, ex hostium fortuna mutabilem animi habitum gerere, & precibus eorum illachrymari: transigendos ferro omnes, aut habendos in vinculis, donec precium pro redimendis afferretur. Ostendit satis ex ijs Mahumetes & adolescens, & priuatus, qualis esset senex, qualis olim Imperator futurus, feritatis & auariciæ suæ sordes iam atrox declarauit atas. Sed nihil potuère apud senile pectus impia filij consilia, quin reprehendens eum, dixisse fertur: Nullam esse inter mortales maiorem necessitatem, quam fidei seruanda, qua sublatæ, neque imperia possint, neque aliud quippiam permanere, & in claro quoq; principe, qui magnarum rerum imperia spe animoq; complexus sit, alteram omnino esse debere, aut veram, aut simulatam saltem, ut hominum ingenia eo modo concilientur, allicianturq;. Perfidiæ & feritatem destruere regna, vrbes, populos, ac sibi postremo ipsis non minus quam alijs iniquas esse, deuinciendum beneficijs ac liberalitate mortalium genus, qui fideles sibi eos futuros cupit, crudelitate, ac odio nihil profici apud subiectos. Quod si immiti regantur imperio, nunquam diu sint insolentis domini iugum laturi. Allici ea clemètia

Proditori  
merces datur  
à Tyranno.

De discessu  
Christiani  
præsidij ex  
oppido ad Ca-  
strorum.

Mahumetes  
putat Chri-  
stianis nõ ser-  
uandâ fidem.

Mahumetes  
feritas & auaricia arguitur  
à patre Amu-  
rathæ.

Perfidia & fe-  
ritas destruit  
regna.

Z posse

Scanderbeg  
tristis in ca-  
stris se conti-  
net.

posse animos multorum, qui quum acciderit, tam lene iugum non sint re-  
cusaturi. Quid præterea peccasse Sfetigradenſes ipsos, vel contra imperij  
noſtri dignitatem deliquiſſe, ſi patriam, ſi liberos, uxores, & penates ſuos  
triatati ſint? Si conditiones tandem ſibi eas impoſuerint, tenuerintq̃, quas  
victor ipſe approbaſſet. Dimiſſis Dibrenſibus, & reliquo hoſtium agmi-  
ne, Amurathes impoſito nouo præſidio in oppido m. cc. Janizaris, curam  
omnem tranſtulit ad reficienda mœnia, & ſtructuram murorum, qua parte  
te quaſſati tormentorum ictibus corruerant. Scanderbegus interim re-  
uerſus iam pridem à perluſtratione prouincia, & admonitus recentibus  
nuncijs de urbis euentu, & Dibrenſium perfidia, plenus irarum in caſtris  
mœſto ſilentio ſe continebat, quum non multo poſt Perlatus cum infa-  
mi militum agmine apparuit, triſtis ipſe, ac ſqualore obſitus, triſtiores op-  
pidani, & manantibus patria deſiderio per ora lachrymis. Dibrenſes &  
ipſi tanti erroris conſcientia demiſſo in terram vultu, ceterorum mœ-  
ſtitiã imitabantur. Sed ubi propiores facti ſub ducis fuere conſpectum,  
& vim ingentem indignationis in truci facie videre, abiectis humi armis,  
& ſuis quiſque cingulis circumdati colla, prouoluti ad genua eius, veniam  
tanti facinoris ſtebiliter orabant. Quid faceret mitiſſimus princeps? non  
facile erat de tanta multitudine ſupplicium ſumere, non cauſam tanti ſce-  
leris aliam, niſi ſuperſtitioſam gentis crudelitatem videbat, conſeſſio erro-  
ris vltro à præſentibus ingenti abiectiõne animorum ſiebat. Mouens itaq̃  
hæc Caſtriotum, & mitigata ira conuerſus ad eos haud grauate omnibus  
pepercit, & vitam ſe illis in præmium eorum, quæ pro mœnibus urbis  
bene geſſiſſent, largiri dixit. Sfetigradenſibus pro dignitate & veteri for-  
tuna cuiuſque noua patrimonia data, multis illuſtres ordines in militia ad  
ſolatiũ amiſſæ patriæ conceſſi. Dibrenſibus quoque quæ petierunt, ni-  
hil fermè negatum, pudore tamen recentis infamiae, pauci manſere in ca-  
ſtris, aſpectum ſociorum declinantes. Perlati virtus conſtantiaq̃, in rei  
Sfetigradenſis adminiſtratione, tum longo ſermone Scanderbegi, tum  
preſentium teſtimonio militum ſatis præmij tuliffe potuit, quamuis non  
iniuria fort aſſe reprehendi potius meruerit Perlatus, quam commendari,  
& amiſſa culpa urbis non in conſilium, ſed in laxiorem eius indulgentiam,  
vel imprudentiam magis reiſci poſſe contenderim. Quod tam facile in eo  
rerum discrimine ad colloquia hoſtes, & veluti in promiſcuam quandam  
cuium ſuorum familiaritatem admiſerit, vnde conſuetudine aſidua &  
facile allici ad perfidiam oppidanus poſſet. Caſtriotus tamen non ſolum  
praclaro verborum decore fidem, ac facta eius publice comprobauit, ſed  
dictis etiam nihilo indigniora facta adiecit, onerando virum, licet enixe  
recuſantem, pecunia, equis & reliquis quibuſque variij generis ornamen-  
tis. Ita Perlatus multo cum honore & amplificatiõne nominis domum re-  
miſſus.

Scanderbeg  
Dibrenſes &  
Sfetigraden-  
ſes in gratiam  
recipit.

miſſus. Erat ex Emathia vir iſte Antifteſ, quem illi Prothofengeli, nos Ab-  
bates vulgo dicimus, emendatiſſima vita, atq̃ ingenti morum mundicia,  
doctrina præterea excellentia, ac facundia lingua, cum grauitas ipſa anno-  
rum, reliquas hominis virtutes decorabant. Expeditis hiſ Scanderbegus  
ubi intentum muniendo oppido Tyrannum, & occupatos operibus Bar-  
baros cognouit, acceptis quinq̃ equitum millibus, ad laceſſendas ac diſtur-  
bandas res hoſtium illico feſtinauit. Sed nulla inuenta occaſione bene ge-  
renda rei, biduo ibi oberrans per ſaltus ac montium iuga obſeruabat, ſi  
quos pabulatores, vel frumentarios regioſ intercipere poſſet. Neque expers  
penitus præda miles diſceſſit, nam ( vt fit in magno exercitu ) multi libere  
palantes equi, viriq̃ capti. Amurathes perfectis ſatis commode ( vt pro ea  
breuitate temporis ) mœnibus urbis, impoſitoq̃, pro vnius amplius anni  
neceſſitate frumento, ac reliquis rebus velut obſidionem iam iam præſagi-  
ret animus, deducere ex Epiro exercitum, & Adrianopolim repetere ſta-  
tuit. Multa hic mendacia haud ſatis conſtans fama interſerit, dum quiſq̃  
archana Tyranni conſilia comiectando diſquirat. Hi Hungaricos, alij Gra-  
cos, nonnulli Perſicos tumultus cauſam diſceſſus eius inquirunt fuiſſe. Mul-  
ti accepta in Epiro damna, & varias belli eius difficultates ammouiffe,  
tum ex prouincia Ottomanum affirmant, vt validiori, & recentiori po-  
ſtea apparatu rediret ad Croiam oppugnandam, quum maioribus ea urbs  
viribus indigere videretur. Ipſe admittere ſingulas ſententias poſſum,  
quod habet vnaquæque ſimilitudinem quandam veri. Hanc tamen pro-  
babiliorẽ crediderim, vt pote quam euentus ipſe rerum ſatis effcax te-  
ſtis approbauit. Vel illud fort aſſe non temere quis dixerit, quod non urgen-  
tibus ſatis præſtitutum ſeni tempus aduenerat. Neq̃ ( vt licenter ſcribunt  
Poëta ) omnia adhuc ſtamina impleuerat ſores. Pridie itaque kalendas  
Sextiles collectis vaſis, impedimenta omnia cum equitatus parte præmiſit.  
Ipſe poſtero die, incenſis prius per noctem caſtris, ſub ortu ſolis cum reliquo  
exercitu ingenti omnium latitia, clamoreq̃, ac crepitu instrumentorum  
adito, eſt ſubſecutus. In medio turbarum robore Tyranno locus ſemper eſſe  
conſuevit, ſicut etiam tunc fuit, ubi albo veſtus equo, ac Ianizarorum  
cinctus armis, nihil tumultus periculiue incurrere uſquam poterat. A  
fronte nanque præſectus Aſia, à tergo nouæ Romæ ordinibus ſumma ra-  
tione conſtituti, tutam eius ſtationem præſtabant. Triginta hominum  
millibus amiſſis, eoq̃ pauciore numero quam cum venit, diſceſſiſſe ex Epiro  
Amurathem omnes ferè conueniunt. Reliqua quoq̃ exercitus ornamen-  
ta, ac ſigna militaria, magna ex parte amiſſa & ſædata. Sed auxit eas ia-  
cturas Barbaris, ac renouauit priorum cladum formam recenti ignomi-  
nia Scanderbegus. Nam ubi reductus in caſtra diſceſſum hoſtium audi-  
uit, totis ſignis roboreq̃ ſuorum octo equitum, tria peditum millia erant,  
Z 2 veſtigia

Prothofenge-  
li hoc eſt ab-  
bates.

Amurathes  
parat reditũ  
in Adrianopõ-  
lim.

Amurathes  
redit poſt oc-  
cupatum Sfe-  
tigradum.

Scanderbegus  
vestigia fugie-  
rium insequi-  
tur.

vestigia velut fugientium est insequutus, carpens postremum semper  
agmen, ac exhauriens incessabili cade quosque cessantes, aut aliqua casus



contingentia relictos. Hostis saepe conuersis signis, ac obnixo cultu propul-  
saturus impetum insequentis stetit. Tum ille nunc simulat a fuga resistere  
cupientes frustrabatur, nunc per proximas valles, vicinosq; colles subdu-  
ctus, & post subito apparens, nunc à fronte, nunc à lateribus instabat, mo-  
do illorum terga premens, magnis illos incommodis afficiebat. Ita res per  
eam ludificatioem diutius protracta, ut per sex amplius millia passuum in-  
festis signis molestior semper instaret. Tyrannus non ulterius eam igno-  
miniam clademq; suorum perpeffus, Bassam Romanis cum 30. armato-  
rum millibus retro conuertere signa iubet ad quietem, & liberam abito-  
nem reliquorum, ac hostem vel pugna incessere si persistat, vel ad fugam  
compellere mandat. Castriotus ea re animaduersa, retracto aliquantu-  
lum suorum agmine, ne medius inter duos hostium acies interciperetur,  
tanta multitudini cessit, reductisq; in valles quasdam, & montium anfra-  
ctus copijs, ubi tutus castris locus, & idoneus ad quantumcunq; hostium  
sustinendam multitudinem esse apparuit. Stetit aliquantisper ita instru-  
ctus, velut iamiam descensurus in aciem, & collatis signis cum praefecto re-  
gis dimicaturus, fecissetq; id forsitan (qua erat viri audacia) sed tum fef-  
sus tam longis procurvationibus miles, tum impar hostium numero, ea  
suorum paucitas coegit tam temeraria consilia abijcere ferocem ducem.  
Vnde quasi excusans se conuersus ad milites, inquit, id quod prowerbij loco  
semper fertur usurpasse: Malo infamem dici hunc locum Scanderbegi  
fuga, quam cruce. Consuevit nanque à nostris crucis signo notari locus,  
ubi


Bassa Roma-  
niae cū 30. mil-  
libus armato-  
rum.

ubi Christianus aliquis praesertim clari vir nominis concidisset. Quippe  
quum ait: Aboleri illa aliqua recenti laude possit, hanc ad id, quod irreu-  
cabilis, & funesta sit, infamia quoque & vulgi latratu, & obloquutione  
non carituram, quum nihil ex consilio, sed ex euentu solo omnia metiantur  
homines. Barbarus ubi tenentem se intra stationes Epirenses, & nihil  
mouentem vidit, conuersis paulatim signis, & ipse non inuitus, relicto ho-  
ste, praecuntia agmina sociorum assequi contendit. Idem fecit Castriotus  
suasum militum obsecrantium, ne eam pestem abeuntem ex prouincia, per-  
uicaciori incessatione in visceribus Epiri contineret. Quare eodem tem-  
poris tenore Croiam hic, Adrianopolim ille per Macedoniam, Triballo-  
rumq; montes iter faciens redijt. Mæsti ambo propter res maxime vari-  
ante fortuna gestas. Mæstior tamen longe tyrannus quod neque hostem,  
ad quem potissimum delendum venerat, sustulisset, neque pusilla fortuna  
urbis se caute ad tot mala & clades compensandas idonea videre-  
tur. Mæstitiam tamen nostrorum spes ea multum leuabat,  
quod ubi abisset hostis, recuperari à se oppi-  
dum posse certa iam fiducia con-  
ceperant.

Proverbi-  
Cruce signa-  
tus locus ubi  
Christianus  
vir occidit.

Z 3

MARINI



De vita & gestis Scanderbegi,  
**MARINI BARLETII SCO-**  
**DRENSIS DE VITA ET GE-**  
**STIS SCANDERBEGI,**  
 LIBER SEXTVS.



**P**ACATO provincialium statu ex hostilium copiarum discessu, ac solitudine singulorum soluta, referatae urbes, arcesque undique, praesidia dimissa, ac homines ad pristina quaeque ministeria traducti. Legiones suas Scanderbegus ita demum militia onere per id modicum tempus respirandi causa exoluit, ut inde ad duos menses omnes ad Sfetigradensem obsidionem, et extorquenda e manibus hostium sociorum urbem aduolarent. Retenta tamen ex eis copijs duo equitum millia, mille peditum, qui more ad Macedonia fines transmissi, eo in tractu incolentium fortunas a praecursionibus hostium tutarentur. Dum sic temporaria quiete, ocioque recentes belli labores pensaret Castriotus, et Croia ad insuetum sibi munus civilia negotia in iure dicundo animum transmisisset, purpurati eius et principes vicini consanguineique egredientes, quod sine prole nulla liberisque, tam clarus vir omnes aetatis annos transigeret (quadragenarius namque tum, et maior forte erat) confluentes ad illum quod sepius etiam antea fecerant de uxore ducenda, liberisque legitime procreandis, cogitationem

gitationem in animum eius inducere velut contentione quadam conabantur. Frustra dicentes imperij terminos, frustra rem Epiroticam eoque ampliatam ab ipso, ni quibus tantum decus magnitudinemque nominis, ac gloriam rerum gestarum per omnes aetates comparasset, de futuro quoque principe procuraret, nisi forte vellet mortalem, et secum perituram rem Albanam fore, et cum unius corpore hominis, totius corpus imperij extingui. Audiret tacita suorum vota, audiret sollicitas populorum querelas. Nam quod ad alios principes, et extraneos successores atineret, nescire eam gentem alterius iugum pati, aspernari quosque dominos, nisi quem ex sanguine ipse suo eius virtutis effigiem, atque heredem dedisset. Mansuram eoque fortunam, mansuros deos secum, dum in ea stirpe Epiroticum resideat imperium. Quod si caput ex ea gente non adsit cupidissimis subditorum animis, mox expirat uram cum eo Epirotarum rempublicam, ruitura in praecipua omnia, et velut dissectum ovile ad pristinas calamitates et sordes Epirotarum nomen rediturum. Scanderbegus qui ab alienatissimo ab ea re animo alio iam pridem ingentes cogitatus direxerat, et immemor, velut caterorum summa quaeque spe, atque cogitatione complexus supra hominem erexerat caput, fertur primum pluribus verbis multa auctoritate audientiumque silentio consilia suorum improbasse, laudasseque non vanis rationibus caelibatum in summis viris. Quippe quum nihil diceret tam graue libero ingenio, quam uxoris dominium, non corpori, non animo ius suum esse, ubi ea molestia penates sit ingressa, imperij amplificationem, et rerum gerendarum magnam partem fortunam diminuturam. Deinde, ne tanta publica simul et priuata suorum vota spernere videretur, annuisse nil se recusaturum, quod ex utilitate omnium, et rei Epiroticae dignitate censeant fore, subiturum quaecumque iugum ipsi voluerint, probauerintque, moram se tamen et veniam eius solummodo temporis petere, dum Sfetigradi possessionem e manibus hostium extorsisset, exoluissetque ea cura animum, pudori nunc maxime sibi fore, si relictis sub hostili iugo socijs, consanguineisque, ipse nuptiarum solennia celebraret, vel latum quippiam pertractaret. Satis concessum sibi credentes homines, nihil ultra quaesierunt, sed ingentibus gratis actis, velut magnum quippiam tulissent, iam inde provinciam omnem eo gaudio replerunt. Interea nuncij quotidie a praesidio quod ad hostium fines locauerat Epiroensis, aduolabant, nunc deuastatos agros Barbarorum, nunc fugatas eorum custodias afferentes. Sfetigradensi quoque praesidio multa damna per eosdem dies illata procurrationibus assidujs equitis nostri, qui occultantes se inter saltus vicinos urbi, si qui pabulatum, vel alterius rei causa longius processissent, omnes illico opprimebant. Quare lacesiti sapius Barbari erumpentes ex oppido, pleraque ignobilia certamina fecere. Nostri nanque timentes iniquitatem loci, con-

Scanderbegus admonetur de uxore ducenda.

Caelibatus in summis viris laudatur.

Uxoris dominium graue libero ingenio.

Sfetigradensi praesidio damna inferuntur.

gredi



gredi sub mœnibus ipsis non satis audebant, sed simulata fuga protrahere aperto campo hostem conabantur. Crescente oppidanis audacia, die quadam studio insequendi radices montis iactu fermè iaculi trecenti prætergressi, conferta furore magis, quam consilio cum nostris manu. 43. occisi, 14. viui capti sunt, reliqui fuga se subduxerunt. Nemoq; excessisset integer, aut intrasset mœnia, ni a stationibus relictis socij ad propulsandam eam cladem præsto fuissent. Potuit in eo tumultu animorumq; consternatione, & rerum omnium confusione, facile vrbs ipsa capi, si magis, vel feruoris nostris, vel virium fuisset. Compulsis intra mœnia barbaris, tantus post-hac timor incesit, vt pedem amplius extra non efferrent. Ita velut obsessi ab ignobili agmine nostrorum stabant. Hac omnia gesta à parte eius presidij, de quo nunc dictum est, inconsulto tamen & ignaro Scanderbego, quum nihil eorum præcepisset; & ad tutandos tantum ab insultationibus hostium suos id presidij ibi teneret. Sed hac re postea nunciata, ita id eorum consilium & opera placuit prudentissimo alioqui duci, vt nihil vel cõtemtam tacite imperij eius maiestatem, vel disciplinam militarem à suis neglectam doleret, quinimmo prauit ea res festinationem quandam negotio, & impulit acrius hominem ad oppugnationem vrbs, quum eo pauore clausos per summam fœditatem regio audiret. Proinde nihil moratus, priusquam edictum de cogendo vetere milite, & nouo conquirendo proposuisset, trecentos equites, & quingentos pedites, qui tum ad manus sibi (vt aiunt) erant, Sfetigradum ad iuuandos sociorum ausus, & multa cum ijs dona priuatim publiceq; suis misit, approbans summopere, quæ eousq; gessissent, pergerent, & in ijs quæ caute agi possent, nõ sinerent respirare oppidanos, donec ipse maioribus copijs, totoq; apparatu opprimere posset obsessos, tum ad copias legendas conuersus, paucis diebus duodeuiginti hominum millia collegit, 8. equitum, peditum reliqua, omnibus iam satis comparatis, ac præmissis impedimentis. Ipse secutus 10. kalend. Octobres sub mœnibus vrbs copias exposuit, stationem sibi, atq; equiti tantum longe ab hostibus fixit, quantum sclopis superne impeti non posset, ijs namq; potissimum utebantur regij, & peritissimos quosq; eius artis locauerat ibi Tyrannus. Pedites non procul à muris confedere, & ne obnoxij telis oppidanorum forent, trabium magna vi conuicta, tabularumq; velut tegetes ad omnem iniuriam excludendam construxere. Epirotæ sagittarij fermè omnes erant. Cæteri Italice, ac Germanici generis sclopis ac scorpionibus instructi. Non deerant Illyrici, licet gladio quàm arcu aptiores, qui eius delectus fama, & præda cupiditate plecti, multi voluntarij se adiunxerant, sine vlla stipendij mercede. Confluebant ea tempestate in Epirum ex omnibus gentibus indies milites ad stipendia Scanderbegi sumenda, quum solus ex Christianis ducibus nullo satis tempore quiesceret, & semper occupatus bello esset,

Duodeuiginti hominum millia collegit, 8. equitum, peditum reliqua, omnibus iam satis comparatis, ac præmissis impedimentis.

In Epiro ex omnibus gentibus milites conducitur à Scanderbego.

perpetuus Turcarum hostis. Quare tum quotidiane præda dulcedine, tum locorum amœnitate detenti multi ( vt vidi ipse, dum res nostra loco



staret) perpetua sibi domicilia ibi statuere. Alij plures ditissimi captiuæ gazæ, ac pleni fortunarum, domos suas sunt reuersi. Gallorū quoq; quinquaginta amplius aderant in eo exercitu. His minores quadam machina ( quum ad id præcipuam operam spopondissent) regenda sunt tradita, quibus verius defensoribus quàm munimentis ipsis noceretur. Aliud maius tormenti genus ad ruinam murorum aduectum non inuenio. Commodior namq; per scalas oppugnatione vrbs apparebat. His hoc modo constitutis, vnum præcipuum omnium restabat, quod ad totius exercitus quietem, & continuandam tutius obsidionem atinebat. Vt occluderentur scilicet aditus omnes hosti, ne subsidij quicquam sperare possent obsessi, & loca singula opplentur armatis, qua maxime ad soluendam obsidionem transituros dubitabatur regio. Accitum itaq; vetus presidium illud, & nouum etiam supplementum octingentorum militum. Eisq; milleni equites additi ex copijs presentibus, tum bipartitum hoc agmen, pars cum Georgio Stresio, pars cum Tanusio diuersis locis ad custodiam caterorum, & excludendum subsidium oppidanis misit. Breui hac tempore omnia procurata, perfectaq; fuere, tum traduci ad munia quæ sua, & ministeria oppugnationis, ac veros ordiri furores tum Barbaris duci opportunum visum est. Septem namq; integris diebus, ex quo illuc accesserant nostri circa castra murien-

Sfetigradum oppugnatur.

a itaq;

itaque facto ad ducem, poscebat ex omni parte pugnam miles. Ille nihil ferro prius quam si qua alia posset via intentandum ratus, distulit eousque desideria suorum, donec oppidanorum perscrutaretur animos, quousque ea pertinacia in tutandis mœnibus essent usuri. Missis igitur per duos ex militibus iisdem deditiois conditionibus, quas populus Sfetigradensis prius ab Ottomano acceperat, Barbari postea quam intrepide spretis eius postulatis sanguine emptam urbem, sanguine vendendam, non verbis dixerunt, armorum itaque corpora, et caput ipse suum pro eius redimenda pretio offerret, sciturum profecto, an velut Dibrensiū nuper, fides sua ex aqua puteo illo penderet. Quum nihil novum vel inexpectatum audisset, quippe qui illos ita esse responsuros iam prœvidisset, conuersus ad ferrum, et cupitum iam pridem militi opus, non iam suasoris, sed veri hostis animum induit. Maneque prima luce deductis sub muris copijs, primo procursu vicis illos, et suburbia, quæ assignata fuerant Sfetigradensibus, impetit, disijcit, incendit. Inhabitantium plures primo aspectu nostrorum, ad veteres socios et consanguineos confugere. Alij passim palantes sub mœnibus à superimposito praesidio ex muris tutabantur. Aedificia quoque, quæ proximiora fuere oppido, illa sa mansere, nisi quæ inuicta simul incendium ex alijs ad alia traiectum eodem tenore absumpsit. Hic non ulterius scuitum, quin pauci ex Barbaris ibi, sed omnes ferme veteres ciues, et Epirota collocati essent, qui et si iam (ut apparebat) hostium induissent animos, segniores tamen nostros faciebat pietas, ex pristino, non ex praesenti animorum habitu homines metientes. Moses interea, quum occupatos in tutandis ab ea parte suburbij, et extinguendo igne oppidanos vidisset, trium amplius millium lectissimorum militum agmen ad portam maiorem traduxerat. Intentusque operi vineis contactos ad claustra perfringenda impellabat armatos. Regij, qui satis multi pro ea loci exiguitate in custodijs erant, et adesse ubique commode poterant, ocius hincinde accurrentes, simul alij superne ingenti vi telorum auertere ab eo opere hostem. Alij intus congestis lapidibus, et maioribus trabibus oppositis firmare portas, ita cum paucorum iactura ea transacta est res. Nostrum namque, quum scalas tum casu non attulissent, nihil diutius tentarunt in muros, missilibus tantum utrinque et sagittis exaturata odia, ac certamen finitum, dato à Scanderbego receptui signo, licet Moses iam accensus paulatim furore illo dimicandi, ad scalas et reliqua instrumenta oppugnationis conuehenda hortaretur socios, reuocati tamen sunt omnes subito interuentu ducis, et quasi inuiti reducti in castra. Sic accensis inuitatisque eo die utrorumque animis pusillo pugna congressu, nulla vel spe, vel timore dirempta pugna. Quod eius diei superfuit Epirensis varia consultatione distraxit, quæ potior esset oppugnandi ratio, et tutior via eligenda, enixe disquirens. Fortissimus ac inaccessus ferme urbis

situs,

situs, validissimum praeterca Tyranni praesidium satis certam periculi speciem, si temere, et furore quodam ducerentur in muros milites ostendebat. Efficaci quoque nuper exemplo Amurathes similis fortuna subeunda consilia nostrorum tardabat. Illud per eos dies optimum factu visum, ut leuibus praelijs maximo ingenio fraudeque alliceretur ad pugnam oppidanus, assuesceretque spe bene gerenda rei paulatim egredi muros. Ita vel minui tacite robur inclusorum sine multa suorum pernicie, vel protractis paulatim simulatione fuga à custodia portarum Barbaris, deducto postea magna impressione ex improvise milite, in eo tumultu facile capi urbem posse cum fugientibus, et consternatis simul intrantibus nostris. Per eam noctem igitur summo studio ordinata omnia, et Mosestrecentorum iuuenum cohors ad hostem laceffendum data. Zacharias Groppa cum quingentis militibus ab una parte in insidijs destinatus, Scanderbegus ab alia pari numero armorum, qui omnes noctis occasione usi quam maximo fieri potuit silentio subrepentes, per montem inter anfractus illos, et dumis obsitos saltus iacuerunt, ignaris hostium excubijs. Nam ignibus alijs extinctis, alijs absconditis et occultatis ab auersa parte castrorum fuerant egressi, electo insidijs loco, unde minime timebat hostis. Tempus quoque ipsum inuit aliquantisper latere cupientes, quando per totam noctem grauidus (ut aiunt) imbre aër crassiori nebularum caligine obducta tellure, et tonitruis assiduus oculos simul auresque hominum perstringentibus fallere non difficulter custodes poterant. Dibrensis et ipse non expectata certa luce cum socijs latronis more circumspectans omnia, taciteque approximans muris, ac in oculis ipsis oberrans sui copiam oppidanis facere. Non idem omnibus animus consiliumque in urbe fuit, sed contentione conclamantium à pluribus progrediendum in subiectos esse, neque per summam ignominiam praeterlabi eam occasionem patiendum. Nonnullis è contra quiescendum videri potius, neque temere quicquam agendum. Variatumque in ea re est, prout maiores quibusdam sunt ferocia stimuli, et inani credulitate ductis, ac superficiem tantum, non rerum medullam introsipientibus, salubria quoque consilia sordent, et omnis eo ipso erepta in perpetuum è manibus fortuna videatur, si breuis morula temperamento gerendorum ratio condiciatur. Eorum tamen (ut apparuit) sententia praeualuit, qui quiescendum esse decernebant. Nullus enim eorum exitus, nulla eruptio, sed telis tantum superne petiti nostri, portas egrediendi facultas nulli concessa. Nostrum nunc conglobati, nunc dispersi, intento et ipsi arcu insuperstantes, hac illac procurrabant, ut diutiori incessatione irritarent ad eruptionem viros. Vbi nihil satis efficax ad id negotij vidit Moses, et magis iam periculi sibi, quam spei dilucere, duobus namque militibus amissis, septem sagittis fixos vix semineces subtraxerat, dato signo, reli-

a 2 Etis

Pietas segniores facit animos hostino-cendo.

Consilium la-cessendi oppidanos.

Zacharias Groppa.

Salubria consilia saepe for-dent.

Etis muris pari indignatione ignominiaq; paulatim ex hostium oculis se proripuit. Nihil deinde moratus Scanderbegus, ipse cum socijs pudore quodam in apertum prodiens maestissimus est secutus. Ita ij nocturnis pluuijs omnes plene obruti, ille etiam gementi milite in castra reductus, ridiculum spectaculum, & latam eam diem prabuere hosti. Sed non pertulit diutius hanc ignominiam Castriotus, propenso ad veram oppugnationem, & apertam fortunam animo. Postridie curatis corporibus, ordinibusq; distinctis, ac suis cuique ministerijs assignatis, quarta diei hora decem armatorum millia sub muris primo impetu deduxit. Ceteri partim ad castroru custodias relictis, partim si latitudine & vulneribus grauati socij intermittere oppugnationem cogentur, ut recentibus viribus praeo esse possent, ne interpellaretur dimicatio cum hoste. Moses cum expedita iuuenum manu scalis primus aggressus incruentus aliquandiu euadere tentabat, non vana spe urbis potiunda. Nam Scanderbegus subter cum magna vi sagittariorum, & scorpionarijs Italicis auertendo à tutela murorum regios, liberiores aditum scandentibus faciebat, ita ut multi iam scalis superatis, mœnibus tantum fortiter apprehensis haberent, & pari cupiditate de urbis possessione decertarent cum regijs. Tormenta quae diximus ab alia parte ad munimentorum molitionem disposita, neque ipsa sinebant quiescere oppidanos, licet enim non magna ruina eos ictus sequeretur, abradebantur tamen assidue muri, & in oculis pugnantium decredebant, rarefebant paulatim, & custodia ipsa, cum eodem tenore ictuum, & murorum perstringerentur, & armatorum corpora contererentur. Sed sauior ab ea parte Mars, & acrior profecto pugna, qua Zacharias cum totius ferme robore exercitus, & nescijs cedere, ac ruentibus in ferrum Germanis, securibus, & ferreis vectibus nouiter refecta mœnia demoliebantur. Hi scutis sociorum, & iunctis cratibus tecti fodiebant fundamenta. Hi lapides demolitos expurgantes in cuniculi speciem reducebant locum, Barbari superne non vsque adeo prohibere poterant, ut obstinate non continuaretur opus. Nam licet plerique ex nostris missilibus de propugnaculis obruerentur, nullo periculi respectu, nullaque formidine, semper alij in demortuorum locum succedebant, & reliqua turma sagittis, scloppisq; intentis aucupabantur vndiq; oculis custodias hostium, ita ut sine discrimine obuersari in muris nequirent. Distrabebant itaque certamen regij, quum opera nostrorum perinde riderent. Nam ea erat muri latitudo confecta à tyranno, congesti praterea intus ab oppidanis lapidum, ac terra aggeres, ut tutus satis ex se locus esset, sine ullo armatorum auxilio. Zacharias aliquandiu in incepto perstitit, sicubi penetrare muros posset, sed ubi frustra exhauriri vires suorum, & longi temporis opus esse cognouit, ad scalas nullo prorsus consilio conuersus, agere & exhor-

Germani nescij cedere.

exhortari cepit in mœnia milites. Barbari nouum hostis propositum inuentus prospectabant, & adhibita ad id ipsum fraude euadere plures ad



summa mœnia periebantur. Tum effusa velut grandine telorum vi, saxorumq; mole, facili impulsu eos cum scalis ipsis ad ima montis deturbabant. Breuissimo namq; ibi aequi loci spatio cincta mœnia erant. Mox reliquum montis procliuus ingens amplectabatur. Idem ferme reliquorum fuit euentus ab alia parte, qua aggressus scalarum applicatione cum socijs Moses, non semel Epirotica signa cruentis mœnibus fixerat. Nam versi eo aspectu in rabiem oppidani, accitoq; recenti praesidio suorum, quod in subsidijs stabat, prater omnem periculi mortisq; respectum, disiectis scalis, ac nostris partim occisis, partim dissipatis, breui temporis momento superiores effecti sunt, ita ut afflicti potius, & penè capti, sic Christiano victoriam extorserint, ut repente mutata omnis fortuna, mutati Dei manifeste viderentur. Scanderbegus acri dolore percussus ex ea cade suorum, vulnere praesertim Moses, quem vix telis hostium subtractum curandum in tentoria misit, retrocedens aliquantulum à muris, & duorum hincinde militum parmis tectus, alios secum ad sagittandum in hostes furenter inuitat, alios recentes arreptis scalis renouare timorem oppidanis iubet, hortatur. Mirabile dictu ferunt, quot hostium ea die solus transfixerit Scanderbegus. Ita nullus ferme iactus manum eius sefellit. Scala nō difficulter mœnibus admotæ, sed rarus iam miles subire eam sortem periculi audebat. Alius ad alium respiciebat, neq; licet ingenti promissione munerum allicerentur à duce) funesta quenquam premia mouebant. Ita se-

Victoria Christianis ex mœnibus extorta.

nescentem paulatim utringque pugnam nox ignavis eque, ac fortibus optata diremit. Tacita per eam noctem castra nostrorum fuere, utpote quos est hesternam ignominiam, et praesens accepta clades ad silentium inuitaret. Amissa nanque ducenta promptissimorum militum capita, quingenti amplius vulnerati, sed est horum 30. paucis post diebus ex eis vulneribus periere. Oppidani (licet est illis plures subtracti ea pugna forent, ac ingens sauciorum numerus gemeret undique) tamen velut victores expulso hoste, ac urbe seruatam, multis iocis clamoribusque eam noctem transigere, ac crebris ignibus superata noctis caligine, per propugnacula discurrentes, hilarem noctem duxere. Ottomanus interea Sfetigradi obsidione audita egreferens, quod quando vix a laboribus respirasset, et dissoluisset exercitum, praesertim quod in ipso ingressu hyemis alienissimum bello gerendo tempus instabat, denuo ad nova arma cogeretur, necessitate tamen quadam, et pudore victus, ne per eam ignominiam opprimi urbes suas ab hoste pateretur, increbrescentibus indies magis magisque nuncijs de Scanderbegi pertinacia, proposito nouo edicto, redintegrare priorem apparatus statuit, et missis per singula loca purpuratis, adiunare rem festinatione, si quo poterat intentius procurauit, vulgata prius fama de suo ipsius reditu in Epirum. Ex composito forsan, ut vim maiorem adderet negotio, et nostros eo timore percussos, facilius ab urbe oppugnanda auerteret. Vix enim simile vero crediderim Tyrannum vltima praesertim confectum senectute, brumali intemperie eam provinciam fuisse subiturum, praecipue quum neque tanti res momenti esset, ut vel si quid durius accideret laesura immodice dignitatem imperij videretur, vel satis commode per alios non possent expediri. Castriotus nihil ex illa cade suorum, et iniquitate fortuna mutatus animo, omnem operam, studium omne, ingeniumque in assidua vexatione oppidi consumebat. Nunc noctu, nunc interdum, deducens sub muris agmina suorum, et ignibus per sublime inter hostes rotatis, consternare aliquo tumultu urbem conabatur. Nunc raro milite misso legere corpora occisorum, et trahere in castra adhibita fraude iubebat, si quo pacto inuitare ad eruptionem oppidanos posset. His inaniter omnibus tentatis, neque vel modice rei fructu villo tam varias artes et astus ducis secuto, finem imponere obsidioni, unica prius pugna tentata fortuna decreuit, quoquo modo res caderet, praesertim quod praeterita oppugnationis euentum, tum vulnus ipsum Moysi, tum noctis interuentus velut excusare videbatur, et melioris spera fortuna sollicitis animis, ac singula ex proprio desiderio interpretantibus suggerere. Postridie igitur eius diei orto iam sole, sub praconis voce per vniuersa castra praeter ipsam urbis direptionem ingentia praemia victoribus publice, priuatimque proposuit, augens verbis rem quam maxime poterat, dolensque

Castriotus  
rursus tentat  
Sfetigradum  
oppugnare,  
sed non succedit.

insuper Epirotici nominis ignominiam, quod tot praclari duces, militesque tantis spectati praelijs ab ignobili seruorum manu, senescere tam diu sub faede amissis manibus faedius cogeretur. Quousque tandem id dedecoris passuros, ut in sua provincia inter tot proprias vrbes, oppida, populosque id praesidium tyranni, nudis tantum manibus clausum, et reliqua spe omni destitutum in oculis diutius habeant? Quid non turpiter commissuros in alienis locis, et longinquis regionibus, quare eum hostem praeforibus stantem, et in visceribus ipsis harentem tollere nequeant? fis dictis, et suo examini exacerbatis, partitis dehinc copijs, ac sexcentis circiter militibus ad castrorum custodiam relictis, urbem ab omni parte, qua accessibilis mons fuit, corona cinxit. Primum telis utringque lacepsit animi, ac inuitati ad sanguinem, deinde vbi satis eo modo utringque velitatum est, et excaudit ira, promptissimus quisque arreptis scalis propius aggredi hostem parat. Semel atque iterum nequicquam tentata re ab oppidanis sunt reiecti, neque admoueri potuerunt scala muris. Sed victus denique pertinacia nostrorum barbaris, quum velut famelici leones non retium, non fraudis alicuius humanae memores, ad ouile diripiendum in ferrum telaque ruerent, paulatim et tanto furori cessit, et deficientibus viribus, telisque ad propugnandum, retractus aliquantulum intra munimenta, satis opportunos iniuria muros reliquit. Epienses (quid non timor insidiarum potest?) qui paulo ante ad cruentissimum Martem mortemque ipsam praeculis oberrantem tanto seruore, rabieque, ac nullo respectu periculi tendebant, vbi frigescere sensim hostium ictus, et mania paulisper deserui conspexere, fraudem verentes, et ex composito latitare grandi aliqua molitione insidiarum credentes, segnius ad omnia discurrunt, et undique solliciti circumspectantes, iam iam obrui certo pauore expectabant. Ita Barbaris respirandi copia, et qua in rem erant, procurandi satis temporis fuit. Accurrentesque ex omni parte socij, multa vi telorum conuecti, restituere eis simul cum animis fortunam sunt visi. Multi in eo concursu hinc inde cecidere, plures tamen ex nostris, et longe plures etiam cecidissent, nisi propere Zacharias ab alia oppidi parte non procul ad motis scalis, interrupta ea victoria, hostium plurimos auocasset. Castriotus cum agmine suorum modo propius ipse terreat oppidanos, modo opera militum et munia cuiusque obeundo agebat, nunc prece, nunc increpatione in muros. Homines sagittariorum turmae, quae in corona modum circum mania locatae fuerant, nunquam assignatum semel locum relinquebant, sed errantes in muris custodias certis iactibus vulnerabant, inualecente semper praelio, et incrudescente Marte. Oppidani vbi rarefcere suorum multitudinem vel numerum, et pertinaciam nostrorum plusquam hominum conspexere, timentes eius diei fortunam, et protrahere rem cupientes, excogitata mox fraude, sublatis ex munimentis signis Tyranni, clamare à mœnibus

Timor insidiarum quid non potest?

Barbari iunantur à socijs.

bus sunt auditi, tantillum cessationem ab armis petentes, donec aliqui Scanderbegum licuisset. Nihil negatum a nostris, iussu ducis, sed extemplo omni belli furore inhibito dicendi copia facta Barbaris. Tum senior quidam ex eis, gratias agens primum Imperatori, militibusq; quod tam liberaliter hostibus in deponendis ex voluntate eorum armis essent obsequenti, illud tunc se tantum ex sociorum consensu eius diei cessationem exposcere dixit a pugna, ut ad quam iam sine variatione omnium inclinauerant animi, de deditiois formula sententiam consultandi id saltem sibi temporis esset. Ituros postea crastina luce ad eum in castra nuncios cum conditionibus quibusdam, quas sibi ipsi imposuissent, si ratas esset habiturus, maximam se rem, neq; tamen inexpectatam, a tanta clementia laturos. Quod si ingrata illi forent, non recusare quicquid ipse statuisset, neq; iudicio se eius subtrahere, sperareq; omnia cum ipso ex utrorumq; commodo acturos. Haud ita facilis ijs postulatis hostium primo Epirensis fuit, sed (ut ipso postea patuit experimento) fraudulentè per eiusmodi ludificationes, differre eius diei fortunam illos ratus ad aliquid, quod ex re sua esset procurandum, vel expectandum auxilium à Tyranno. Exponere tunc quæ vellent, ocyus iussit, aut eodem tenore belli se iure esse acturum. Imperinentia esse, inquiens, tam longa consilia presenti necessitati. Victus tamen longis hostium blanditijs, tum adhortationibus suorum, haud grauate cessit, præsertim, quod nullam satis certam spem potiunda per vim urbis eripi ea dilatione è manibus sibi videbat. Retroacta igitur undique signa, & instrumenta oppugnationis, ac reducta in castra copia, totumq; id diei cum nocte sequenti profundo silentio transactum. Postridie mane quatuor ex Barbaris nota fraudis viri ad id muneris electi, missi ad tentoria cum exquisitissimis donis concesserunt. Conditiones eius generis proponi iussit, quas victus quisque, nedum victor spreuisset, & composito omnia fieri, ut ita protraheretur tempus, dum his abiectis, alia deinceps, aliaq; insinuarentur, & res in longum deduceretur. Hæc autem fuere petita, videlicet, ut prioribus ciuibus receptis in urbe, iura ciuitatis, adificia agriq; æquo iure inter se & illos diuiderentur. Atque ita data simul & retenta urbe, auspicia eius exploso penitus Ottomano nomine secuturos, in fideq; perpetua mansuros fore. Præterea præfecti nomine 10. millia asporum petita, risu solo responsum à nostris, & ad arma subito ingenti undique indignatione conclamatum, atque ita per summam contumeliam cum fallacibus donis fallax legatio dimissa. Non cessauere ideo Barbari, quin eosdem extemplo supplices mitterent, voluntatem ducis sciscitaturos, & ad eius arbitrium omnia relatueros. Tanta commutatio animorum, & hostilis fidei suspecta liberalitas, quanquam illius animum ad nihil temere credendum propensorem facerent, non contemnenda tamen omnino illorum dicta visa sunt Castrioto. Pro-

Necessitas nõ  
sunt consilia  
longiora.

Conditiones  
paciis fucata  
per Barbaros  
propositæ.

to. Proinde conuersus ad homines, de pristinis conditionibus, quas antea integris rebus eorum, illasq; exercitu suo proposuisset obsecris, nihil se immutare dixit. Nimis graues sibi videri debere, quas Sfetigradensibus ipsi tam æquas censuissent, satis hoc illis concessum existimare, quod si approbent, placere, ut sine ulteriori clade urbs restituatur. Sin eiusmodi ambagibus tempus protrahere vellent, & in pertinacia persistere, expectarent quamprimum omnem belli sauitiam, illud fixum, destinatumq; singulis esse, ut obsidioni finem res nulla præterquam mors omnium sit impostura. Dum eunt, ac redeunt, simulant, dissimulantq; Barbari, triduum in eis consultationibus est consumptum, cæpitq; tandem dilucere quod erat. Quare hinc detecta oppidanorum fraudes, & cognita satis mendacia, inde aduolantes iam de motu hostium, & Amurathis aduentu nuncij creduli, eousque ducis animum ingenti molestia replerunt. Deserere oppugnationem, recens contumelia, continuare nouus pauor iniectus à tergo, & maiorum omnium rerum momenta non sinebant. Commoratus est tamen paucis diebus, donec certiora indicia apparatus nunciati elucescerent. Sed velut prohibentibus satis tanta aquarum vis è caelo delapsa, per totos eos dies, ut non solum progrediendi ad mœnia, sed ne pedem quidem mouendi è castris facultas militi sit concessa. Cessantibus pluuijs, Epirensis decreto die subsequenti, oppugnationi urbis, expedire omnia, & apparare maximo consilio iubet, ipseque per eam noctem insomnis, nunc publice quadam & priuatim peragendo munia, nunc verbis nihilo segnioribus homines animando discurrebat, identidem clamitans, vel tota Epiro cedendum hosti, vel nisi capta urbe, in castra non redeundum, deformatum videri imperium, minus tuta omnia si hostis ibi diutius alatur. Et (ut minima esset eius dedecoris, periculiq; ratio) quousque tandem recentes contumelias, & derisiones hostium passuros? Ita paulatim per eas consultationes, procuratio nesq; consumpta nocte, dies instabat. Priusquam igitur certa patuisset lux, tractis undique copijs, Albanus sub mœnibus conuolauit, difficilius irrepsit miles, & infirmiora ubique vestigia virorum, propter humefactam tot imbribus tellurem, instrumenta, scilicetq; dentibus (ut aiunt) tracta. Sed irritati iam pridem viri, pleni irarum, ac furoris, neque difficultatem, neque laborem sentire poterant. Oppidani haud tale quippiam timentes, rariores primum circa munimenta, & negligentiores ad omnia inuenti. Caterum summo studio omnibus statim comparatis, & crebri accurrentes, custodijs auctis ad propellendum hostem satis virium habuere. Minor inde nostrorum ferocia visa, & inspectum propius ferrum, vultusq; hostium, agere consilio quadam, non omnia animo & furore suadebant. Circumspectantes itaque solliciti superstantium ictus altera manu habere, non inania fama mendacia secutum, ita rumor alius ex alio sumptis viribus

Deserere opa-  
pugnationem.

Continuare  
oppugnationem.

Castriotus  
oppugnat  
Sfetigrado  
omnino ten-  
tus.

A contumelijs  
& derisione  
hostium hor-  
tatur.

Consilio res  
agendæ, non  
animo & fu-  
rore.

b bus

bus vix dum ceptum hostilem apparatus oculis fermè ipsis hominum subiecerat, & Tyrannum adhuc Adrianopoli morantem, apud credulos tanto timore animos transuexerat quasi in Epirum. Inuictissimo animo hac duci audita, parere tamen necessitati coactus, confusis omnibus, in-



terruptisq; receptui cecinit. Tertia instabat diei hora, quum pransis militibus tollere tentoria, & vasa colligere iussit, valla, ceteraq; munimenta castrorum disiecta, atque igne immisso succensa. Non abstinuerunt vulgi odia ab arboribus, ceterisq; fructiferis in campis deuastandis, ni Scanderbegus insanam seuitiam cohibuisset, inquiens, non defuturum forsan olim tempus, quum melioribus Dijs recuperari vrbs posset, & ad pristinum statum redigi res. Itaque nullo quasi hostili signo relicto, silenti maxime agmine profectus, recto itinere Croiam petijt. Fama est, Castriotum quingentos amplius milites sub Sfetigrado amisisse, & hac propior vero mihi sententia videtur. Nam non desunt, qui vix 60. hominum iactura abscessisse ab ea obsidione asserant, quod abest multum à ratione, ni magis penetrabilia hostium, quam nostrorum corpora dixerimus (vt delirant Poëta) quum priori oppugnatione nuper tot Turcarum milia cesa omnes fateantur. Septimo kalend. Nouembres is dies erat, quum obsidione omissa Croiam reuectus exercitus est. Ibi non momento fermè temporis quieti dato, duces, ordinesq; (vt operapretium erat) & poscere nunciata res videbantur, partiti, Croiaq; inutili omni atate, sexuq; expurgata, duo paulominus hominum millia presidio eius imposita,

sita, Epirota, Itali, Germani, Illyrici, Galli q; permixtim. Concordibus tamen supra quam dici possit, iuncti animis, vt euentus postea ipse, & ingens seruat a vrbis triumphus ostendit. Vranaconti (vt consueuerat) summa rerum omnium in ciuitate, atque imperij ius miro omnium consensu datum. Vix alter ex vniuerso exercitu, vel ad id numeris aptior, vel animis militum acceptior eligi poterat. Ita quum maximi inter pericula consilij erat, tum parere, atque imperare iuxta paratus, laudemq; potius conferre in medium solitus, quam ex communi ad se trahere. Generis praterea nobilitas ipsa, tum res per omnem atatem gesta, ac grauitas oris, annorumq;, magis honorabilem vulgo faciebant. Qui si quid laboris, vigiliarumq; impendi posset, certantem se amissurum promissit, vt tanto totius exercitus consensu opinionem de se conceptam constantem efficiat. Stelusio, Petraalba, atque ceteris locis opportunis, alia deinceps presidia, ducesq; missi, & vndique ingens oppidanorum multitudo ad frumentandum, & annonam conuehendam destinata. Sed quia propter assidua belli incommoda, & occupationes armorum neglecta velut eo anno cultura agrorum fuerat à Scanderbeganis, vix trium mensium alimenta colligi inde potuere. Aduectum tamen occulte ferunt à colonis, & mercatoribus Venetis, nam ictum fœdus per eos annos à patribus cum Ottomano fuerat. Ego vero adiutum semper pecunia Scanderbegum ipsa voluntate Senatus comperio. Et ipsum fermè quoad vixit, Venetis auspicijs militasse, gloriamq; bellorum, & triumphos omnes ad eam Rempublicam retulisse. Neque immerito me equidem, quando & ciuitate ab eis donatum, & imperij fascibus in ea prouincia decoratum, satis recentibus monumentis constat, vt quarto enarrauimus libro. Quamobrem hoc loco, in quam prius ipse admirationem incidi, plurimos fore dubito casuros, vnde hac Venetis pax cum Ottomano Scanderbego excluso, quum socialia prius sibi fœdera, & tot amicitia iura cum eo forent. Sed quis tam prudentissimorum principum consilia non auferit intrepide coniectare? Nihil cupide, nihil perperam ab eis fieri potuit. Simulabant, dissimulabantq;, necessitati parentes, & quum reliqui nominis Christiani, tum Graciae praecipue seruanda studio, quam ita in se ipsam ruere cernebant, vt sustentari iam nulla vi humana, nullis armis posset, id effecisse videntur. Vnum illud (quod ad rem attinet) affirmare ipse audacter singulis possum, Castriotum nunquam vel de fide Veneta conquestum, vel imperij eorum penituisse. Comportato hincinde frumento, Croia horrea omnia, ac publica armaria completa facta computatione, vt integri anni alimenta satis commode parata essent militi, tormenta iuxta, ac omnis generis tela aucta, ampliataq;, custodiarum maior pars scloppis, scorpionibusq; instructa. Machinarum cura à Gallis

Laus Vranacontis.

A fauore militum.

A dexteritate consiliorum.

A nobilitate generis.

A praclaris gestis.

Venetorum pecunia adiutus Scanderbegus.

Auferit, à verbo audeo.

non translata, his semper tam pacis, quam belli tempore, quinque aurei mensura stipendia singulis à Scanderbego statuta. Croiensium rebus firmatis, reliquum quod superfuerat commeatum exportari per cetera oppida, et partiri iussit. Ipse priusquam ad noui militis acquisitionem, quem de more secum ad lacessenda interdum hostium castra haberet, se conuertisset, cum Mose, et paucis equitibus, ad copias iam pridem prouincia presidio relictas ire perrexit, causa inuisendi cuncta, et decernendi spectatores ad rimanda consilia Ottomanorum, et examusim singula disquirenda. Non frigus, non glacies, non operta niue tellus solertissimi Ducis ardorem tardabat, non magnitudo expensorum terrebat, non itinerum labores, dum latior semper munia obiret, subiretque omnia, modo hanc, modo illam urbem inuisens, modo pastoralis amictus sagulo sub mœnibus Sfetigradi peragens, et veteris stratagematis non immemor, locato in insidijs milite, obseruans, si vi extorquere, aut dolo surripere Ottomanorum urbem (ut olim fecerat) posset. Quare vix respirare unquam oppidani poterant, sed velut obsessi, pedem extra mœnia non mouentes, de assuetis diurnis, nocturnisque custodijs nihil intermittebat. Interim reuersi exploratores supersestum in delectu habendo, nunciarunt, dilatamque iram armorum à Tyranno, ac bellum Epiroticum omne in vernum tempus reiectum. Vt primum enim audiuit Amurathes Sfetigradi obsidionem solutam, non inuitus per eos dies tanto nuper ardore ceptum apparatus, paulisper remisit, edicto mutato, ac publica inuisione nouo interposito decreto, ut Idibus Martijs omnes ordines, ducesque ad id designati, Adrianopolim conuenirent. Occultare profectio-nem suam in Epirum, et Croia obsidionem subterfere maiorem in modum cupiebat. Sed adeo veris indicijs patebat res, ut singuli eo bello Scanderbegum sibi hostem certissimis animis destinassent. Respirauere aliquantulum, et cogitationes nostrorum, Tyranni proposito audito, presidiumque ibi mox dimidiatum, ac vix duo hominum millia relicta ad regionis limites, qui constructis militariter stationibus, hyemalem intemperiem ut poterant excludere, ceteri domos remisit. Scanderbegus Croiam cum Mose, et quibusdam suorum reuersus, aliquot dies ibi mansit, donec munimenta quadam urbis augeri, et firmari muros Tyrannam versus, longa peregrinos vetustate procurasset. Tum impatientissimus (ut semper erat) oculis, nunc ad regulos vicinos, et principes consanguineos, nunc ad praesides Venetorum gregali habitu cum decem ad summum equitibus conuolans, imminentis molem belli admonendo simul, et animando homines singulorum animis inculcabat. Sed maiorem ferme partem eius hyemis sub pellibus cum presidio illo in Macedonia vestibulis transiegit. Sfetigradenses vix pro portis errantes visi, sollicitos nanque supra

Amurathes  
audita solu-  
tione obsidio-  
nis Sfetigra-  
di, & Scander-  
begi discessu,  
aduentum su-  
um in Epirum  
differit.

quam dici possit, faciebat, et augebat timorem viris ipsa hostilium castrorum propinquitas. Quum paulo plus 120. stadijs nostrorum statua inde abessent. Exactis ita hyemis incommodis, inquietiora longe omnia, et publicos simul ac priuatos labores, malaque exoriens ver aduexit, non nox, non dies ullus sine nuncijs, literisque, Castris praterijt. Hinc transfuga indies confluentes, inde non obliti veteris necessitudinis, Barbari quidam non obscuris indicijs consilia Tyranni insinuantes duci, et solertiam eius in omnibus agendis magis acuebant, et ceteris pro cuiusque ingenio tum pauorem, tum ardorem excitabant. Sed quia urbibus iam pridem affatim prouisum, neque reuocatum quicquam fuerat, modica restabat ceterorum cura, solum ut species aliqua exercitus conficeretur ad urgendos, quum res ferret, nunc montanis, nunc campestribus locis hostes, et disturbendam, ut toties feliciter Sfetigradeni obsidione fuerat tentatum, Croiensem olim oppugnationem. Moses tunc tantum ex primoribus, Tanusius, et Strefius aderant Scanderbego, nam ceteri alijs necessitatibus adducti, diuisique per oppida fuerant. Hos celeriter hinc inde ad militum acquisitionem dimisit, sed quia exhausta velut robore virorum prouincia erat, et omnis ferme flos iuuentutis per ciuitates, et alia loca transfusus, plurimi dies in eo apparatu abiere. Hinc sefunt Scanderbegum (ut maioribus ubique presidijs firmaret prouinciam) plures eo bello subditos Venetorum, et ex proxima Dalmatia aliquos stipendijs suis conductos habuisse. Noni et ipse multos ciues meos, qui varijs temporibus illius auspicijs meruerunt, et vel eo solo nomine ingentia fama decora ad posterum tulere. Ottomanus interea congregata ad praestitutum tempus maiori parte copiarum (nam et multa adhuc millia deerant ad conficiendam veteris exercitus formam) prout quosque vel longinquitas locorum, vel viarum incommoda tardauerant, dum integer apparatus compleretur, in ceteris, quae ad rem tantam necessaria videbantur, procurandis, id temporis impendit in commeatu praesertim conuehendo, licet maior pars militum priuatim multorum dierum cibaria ferre iussi, quum satis crederetur hostem ad id, quod nihil triticeae messis in campis esset relicturus, pabulum quoque ac herbam ipsam attriturum, corrupturumque. Quamprimum eorum aduentum cognouisset, instrumenta ad oppugnationem penè infinita varij generis preparata, inter haec multa rustica ferramenta, vectiumque ferreorum ingens numerus simul et laminae quadam ferrea incuruæ ad cuniculos (ut postea patuit) excauandos. Nam insidiari eo rationis modo satis commode posse inexpugnabili alioquin urbi, persuasum fuerat Tyranno. Machinae quoque minores, quae vehi iumentis potuerunt, multa comparata, ad tormenta maiora conslandanda rude assumptum. Omnibus satis comparatis, et copijs iam certo numero perfectis, 160. pu-

Scanderbegi  
consiliarij Mo-  
ses, Tanusius  
& Strefius.

Amurathis eo  
placoguntur  
ad obsidionem  
Croiae.

gnatorum millia fuisse omnes conueniunt, præter institores, operarios, ac omnis generis artifices, fabrosq̄, qui tum publico regis stipendio, tum priuatim lucri cupiditate ea castra secuti dicuntur, quum longiorem Croia obsidionem fore, & moram in Epiro omnes crederent futuram protensionem. Nam quoniam de urbis munimentis inexpugnabiliq̄ illius situ vulgo plura iactabantur, statuerat Amurathes, nisi capta ea, Adrianopolim non reuersurum. Nonæ Apriles erant, quum paratis cunctis ad profectiorem, antesignani, præcursores non minus usitato, sed non sic Latino vo-

Antesignani  
Præcursores.



cabulo dicimus, cum Sebalia Zeureneseo perito militia viro, in Macedoniam missi, qua tempestate Castriotus confecto ex animi sententia milite, ac custodijs per saltus omnes atq̄ iuga montium dispositis, reuocato insuper presidio à finibus hostium, simulq̄ unitis ordinibus, octona autem solummodo hominum millia fuisse comperio, duo peditum, reliqua equitum, nunc hac, nunc illac procurans, pariter & perlustrans omnia oberrabat. Maiorem armorum numerum ea obsidione Castriotum non habuisse singuli attestantur, vel propter penuriam militis (ut nuper dictum est) quum dispensari tot locis presidia opportuerit, vel forte (ut mea fert opinio) ludificandi paulatim hostis melior ratio visa, ac seruandarum virium ad alias necessitates, & varios euentus fortuna, quum in visceribus ipsis, & umbilico prouinciae gereretur bellum, contentioq̄ de totius imperij, & omni rerum summa agi videretur. Triduo tamen antequam irrupissent in prouinciam Barbari, Epirēsis peregritans agros & campos omnes, quicquid sati alicubi fuit, immisso partim milite contriuit, partim ferro igniq̄ corrupit.

rupit. Deinde crebris nuncijs de propinquitate hostis admonitus, cum omnibus copijs campestribus locis relictis, in montem, Tumenisto nomen est, quatuor millibus passuum procul à Croia, se recepit, capturus ex tēporis & rerū ratione consiliū. Equitatus itaq̄ Tyrāni nullo inuento obstaculo ingressus prouinciam, in agrum Croiensem, nullo negotio integer illatus est, ubiq̄ singulis circum urbem diligenter inspectis, qua tutius castrametari posset, & commodior esset futura oppugnatio murorum, in Tyrannam ipse copijs expositis tentoria fixit. Planicies est satis ampla, aspectuq̄ pulcherrima, ad messem tamen, quam ad reliquam frugem aptior, interiaccens inter ipsam urbem Croia, & oppidum Parthinorum. Caterum, hoc in loco plura sanè me admonere videntur, ut aliquid de eius oppidi primordijs, veteriq̄ fortuna in medium afferam. Illud verò præcipue, quod & scriptorum monumentis celebratum, non ignotum, nec latitat posteritatem. Ante enim ciuilia Caesaris & Pompei bella, fuisse satis honesto numero in prouincia id oppidum, licet animaduertere, & ruina adhuc ipsa, ac singularum rerum vestigia, prisca status decorem, ac veterem nobilitatem loci non obscure representare valent. Expugnatum nanque, & dirutum à Casare ferunt, quum Pompeium atque Senatum Romanum in urbe Dyrrbachina obsidisset. Iacuit autem semper in ea ruina, neq̄ restituti vlla deinde ætate aliqua dilucere indicia, nisi qua priuata incolentium studia ad varias necessitates succedentibus animis renouarunt. Nomen aliud loco neq̄ inditum, neq̄ usurpatum comperio, aequè nec vllum certum conditorem affert in medium vetustas. Sed non temere ad eosdem & condendi originem transtulerimus, id quod tum nomen ipsum suadet, tum attestantur antiqui, dum non inter ignobiles populos Epiri, Parthinorum gentem cernimus annumerari. Præsam nunc incola mutato vocabulo appellant, tam intus reliquia ipsa murorum, quam extra suburbia, & loci omnes in numero habitatorum tenentur, ita amœnitate præcipua, & rerum omnium commodis gaudet locus. Bellicosissima ea gens hodie inter ceteros Epirotici generis populos computatur. Tamen tunc propter famam hostilis aduentus ætas omnis cum suppellectili in tutiora oppida translata, nudaq̄ ferme tellus relictæ. Locato commode milite Sebalias, ac omnibus maximo consilio ad quantamcunque vim hostis contemnendam ordinatis, obseruabat tantum oppidanos intercluso aditu portarum, ne quid presidij, commatusie afferretur in urbem, in ceteris vix aliquod signum hostium apparebat. Hoc autem idcirco (ut arbitror) quoniam neque laceffendi ad pugnam inclusos, vel admouendi mœnibus agmina suorum illi sanum consilium visum, quum præter hastas, gladiosq̄, nullum reliquum armorum genus aptum ad oppugnationem secum attulissent, neque deuastandi agri, & procurfandi prouinciam edoctum satis aliorum tum veteribus, tum

Tumenistis  
mons quatuor  
or millibus  
passuum à  
Croia.

Parthinorum  
gens inter no-  
biles populos  
Epiri habetur.

nonis



nouis casibus vlla animum libido incesit. Quum & Tyrannus praesertim eadem ipsa proficiscenti iussisset, prohibuissetq;, ne summa urgeret necessitas, vllam vsquam copiam dimicandi dari hosti, haud absimilis quidem ratio nostrorum quoque animos auertit à pugna, & differre omnia auspicia belli in aduentum ipsum regis coëgit. Nam quum Scanderbegus cum parte militum ad exploranda consilia Barbari, & contemplanda statiuia perrexisset, vt si alicunde daretur, impetum in ea faceret, videns tum copiarum magnitudinem (quadraginta nanque millia vt anno priore venerant) tum miram ducis prudentiam in castris situãdis, reliquisq; agendis, re nulla penitus tentata, quum etiam aduentum ipsum Tyranni formidaret à tergo, quo maximo potuit silentio, in stationes se recepit suas, moraturus ibi, donec Amurathes ipse omnem explicauisset apparatus, & consedisset sub muris, tum dispersa late tentoria, & inordinatam (vt fit) multitudinem commodius impeti posse, & quotidiana irruptione hostes lacefciri, praesertim quum oppugnatione vrbis incepta, totius ferme robur exercitus diuersis ministerijs occupatum magis opportuna iniuria propria munimenta reliquisset. Inter eas deliberationes, & salubria nostrorum consilia aduentare iam indies regia copia cœperunt, & oppleri circunquaque armatis omnia. Tyrannus cum nobilissimis quibusque et robore virorum, praemissas copias in exitu ipso Aprilis est consecutus. Inter praecursorum & Ottomanorum aduentum 20. paulominus dies intercessere. Sed non debet id quempiam mouere, nam tum propter varia exercitus onera, & impedimenta militaria, tum ob ipsam principis iam senescentis commoditatem, vix quina milia singulis diebus fuere confecta. Expositis ordinibus Barbari, ac in corona modum circumdata vrbe, locum omnem, camposq; muris subiacentes tentorijs operuerunt. Multi quinquaginta stadijs amplius procul à mœnibus consedere, dum tanta multitudo locari aliter nō posset. Potuit id spectaculum fortissimi cuiusq;, vel Imperatoris, vel militis animum mouere, & non irrationabilis me equidem formido proprii periculi, contemplatione oblata patriæ, penatum, Deorum, fidei, & honesti totius rationem à cuiusuis pectore extenuare potuisset. Erecto tamen supra hominem spiritu, oppidanus nihil tam formidolosa spectaculi pompa de veteri cogitatione mutatus, vel maiorem etiam inde pertinaciæ fideiq; constantiam ad conceptum iam pridem decus, & libertatem tuendam suscepit, metiens gloria sua magnitudinem, & futuri speciem triumphi ex ipsa periculi vastitate compensans. Quare ingenti latitia, & cōtentione quadam effusi per mœnia milites, alter alterius in peragendis omnibus, & apparandis ad pugnam non ita sedulam operam carpebant, per noctemq; ignibus accensis, clamoribus, cantuq;, vario contemptum hostis ostentabant. Catera quoq; Epiri vrbes, ac provincia oppida, multum de solito timore

Ottomani ad  
uentus in Epi-  
rum.

Milia, hoc est,  
miliaria.

Obfidetur  
Croia à Tur-  
cæ.

more abiecerant, neque vel auditus, vel visus Ottomanus tantum (vt olim apud Albanos) vel nominis, vel virium afferre visus est, quum assueuissent iam malis homines, & contemptores periculorum assiduitas ipsa fecisset periclitandi. Quatriduum in aptandis & mutandis hincinde statiuis hostis consumpsit. His ordinatis, concursus ad pratorium Tyranni factus, poscentium copiam pugnandi. Nihil concessum per eam diem, retentiq; intra munimenta sunt, seuerissimo decreto. Nam & Scanderbegi insuetam ocium augebat prater modum curam senis, ne magnum quippiam interea solitus artifex coqueret. Mane quodsecutum est, duo nuncij ad

Amurathes  
per legatos pe-  
tit vrbe Cro-  
iam.



Vranaco tem cum ijs mandatis missi, vt si tradere urbem sibi vellet, libera illi esset cum praesidio & rebus omnibus facultas abeundi. Ad hac bis centena Asprorum millia addita, & insignis ei locus (si velit) inter purpuratos principis promissus. Cateris quoq; Croiensibus ne imperium eius fastidirent, omnia que vel ad pristinam libertatem, vel maiora etiam commoda attineant, abunde sunt promissa. Cum his mandatis viri recto ad portam itinere pergunt, qua vnica tantum eo loci est in vrbe, nam circum reliqua ciuitatis latera, præruptus, atq; inaccessus mons est. Accitus igitur à custodijs praefectus, cum insigni comitatu ad eam portam venit, postulantiq; colloquium regijs, oppidum quidem intrare non concessum, sed propius accedere iussis, ita vt commode inuicem se exaudiri possent, dicere quæ vellent illos admonuit. Verum accidit, vt primo congressu vix auditi, & infecta re discedere sint coacti, interrupta plena libertatis, atq; egregij spiritus Vranacois voce, conclamatum vno ore undiq; ab armatis, ferro, non verbis respondendum hosti, neque conuictis, & probris quibusdam (vt solet)

Machinae bel-  
licae conflan-  
tur.

Barbari ad  
pugnam con-  
tra oppida-  
nos sese ac-  
cingunt.

Mahumethis  
fedulitas &  
solertia.

Dispar ratio  
Croientium &  
obfidantium  
Turcarum.

solet) libido militaris abstinuit. Ea ubi narrata Ottomano, veterem ma-  
gis indignationem recenti iniuria exagitarunt. Quamobrem ea spe desti-  
tutus, ordine ad ministeria oppugnationis conuersus, primo omnium ex-  
pediri massas illas infecti aris, & ex illis conflare machinas iussit. Longum  
id opus fuit, quindecim amplius dierum spacio, decem conferta dispari ali-  
quantulum magnitudine, quatuor aequales, quae sexcentarum amplius li-  
brarum pondo saxa iaciebant, reliqua ducentarum, harum quatuor cum  
duabus maioribus locata, qua mœnia Tyrannam versus Orientem spe-  
ctant. Alia qua porta locus est, opposita urbi: nam ab his partibus tantum  
potiundi per ruinam murorum oppidi spes suberat, quum magis accessa ea  
loca, & opere hominis constructa munimenta, ac manu facta paterent, quae  
licet fortissima essent, nihil tamen dubitabatur ea vi tormentorum aqua-  
ri solo posse. Reliqua ciuitatis propugnacula ita insigni natura munimen-  
to undique monte cinguntur, ut satis sine ullo mortalium artificio, con-  
temnere quantumcunque hostis pertinaciam possint. Itaque coronat tan-  
tum murorum per summitatem ibi apparet, ornandi magis quam muni-  
endi causa appositae olim à conditoribus loci. His tormentis apparatus, &  
super rotarum uehicularum, quo commodius obiq; ueherentur, qua-  
triduo integro, priusquam cominus ductis agminibus sub muris manus  
confereretur cum oppidanis, ad concutienda ab illis duobus lateribus mœ-  
nia, opera omnis exposita est, offensumq; maxime utrobique urbi, ac disse-  
cta fœde munimenta, abrasaq; ferme dimidia murorum pars. Cetera ita  
quassata, ut facili impulsu lapsura apparerent. Creuit praeter modum spes  
Barbaris, ubi factum eum aditum intrandi oppidi aspexere. Quare cre-  
bri apparare scalas, reliquasq; machinas ad proximam murorum oppu-  
gnationem, tam publico, quam priuato studio aduehi hinc inde trabes, ex-  
cursare latos per statua milites uidisses, construiq; varijs modis omnis ge-  
neris artificia. Singula ferme tentoria, singulos apparatus velut emula-  
tione quadam depromebant, dum quisq; tacita contentione primus mura-  
lem coronam sibi habere cupit. Purpurati quoq; regis multa priuatim im-  
pendere, ut animum Amurathis praeruerent. Mahumetes inter ceteros  
praecipua ingenij solertia, atque indefesso studio, velut vnus ex gregarijs  
militibus, semper aderat patri, ac regij decoris oblitus, non vigilijs, non la-  
boribus parcens obibat ipse, peragebat omnia, sedulus nunc hac, nunc illac  
pererrans, verbis pariter & exemplo animabat viros. Proposuisse ferunt  
& ipsum praeter cetera à patre publice promissa, centena Asprorum millia  
ei, qui primus euadens in urbem, Ottomana signa fixisset. Oppidanorum  
animos sicut dispar omnino ratio, ita dispari effectu acuebat: illi cupidita-  
te tantum praeda, & gloriae libidine eos inanes timidosq; spiritus iudue-  
rant, segnius idcirco petaturi, id quod nunquam possedissent, hi ad id, quod  
honestissi-

honestissima quaeque sibi apud Scanderbegum non erant defutura, impe-  
rij, patria, sociorum, totius denique Epirotici nominis salutem in manibus  
suis positam cernentes, nedum incredibili ad omnia pertinacia, sed furo-  
re quodam, ac rabie accendebantur. Exin licet deformata & diruta ab eis  
partibus mœnia aspectu ipso, ac forma spectaculi, dolorem incuterent si-  
mul & pauorem hominibus, praeualebat tamen animi magnitudo in vi-  
uidis pectoribus, proculq; fugabat facile ex cuiusq; ingenio ignauiam mœ-  
stitiam. Solabantur se inuicem viri, animosq; vicissim acuebant, & inter  
ceteros medius vadens per turmas Vranacotes, dexteras suorum, ferra-  
taq; pectora pertractans: haec sunt, dicebat, urbium munimenta, haec in-  
confracta murorum propugnacula, hi immoti lapides, hoc firmissimum ce-  
menti genus. Quid decoris, quid laudis, quem triumphus inde speraremus,  
si illesis his, integrisq; tecti à munimentis magis ab illis ipsi defenderemur,  
quam ea nos defenderemus? Scilicet & ignaui ita pugnare sciunt, & peco-  
rum armenta luporum fremitum contemnunt, si tuto occludantur ouili.  
Sed murorum ea non hominum laus, urbem Castriotus nobis, non nos ur-  
bi commisit, periculis assueti virtus est, in difficilibus educata. Quis nō bo-  
nus nauta tranquillo mari? Quae firma sunt, per se manent, nullamq; opem  
humanam, nullam ferociam nostram quarunt. Proinde fugiunt ea viri  
fortes, ex quibus vel seruatis, vel non seruatis, par sequi solet laudis fru-  
ctus, inclinata cupiunt sustentari, eo properat virtus. Iterum repeto mili-  
tes, ibi splendor animorum, ibi praclari elucescunt spiritus. Quare nudata  
ab hoste latera, armata dextera tegat. Fortium virorum corpora pro  
ignauis munimentis opponantur. Integris mœnibus pugnaturi ex summi-  
tate murorum feminarijs more eratis, nunc prostratis aliquantulum, aequi-  
ori descendentes loco, cominus ferietis hostem, melius furorem omnem,  
iramq; exaturabitis. Accipiam ipse quoque certiora tum publica, tam pri-  
uata virtutis vestrae experimenta. Adiuvat tamen & nunc pulcherrime  
vos locus ipse, & vix aliqua praesenti ruina murorum, de pristina spe bene-  
gerendi detractum videtur, si accuratius inspexerimus. Nam dorsum hoc  
montis quamuis non ita in sublime erigatur, sicut ab alijs partibus, non-  
ne satis ad onerandos hostes, & eludendam vim omnem idoneum vide-  
tur? Procliuitas quoque hosti infestissima, nonne vires vobis indefessas  
seruabit, suggeret, & concitabit tela? Exoptandum itaque potius istud no-  
bis erat, si eadem hostium ex hac obsidione cupimus, si gloriam insurgem ex  
hoc bello, ac perennes in omnem aetatem titulos animo complexi sumus. In-  
uitabit namq; hac apertura murorum Barbaros, alliciet ad ascendendum  
armatos, subibunt plures longe, quam mœnibus integris forent subituri,  
tot nullo certe negotio undique cadent, quot petierimus ipsi, ni compressis  
vos manibus sedere malueritis. Restaurabunt vobis disiecta munimenta cor-  
porum

Adhortatio  
Vranacotis  
urbis praefi-  
cti ad Croien-  
ses.

Urbs ciuitatis  
commissa no-  
ciuitas urbi.

Periculis af-  
flicta virtus.

porum suorum aceruis, si viri eritis, si memores libertatis, quid ad victoriam, quid ad memorabilem hostium stragem obstat, duces ac milites fortissimi, hac tantum urbis latera impeti ab hoste possunt. Cetera omnia extra periculum posita, vim nullam humanam reformidant, hic tantum labor, hoc opus vobis relictum, omnes hic eritis. Virtus, animi, conatusque singulorum hic aderunt. Quid facietis tot duces, tot fortissimorum militum capita, longe plurimi defensores pro paucitate custodiarum sumus, agendum igitur ita, enitendum. Croienses vero unica tantum pugna et vires contundamus Tyranni, et animum illius frangamus. Relinquet urbem, deseret aduersis Dijs ceptam obsidionem, ubi prima belli auspicia tanto suorum cruore tincta conspiciet. Hac nunc Albana ipse, et Italica exprimens lingua, nunc per interpretes suorum animos ad futuram postredie oppugnationem preparabat, atque dictis simul factisque, alliciens homines ad peragenda sedulo omnia, et difficilima quaeque, obeunda inuitabat. Ita hincinde varijs operibus distinctis militibus, dum ex illius aspectu ad singula magis exequenda accenduntur, nox aduenit. Neque tamen usque ad secundam vigiliam praefecti solertia ab eo tenore apparandorum cessauit, quod superfuit quieti indultum. Barbari expeditis per diem omnibus, nocte usque tranquillissima sunt usque ad aurora aduentum. Nam pridie inclinato iam sole, decreta urbis oppugnatione sub praconis voce omnibus clare mandatum fuerat, ut ante secundam diei horam curatis corporibus, certi duces ordinesque instructi ad praetorium Tyranni adessent. Quare festini undique dicto parentes milites, ante praestitutum a principe tempus, habita corporum, et reliqui apparatus ratione, ad stationem eius expeditissimi conuolauerunt. Accersiti ibi nobilissimi quique, et corona de more facta, oratio Amurathis plusquam pro viribus, et exhausto iam senectute ingenio ardens audita, neque Mahumetes lingua eque, ac manu promptus adolescens silentium tenuit, sed patris sermone vix completo, furenti simillimus assurgens, ita est praeter priuata aduersus Epirotas odia in Christianum nomen inuectus, ut velut alter olim Annibal Romanis exortus, nobis insensissimus hostis videretur. Ceteri quoque duces priuatim milites quisque suos usque ad satietatem adhortati sunt. Quinta agebatur diei hora, quum perfectis omnibus, et pranso per quietem rege, mouere e castris, satis incommodum tempus ad pugnandum, estiuis praesertim ardoribus videri poterat. Sed ideo forsitan opportunior ea hora principi visa, ne si per noctem, vel incerto die recessisset e castris ipse, commodior relinqueretur infestandi munimenta occasio Scanderbegi, licet neque sic eum fefellerit timor. Dato (ut diximus) signo, vno omnes impetu, maximo tubarum clangore, hominumque clamoribus egressi, mœnibus succedebant, et iam cepta erat dimicatio a primis, quum subito tumultu repleta omnia, ac trepidatio ingens per uniuersa castra

Decreta urbis  
oppugnatione.

Adhortatio  
Amurathis  
Mahumetis  
ad suos.

castra exorta. Irruperat namque Castriotus cum expedito suorum agmine in extrema quadam tentoria hostium. Quum diu intentus Tyranni

Castriotus ir-  
rupit in ca-  
stra Turca.



confilia obseruasset, stationaryj eo loci constitui, primum impetum nostrorum satis audacter exceperant: sed ubi pluribus amissis impares se eis viribus nouerant, hincinde dissipati iam custodias omnes, et stationes eo timore reliquissent, ni proximi quique undique accurrentes, restituta pugna, fugiendi pudorem iniecissent hominibus. Nostri nihil gradu turbati victoriam sequentes, in obnixos infestius tela acrius ferrum strinxerunt, et sexcentis amplius occisis, ac pulsus ab una parte loco hostibus, tentoria bina diripuerunt, militaribus aliquot signis, ac ornamentis omnibus ablatis. Ita rumor alius ex alio (ut fit) dum certatim socij, qui manserant in castris ad id incendium extinguendum peruolarent, ad Ottomanum explicantem sub muris copias allatus. Senex, et si procurasset multa antea, ac fideret viribus eorum, qui relictis fuerant in castris, conuersus tamen anxio animo, utpote qui nihil obstaturum efferat a belua diceret, Seremetum unum ex praefectis suis cum quatuor armatorum millibus obuiam nostris misit. Mahumetes quoque ardens iam pridem odio hominis maxime reclamante patre, cum assuetis custodibus corporis sui est profectus. Sed priusquam fermè hi mouissent, Epirensis impar tot aduentantium numero conuersis signis consuluerat sibi et suis. Ceterum solus Scanderbegus ardore illo dimicandi suimet oblitus, mox (ut aiunt) ac inter confertissimos praeterlatus hostes, dum oclusos undique aditus vix penetrare potest, fermè oppressus est, praesertim quod equum pariter ipsumque destituerant

Rumor de ir-  
ruptione Ca-  
strioti affer-  
tur Ottoman-  
no.

Scanderbegus  
vix euadit.

vires. Quamobrem agre à multis undique in illum ruentibus se subtraxit. Barbari fugientem secuti sunt, dum spes aliqua capiendi fuit. Ita exercitus ex una parte, dux ex alia, felici fuga ex insequentium oculis evanescere. Reuocatus igitur in castra miles, & Mahumetes cum suis maestissimus ad patrem reuersus, quod ita per summam castrorum deformationem delusus fuisset ab hoste, pollicitus tamen publice est (si oporteat) sese vel integros menses, dies, noctesq; vigilaturum, donec tandem instructis ad id ipsum insidijs eam beluam capiat. Non animum, non consilium deficere sibi, neque defuturam fortunam, si ille in ea temeritate inuadendi munimenta persistat. Scanderbegus ubi tutam iam terga ab hoste vidit, deflexo itinere ad suos pergit ire, qui solliciti de eo, nunc hac, nunc illac pererrantes, ac mittentes in omnes partes milites, perlustrabant singula oculis sicubi eum conspicerent. Et multi non sine lachrymis tam longum hominis desiderium perferrebant. Iam inde viduam rem Albanam, orbatum Epiroticum imperium, hominem propè diuinum à Barbaris tam crudeliter necatum dolentes. Quare insperatus fermè eius aduentus, tantum publice, priuatèq; latitiae attulit, ut prater gaudia vulgi, cantusq; varios, multi persolvere vota sint visi, quibus salutem eius petitam à Dijs se impetrasse credebant. Scutum viri ita perfractū attritumq; ferro erat, ut vix forma remaneret. Corpus tamen illud omnino, inuiolatumq; minuit aliquantulum hoc loco facti magnitudo fidem. Ego vero haud grauate permiserim istud persuaderi mihi, quandoquidem (ut nulla fuerit fortitudo viri, nulla armorum peritia) pleraque vel maiora alia, casus, ne dixerim Deus, potest efficere: sed illud magis fortasse dubiam hanc rem facit, quod in omni acta vita, & rebus ab eo gestis, nunquā tam imprudenter Scanderbegum solum lapsum inuenio, ubi locus aliquis consilio fuerit. Ni concesserimus aliquando (ut faciunt Poëta) furentes quosdam impetus fortibus viris & Martis feruorem, ac bellicos spiritus semel indutos exui illorum arbitrio minime posse, quippe quum in gladio stringendo non omnino consilium absit, strictum tamen solus furor agit. Sic Horatij Coclitis apud Romanos animi praestantia, Porfena exercitum vniuersum, dum ponè demolitur pons, sustinuit. Et apud Gracos, Lacedaemonius Leonides cum paucis, Xersis innumerabiles copias apud Thermopylas remorari non dubitauit. Ceterum eo in conflictu ex nostris parua iactura fuit, vix decem, vulneratorum par numerus (ut aiunt) interiëre. Nam peditatu omni, & infirmiori parte equitatus in statuis relicta, cum quinque expeditissimorum equitum millibus in castra Barbari irrupit Castriotus, qui ad fugam aequè ac pugnam prompti, facile iniuriam omnem hostilem euasere. Inuento Duce, nostri lati continuantes iter, celerrime ad socios se recepere. Non tamen vllum satis efficax gaudium, vel festina recens Scanderbeago victo-

Lapsum Scanderbegi.

Horatius Cocles.

victoria erat. Iacebat animus alta mole curarum, & malorum imagine confusus, donec aliquem eius diei Croiensis fortuna nuncium habuisset. Nam licet satis nota tum praefecti, tum praesidij virtus, & fides, urbis praeterea inexpugnabilis situs, & habitus loci sollicitudinem eius leuarent, tamen nunc tanta rei momentum, & periculi magnitudo, nunc patria (ut fit) inexhaustus amor, vel inuitum timere cogebant, & sedula interpretatio multa inania quoque sibi ipsi subijciebat. Amurathes caeptam oppugnationem, quamuis propter motus illos castrorum non interpellasset omnino, tardauerat tamen quosdam apparatus, & cetera, quibus certius uehitur militi periculum, donec euentum eius certaminis audisset. Quo cognito (ut supra meminimus) tum postremos quosque agens in hostem, & singula opera, exponi sub muris iussit. Ante omnia sagittarij, & alij id genus leuis armatura milites, qui emittere tela in superstantes poterant, passim fuerant circumfusi, tormenta minora non longe disposita. Cetera viliora capita vulgi subiecta primo furori hostium, scalas, & alia deinceps trahabant per montem. Hos promptissimorum iuuenum agmina Ianizarorum, & Assapporum sequebantur, ut si admoueri munimentis ea potuissent, euaderent in muros, & cominus perterrerent hostem. Hac ab illis partibus ordinata, vnde liberior apparebat aditus urbis ex ea fractura murorum, quam grauiores fecerant machina. De ceteris non multum curatum, quando & si ablata fuisset ea corona murorum, vix attentare potuisset aliquid ibi miles, ob altitudinem, & montis insuperabiles anfractus. Affixa tamen tormenta quadam ab hac quoq; parte, petitaq; crebris ictibus urbs, tum perterrendi causa hostis, tum euertendi intus priuata nonnulla edificia, quae obnoxia iniuria videbantur. Oppidani primo venientem hostem tormentis à longe petiere, turbaruntq; se pius pluribus occisis, alijs dissipatis, & auertissent fortasse ab incepto, ni turmis quibusque duces sui instantes à tergo, nunc adhortationibus, nunc minis, verberibusq; interdum, & vulneribus hostiliter vrgerent. Ad hanc pertinaciam illud quoq; non deerat, quod & Barbari machinis ad id ipsum locatis, impetere nostros oberrantes per munimenta nō cessabant, ut arcerent, dum antesignani, & feruorum manus, qui scalas, & reliquos apparatus trahabant muris propinquiores fierent. Ita quamuis non incruenti, suppressere tamen. Tum Croiensès ad sua quisque ministeria dilapsi, certius teli genus exercere occipiunt in subiectos, ac vera cominus aperire odia. Resonabant undique clamore omnia, strepituq; armorum. Crepitus praeterea, sonitusq; tubarum ex vicinis refractus collibus ingeminatus, & multiplex aditus, ad iniiciendum ardorem viris, offendebat magis pugnantium aures. Sicut tamen dispar causa armorum, ita dispar dimicatio erat. Spes potius de urbis omnino nulla à principio apparuit, ni maius aliud quippiam fors,

Amurathes tardus in oppugando.

fors, casusue attulisset. Scala mœnibus frustra adnota, sed cum vectoribus ipsis attrita per montem iacuere. Reliqua vulgi colluuiis tota aut deleta, aut expauescens effugerat, ut idem horror animos, torporq; pariter membra inuaserat. Vix pedem iam collus promouebat ad muros, licet neq; apud suos ullum pateret effugium. Aderat nanque non longe spectator, scimusq; adhortator Mahumetes, crudelitatis nomen apud posteros, vel inde aucupans sibi, qui nedum quenquam referre pedem, sed ne respirare quidem patiebatur. Ita miserum hostium furorem fugiunt, immoderatiore suorum imperio plecebantur. Christiani hi ex maiore parte sunt Ottomanos subiecti, quorum ingentem multitudinem ad omnes expeditiones du-

Mahumetis  
crudelitas.

Vt Christiani  
captiui tra-  
dentur sub  
Turca.



cere solent Barbari, inermem ferme, quum non satis eis fident. Hi omnia penè onera castrorum subeunt, aquandi, lignandi, valla, aggeres aliq; munimenta construendi, tempore vero pugnandi, si in campis, & aperta fortuna dimicetur, hac primum obijcitur materia cadendi hosti, quae aduersariorum distrahat simul & exhauriat vires. Si urbium oppugnatio agatur, hac instrumentorum vehicula sunt, hac ad implendas corporibus suis fossas materia electa, ac pontes velut cæteris faciendos. Quare si segnius aliquid exequantur, crudeliores crebro dominos patiuntur, quam hostes. Occasio ea potius fortasse, quam causa, & ab odio ipso naturali omnis depromitur sauitia. Vidi multa huiuscemodi ipse, quum infelici fato ad patriam defendendam infelicia arma tenerem, cuius nunc memoria sicut mirifice recreor, ita recensere sine lachrymis non possum. Audiebamus stantes promunimentis, miserabiles illorum querelas, & supplices deprecantium voces, ut

ces, ut mitius cum eis ageremus, dum non consilio, non voluntate propria, sed saeuissimo imperio Tyranni hostilia se facere dicerent. Corpora se tantum inuitissima, signa infesta in nos trahere, animos gerere amicissimos, utpote quibus idem Dij, eadem sacra, vota eadem, licet non idem principes Christiano ex vitio, suaq; ipsorum calamitate essent. A nostris quamuis male tunc in ea fortuna ratio alicuius haberi posset, multis tamen quantum in tali furore potuit parsum. Proh dolor, libet exclamare hoc loco, paulumq; digredi. Vident hæc, & audiunt tamdiu Christiani principes, neq; tam grauis seruitus sociorum, tam fœda vincula, vocesq; mœstissima, quibus montes iam, maria, camposq; omnes per tot atates implerunt, quempiam mouent, fluit undique noster cruor, deficimus paulatim, neque sentimus, incidimus in ea tempora, volentibus dijs, vel potius ita agentibus nobis, ut vilior iam apud Turcas Christianorum, quam inmentoribus sanguis habeatur futurumq; sit, si hæc diutius pestis inualescat, ut triginta ex nobis, vix uno obolo olim liceant hostes, quod in captiuitate illa Hierosolymitana de Iudeis scriptores referunt. Verum enimvero, nihil est quod timeamus amplius, iam ad summum turpitudinis deuentum est. Neque nos ad duriora perferenda apti sumus, neque hostium crudelitas ipsa magis ingeniosa esse potest: sed redeat iam nostra vnde se subripuit oratio. Croienjes primis quibusq; Barbarorum, aut occisis, aut propulsatis, aperta quoque portula, quae e regione erat, 60. ferme egressi erumpentes improvisi in hostem, auxerunt supra quam dici possit, timorem hominibus. Germani hi omnes, Epirotis mixtis fuere, qui vix exorata à prefecto exeundi facultate, cum singulis tantum scloppis processere non longe à mœnibus, aditq; satis magna caede, ut pro numero pugnantium extemplo recepere se in urbem, rursus infestiores erupturi, sed nullis precibus, ut id rursus facerent, obtinere potuerunt ab Vranaconte. Laudati tamen ab eo publice & donati sunt omnes. Barbari obstupescati ea audacia nostrorum, primo retulere pedem aliquantulum, deinde tum pudore, tum consilio densati in unum expectabant, si victoriam secutus oppidanus iterum erumperet. Maior longe caedes ab Tyranna debeatur, laxior nanque hiatus murorum liberiore faciebat dimicationem hominibus. Ibi oppleta iam cadaueribus omnia. Gemebat velut stridore morientium tellus. Non deerant tamen obstinata adhortationes viris, & furore quodam miseri periculo instabant, ne confessionem ignauia praeberent hosti. Refert a telis undique munimenta, & propugnacula urbis, ac caligine ferme sagittarum vincebatur dies. Hæc à primis turmis Tyranni sine respiratione gesta. Medio iam ad vesperam declinante die, circiter octauam ferè illius horam, quum Amurathes videret partim casas, partim ob nimiam lassitudinem defectas viribus copias suorum, Christianosq;

Querela Chri-  
stianorum.

Exclamatio  
in ignauiam  
principum  
Christianorum.

Licere, passio-  
ne significat  
æstimari.

Iosephum pu-  
tat & Egesip-  
pum.

d

acrius

acrius stantes pro munimentis, dubius fuit primo, an recentes alios fessis subijceret, renouaretque pugnam, an in alium diem differret oppugnationem, quum satis iam pro ea parte dici tentata esset fortuna, et nimij ardores defessa militum corpora resoluerent. Adhortationibus tamen suorum coactus est continuare certamen, quum dicerent turpissimum fore ita incruentam ferme eius diei victoriam relinquere oppidano, et quando nulla spes subesse posset urbis potiunda, tot iacientia fortissimorum virorum, et sociorum corpora inulta dimittere, neque differendum ardorem belli, omnia secunda segniora esse, contemptioraque, ubi hostis velut assuefiat periculis, et obduret malis. Nouis consilijs, ac reparandis omnibus magis futurum locum obsessis, si ea respirandi facultas detur. Succedendum recenti milite in munimenta, fessosque propugnatores, qui ubi eam pertinaciam viderint, aut voluntarie deserent custodias, aut suo ipsi concident onere. Mirari se, unde iam is spiritus, ea corporum vis, perditis hominibus tam diu suppetat. Subducta igitur ex eorum sententia noua, ut electa magis, ita nihilo pauciores in mœnia copia, ac omnia dicto citius renouata. Fortasse et fortuna ipsa victoribus relictis secuta fuisset novos virorum conatus, ni oppidanus quoque nihilo segnior eandem suorum rationem habuisset. Recentibus itaque recentes oppositi, facili negotio possessum semel decus, et victoriam omnem retinuerunt. Ruebant velut occacata belua in ferrum Barbari, ad portam praesertim, et licet angustior via vix binos admitteret equites, adequitantes tamen muris ipsis recta cuspide impetebant portas. Caterum vituperandus magis tam stolidus vita contemptus, quam miranda audacia. Quare aditi passim tot eorum cadauerum acerui, ut non falsum vatem Vranacontem fuisse omnes dicerent. Non perpeffus diutius tam miserum spectaculum, tantamque suorum stragem senex, receptui cecinit. Deserta mox munimenta, relictis hostes, non quinquam cepta odia, non feruor dimicandi tenuit. Ita ab omnibus priusquam publicaeque id signum expectabatur, neque nostris ingrata ea cessatio ab armis fuit. Exhauserat namque spiritus viris, tum labor, et calores, tum sitis et inedia, quum plerosque impransos praueuissent hostes. Proinde quod restabat diei, et nox subsequens, quieti ac curationi corporum indulta: Castrionto quoque latissimam eam noctem conuolantes undique de Croicensi victoria nuncijs fecere. Impertitus postea per eum est regulis ac populis vicinis eius diei faustus euentus. Hostibus maestissima omnia per eos dies fuere. Vix namque tolerabilis eius pugna iactura videbatur, et amplius hominum millia amissa. Oppidanis modico sanguine ea victoria stetit. Amurathes tentorio clausus, biduo integro fertur primores suorum varijs consultationibus distinuisse. Mahumetis tamen inter ceteros insignis quadam maestitia erat, quod et preferuidum illius ingenium, et aduersorum insolens et as dolorem

Turca receptui canit, in felicitate pugnant.

Lata nox Scanderbegi de victoria.

Octo hominum millia occisa.

lorem omnem in rabiem verterat. Exin cupidissimus ultionis non dies, non noctes, omnia obeundo, ac perlustrando exercitum, a laboribus vigilijsque cessabat, ab ea praecipue parte, qua nuper eruperant nostri, ibi promptissimorum militum agmina, ac varia genera insidiarum posuerat, pernoctabatque sapius ipse, ut si attulisset aliquam bene gerendae rei occasionem fortuna, illam non praetermitteret, et oppresso Scanderbegi, illiusque profligato exercitu, aliquando ea cura animum exolueret, liberque uniuersa Epiro potiretur. Sed inanem hanc eius expectationem reddidere sagacissima ducis consilia. Nam tum a transfugis, tum ab exploratoribus indies missis, de omnibus edoctus, per aliquot dies sedendo consuluit sibi, atque hostem diutina mora contriuit. Caterum abhorrens tam longum ocium, excogitata et ipse fraude, qua intentos tantopere homines caperet, nocte quadam maximo silentio, collectis vasis in locum, quem Munticleum vocant incolae, traustulit copias, unde impeti hostium stationes paricommoditate poterant. In Tumenisto quingentos tantum equites cum Tanusio et Mose reliquit, factaque computatione temporis, et via, ac consilijs suis apertis, iussit ut nocte subsequenti secunda vigilia impetum in castra Tyrani facerent, ab ea parte, qua nuper irrupissent, vixque prima limina ingressi, nullatenus fieri hosti copia pugnandi effusa fuga abirent. Ipse quoque in Munticleo omnibus ordinatis, et dispositis, ac vix ducentis viris ad statiuorum custodiam relictis, signata nocte copias suas mouit. Modicum interuallum fuit inter eius et Mosi aduentum: nam ut primum tumultuatum ab ea parte sensit Castriontus, et consternata, velut eo motu omnia, occasionem amplexus, unde minime timebatur, irrupit. Ita incerta in castris omnia, trepidatumque maxime est, alijs hinc, alijs inde procurantibus, ad arcendos hostium aggressus. Ceteris excitantibus socios, quum obsessos se undique hostium armis clamarent. Sed a Mose timoris aliquid fuit, damni nihil omnino. Nam locato iam pridem ibi milite per Mahumetem, facile voluntarios praesertim, pepulit in fugam. Insequi fugientes prohibuit nox, quum insidiarum, et vetus, et potissimus timor esset Damnum ingens datum a Scanderbegi, deformataque castra sunt, tam incendio, quam ferro. Neque tamen diuturnior ea ignominia fuit propter concursum ingentem hominum, qui nostros, vel interuentu solo auertere a munimentis, veritos a quo campo (in Tyranna enim pugnabatur) tanta multitudinis vires experiri. Sed nihil nostrorum retrocessu insigniter ab hostibus actum est, quum neque illi cedentibus instarent, et perditatum omnem cum octingentis equitibus pone a tergo, non longe ad varios euentus fortuna, cautus bellator Castriontus locasset. Exceptus itaque ab illis latitia clamoreque ingenti, nihil moratus, reliquum noctis in itinere consumpsit. Vix unquam incruentiori victoria ex hoste usum inuenio, nullis

Mahumetis consilia contra Scanderbegum.

Fraus excogitata a Scanderbegi contra Mahumetem.

Pulchrū Strategema.

Incuncta vi-  
denda Scan-  
derbegi con-  
tigit.

amissus, sed nec vulneratus quispiam fuisse dicitur. Barbaris omnia vul-  
nerum, lachrymarum, ac gemitus plena relicta, oblitaq; penè est Croiensis  
fortuna, præ ea calamitate. Nemo vel hiscere iam apud Tyrannum aude-  
bat, vel consilij quicquam in medium afferre, cum turpissime veteres, &  
nouas hominum consultationes omnes eiusmodi euentus reprobasset. Re-  
cursum est tamen ad orbem castrorum tormentis circumvallandum, fir-  
mandumq; quod optimum ipso usu in Sfetigradensi obsidione priore anno  
fuerant experti. Ita cessaturum rati hostem, ab eiusmodi incurSIONIBUS.  
Deducta igitur multa tormenta ~~minora~~, quæ opposita mœnibus fuerant,  
& circum tentoria, ut commodius visum, locata. Maior tamen pars in  
priore opportunitate periculi mansit, nam ita diffusa passim, & discreta  
per interualla inter se stationes fuerant, propter nimios astus, & impedi-  
menta iumentorum, ut non satis provideri ubique posset. Nihil eorum oc-  
cultum diu Scanderbego fuit. Non transfuga defuerunt, non audaces  
exploratores, qui edocerent omnia facilem ad credendum propter priorum  
anni exemplum. Statuit itaq; aliquantulum quiescere & ipse, atq; quaesita  
eiusque fortuna, paulisper contentus esse, eaq; per otium frui, donec aliqua  
alia occasio bene gerenda rei afflisset. Penuria præterea cōmeatus, quum  
nusquam colonus, nusquã habitator in aruis esset, unde sumeret alimen-  
ta miles, ad alia procuranda cogebat. Quare ad commodius quaque ha-  
benda, præsertim vitandi quoque caloribus causa, ad maritimum quendam  
locum præcipue amœnitatis, iuxta flumen, flumen accolæ vocitant, cum  
omnibus copijs ire perrexit. Ibi cibaria crebris nauigijs affatim conuecta,  
à Dirachinis etiam (non longe nanque aberat ea vrbs) petitum frumen-  
tum, neq; negatum est, licet quo cautius poterant præfides Veneti inuarent  
nostros, ne res innotesceret Tyranno. Eos dies cunctos Barbari in quati-  
endis muris Croia, & euertendis, ab eis præsertim partibus, ubi vel quip-  
piam integri restabat, vel oppidanus restaurauerat, consumpsere. Nam  
tentanda iterum fortuna, per militum virtutem regis animum libido in-  
cesserat, quum opus cuniculi, & reliqua id generis insidia, longi res tempo-  
ris ac supremi laboris videretur, propter quasdam loci confragositates, &  
saxorum crepidines. Miseri, qui tam immoderato reguntur imperio, &  
quos tam superbis dominis subiecit fortuna, ut libidinem eorum, si aliter  
nequeant, suorum ipsi corporum laceratione, & proprio sanguine, explere  
cogantur. His expeditis, dirigitq; in vastum mœnibus, qua attingere tor-  
menta potuere, apparere eo die milites ad crastinam ineundam pugnam,  
& noua vulnera Tyrannus iubet. Vix ullus, vel publice, vel priuatim, ut  
consueuerant, hilari animo sese obtulit. Annuebant tamen mœstissimi,  
quum recusare, vel tergiuersari mixtus timor, pudorq; prohiberet. Amu-  
rathes videns eam animorum demissionem, & inuitissimos omnes ad eam  
rem

Scanderbeg  
cum copijs ad  
flumen flu-  
men se recipit

Amurathes  
timorem &  
ignauiam suis  
exprobrat.

rem trahi adnauertens, fertur conuocatis optimatibus, ac nota mili-  
tia viris, multis verbis timorè eis, ignauiamq; exprobrasse. Quod tam par-



uis momentis, vel verius iocis fortuna submississent animos, & imperpe-  
tuum de victoria desperassent. Quodue primo impetu non expugnassent  
urbem, quod iacentia cadauera sociorum æquis oculis aspexissent. At quod  
fore tam ignobile oppidum, infameq; castellum, ut absorberi ita uno im-  
petu posset, uno ictu corruiere. Durandum esse, standum inconfraeto, atque  
insatiabili animo, qui eas feras velit à suis lustris depellere. Consenuisse  
multos præclaros Imperatores, exercitusq; sub mœnibus hostium, leuis  
& priuata sæpe iniuria causa. Se publice priuatimq; ab Epirotica perfidi-  
dia tot affectos contumelijs, per summam indignitatem ita inulta omnia  
relinquere velle? Quam præterea insignem victoriam vlli ad eam diem si-  
ne sanguine stetisse? Varnensis fortuna meminissent, cui gloria vix quic-  
quam æquari posset. Difficile fore iugum hosti incruentis manibus im-  
ponere. Præclara quaque sudore maximo, laboreq; confici. A Croia bel-  
li eius vim omnem pendere, ea sublata debellatum esse imperpetuum in  
Epiro. Scanderbegum nanque illo velut totius robore imperij amisso, di-  
em unum non mansurum in prouincia. Quare bono essent animo, age-  
rentq; intrepide. Nusquã incertiores euentus, quã in bello esse, tentandam  
fortunam, laceffendamq; insuper illam sapius, qui ad se trahere velit. Non  
tamen negare se, ut cautius impostertum ageretur cum hoste, & consultius  
pericula adirentur, neque beluarum more ruerent in ferrum milites, satis  
multos cadere ex oppidanis, si decem qualibet pugna deficiant, urgendos  
tamen

Insignis victo-  
ria nõ est sine  
sanguine.

Præclara fi-  
dore & labore  
perficiuntur.

Fortuna la-  
cessenda, si ad  
trahere ve-  
lit.

tamen iugiter esse, ac onerandos quotidianis infestationibus, ne reparare vel vires, vel munimenta possint. Et fortasse si arma non prodesse, inuenturam aliquem modum fortunam, ut Sfetigradensi obsidione præter expectationem omnium fecerat. Ita ingeniosam mortalium perfidiam, & humanam cupiditatem esse. Hæc dicta restituere vigorem animis, ac timore omni velut fugato, simul pristinum ultionis desiderium, simul ingentem gloria appetitum subiecere hominibus. Illud præterea molestiam & metum magna ex parte leuabat, quod videbant postridie dum circa urbem ipsi occupati essent quieti saltem statim ab incursionibus Castrioti, & tuta terga futura, à fronteque tantum hostem se habituros. Nanque ad alias procurrationes, quas nuper recensui, id quoque ad auertendum Scanderbegum per eam diem à castris, ne disturbaretur oppugnatio addidit. Tyrannus, ut Sebalias Iourensis, de quo supra facta est mentio, cum 16. equitum millibus ab alia parte provincie ad ludificandum hostem per deuastationem agrorum iret. Futurum enim sperabat, quod Epiensis ad eam maxime regionis partem cum omnibus se copiis transferret. Prima itaque vigilia accepto milite Barbarus profectus est, admonitus tamen ab Amurathe, ut quantum maxime posset, sui copiam hosti non faceret. Vicena amplius millia passuum emensus erat Sebalias, quum nuncius eius ad aures nostrorum venit. Mox ingens murmur inter milites ortum, varie (ut sit) consilia ea hostium interpretantes. Eadem tamen omnibus sententia erat, ardorque animorum, sumenda prope arma, eundemque silenti agmine, claudendos aditus, ac obsidendos saltus, unde transiturus credebatur. Sed inimica præpostera celeritati ducis prudentia, neque satis fidens tenebris, omnia in diem distulit. Rarefcentibus sub aduentu diei stellis, sublatis signis cum omnibus turmis mouit à castris, per montuosa, ac tuta loca agens agmen, præcunctibus semper exploratoribus, ne insidijs hostium alicubi interciperetur. Eadem ferme hora Amurathes signo ex castris edito, urbem est aggressus. Nam quum procurasset omnia, quæ vel ad excludendum, vel auertendum Scanderbegum attinerent, non expectata certa luce, ne in medios diei ardores oppugnatio protraheretur, rem aggredi cœpit. Multum animi addebat viris nunciatus Castrioti abcessus. Exin ardentiores ad omnia intrepide, primo impetu scalas, & alia id genus instrumenta ad muros propius deducere. Non defuerunt quoque, qui recentis cladis immemores ad portam ipsam præterlati impingerent cardines, ac perfringere claustra conarentur, malleis, ac vectibus ferreis impetentes. At Tyranna ignes pluribus locis iniecti in urbem, neque tormenta inter pugnandum quiescebant, & licet nocere nostris sine pernicie suorum Tyrannus non posset, abiecto tamen eo respectu, æque hostem militemque suum sternebat. Non insuauem omnino unius capitis Christiani victoriam credens, quam 20. suorum sanguine

Sebalias cum  
16. millibus  
mittitur ad  
ludificandum  
Castriotum.

sanguine comparasset. Croiensibus quamuis non incruenta omnia, tuta tamen erant, neque dubitatum unquam de amissione oppidi. Ita inexpugnabilis præter cetera locus ipse, vim omnem hostium inanem reddebat. Quantum vero in virtute hominum defensio urbis stabat, ingentia profecto ubique tam fortitudinis, quam fidei exempla addebantur, superiorque longe semper oppidanus erat, & animis, & viribus, & fortuna. Qui ad portam processerant, vix vnus inde pedibus suis excessit. Ab alijs partibus primo quoque occisi, postremorum magnus numerus vulneratus. Scala vix alicubi attigere munimenta. Non tamen idcirco Amurathes ullo satis loco intermisit pugnam, sed pertinacior semper proposito recentes fessis subiiciens, ac omnia renouans eo spectaculo pascebatur simul, & cruciabatur, donec exaturatus iam ea calamitate suorum, signo receptui dato, finem oppugnationi fecit, suadentibus maxime purpuratis, ne per eam indignationem perdere exercitum vellet, quum nihil usquam diluceret spei urbis per vim potiunde, seruandos milites ad opus cuniculi. Eam unicam esse viam, qua insidiari hosti possit. Non inuitus sermonibus ijs acquieuit senex, reductisque in castris militibus, quæ ad id operis in rem erant, accitis peritioribus quibusdam, maximo consilio procurauit, atque egit. Sed quia laborare iam fame exercitus cœperat propter inopiam comæatus, segnius actum id opus per aliquot dies, missisque frumentatores Lyssum, & alia oppida Venetorum vicina, quum propter pacis iura inter eos, satis crederetur nihil eos negaturos. Castriotus interea cognito ab exploratoribus itinere Sebalias, qui immissa parte militum, vites, & alia frugifera deuastabat in campis, silentiori quam potuit agmine mouit, & trium minus millium spacio approximans hosti, quatuor equitum millia sibi ad inuadendum aperte eum selegit. Peditatum omnem cum reliquis equitibus in colle quodam prope viam, qua transituros putabat regios, collocauit, & Mosem à Dibris cum his admonitum, ut si trepidos illos ac palantes ad eam partem fugatulisset, mox improvisus cum suis exiliens, fugientum tergo instaret. Si pari fortuna animoque resistentes sibi vidisset, deduceret impigre & ipse eas copias, sequi reliquo equitatu adiungeret, facile sic ratus hostem vel resistentem clade nobili, vel fugientem affici ignominia cum detrimento posse. De hostium fuga non vanus estimator fuit, cetera omnia spem eius fefellerent. Nam præmonitus à custodijs de eorum aduentu Barbarus, dato signo omnes suos circa se collegerat, præter paucos, qui latius dissipati præda nostrorum fuere, & priusquam ferme signum aliquod hostile conspexisset, inclinauerat ad fugam parte alia, non ea qua venientem præsciuerat Scanderbegum, quare nihil dignum memoratu gestum. Insequi enim vltius hostem nostri prohibiti sunt à duce, quum & peditatus egre longum persequutionis eius laborem laturus esset, & Croie perpetua sollicitudo

Suaus Turce  
victoria, vni-  
us capitis  
Christiani cum  
viginti suorum  
sanguine.

Victoria oppi-  
danorum ad-  
uersus Ty-  
rannum.

Fossio cuni-  
culi à Barba-  
ris ad urbis  
ingressum &  
expugnatio-  
nem.



Stratagemata  
Scanderbegi,  
ut frumenta-  
tores Tyranni  
inuadat.

tudo ferociam temperaret Castrioti, quum seruare exercitum ad quotidianas urbis necessitates magis cuperet. Ita Barbarus inde alacer, quod voti compos minimo incommodo suo tota die ludificasset hostem, ad Ottomanum properauit. Hinc Epirensis molestissime eius diei iacturam ferens, ac Croia prater modum timens, quod non longe ab ea consueuerat abesse, in castra perrexit. Ferunt tamen in itinere occurrisse multos, qui de frumentatoribus Tyranni rem omnem eum edocuerunt. Proinde extemplo (ut in omnibus caute agendis consueuerat) gregali sumpta veste, ac centum non amplius militibus haud absimili amictu vestigia hominum sequutus, iuxta viam qua redituros regio nouerat, in insidijs se collocauit, misitque duos exploratores ex suis Lyssum, viros expertos, qui velut turmas hostium et frumentatores regio venarentur, et eos caute obseruarent, ne si forte alio quam venerant iter flecterent, Scanderbegum quam prope admonerent. Sed ij eadem via reuersi in Scanderbegum inciderunt, a quo



partim capti sunt, partim cæsi. Frumentum omne simul cum iumentis et equis in castra Christianorum conuectum, inter milites distributum atque diuisum est. Moses relictas sibi copias in stationes iuxta Ismum reduxit. Amurathes dum fodiendo cuniculo instaret, leuibus certaminibus vexare oppidanos nunquam cessabat, ut per custodias munimentorum occupati minus ad nouas insidias aduertent. Interim duo diuersi nuncij conuolauere in castra: alter de frumentatorum cade, diruptioneque, qua gesta erat, indicans: alter ab Albria de aduentu com meatuum ex Macedonia significans: quantum mæroris ille, tantum hic solatij aduexit. Quare facta utriusque

etque compensatione, non multum mutati hominum vultus, sed ceterorum omnium ratione ommissa, ad perducendum nouum com meatum cura militibus incessit. Quare non abnuente rege, 20. amplius lectissimorum hominum millia ad id muneris destinata, ne si pauci iissent, prada essent nostris, velut de alijs nuper frumentatoribus audierant factum. Sed occupatus Scanderbegus et ipse erat in conuebendo ad suos captiuo frumento. Nam timore hostium diuersis itineribus longam aggressus viam, per asperrima locorum agens incommodissime iumenta, multum laboris, neque modicum temporis in reditu consumpsit. Quamuis si liber adhuc eo fuisset onere, et in procinctu suas habuisset copias, non satis crediderim studio persequendi hostis, contra eam multitudinem tantum fuisse aditurum periculi. Moses tamen incertus de Castrioto, quum motum regionum ex castris ab exploratoribus nouisset, veritus ne ad illum opprimendum ea vis hostium properaret, quatuor impigros equites maximis itineribus ad eum quarendum, monendumque, de singulis miserat. Sed nullibi prius conspexere, quam in castra reductum caesorum spolijs, ac conuecto com meatu onustum. Regij quoque nullo inuento obstaculo, cum frumentatoribus, atque alio cibariorum genere celerrime applicuere ad suos. Ita corporibus prouisum, et ferocia magis, animique rediere viris. Cuniculus non dies, non noctes intermissus, sed laboriosissimum opus multos sub terra consciebat, licet partitus esset numerus artificum in tot horas, atque in reliquis manipulis idem ordo seruaretur. Vincebat tamen omnia improbus labor, et pertinacia hominum. Ad oppidanos fallendos solitis procurrationibus sub muros quotidie decursum, et licet aliquis eo modo semper caderet, non ideo id iactura loco in tanta multitudine computabatur. Fugitur lata aliquantulum Barbaris per eos dies omnia fuere, nam prater aduectum nuper com meatum, multitudo ingens mercatorum ex proximis Venetorum oppidis cum annona, vino, oleo, et omnis generis cibarijs in castra quotidie confluebat. Ceterarum quoque mercium vectores non deerant, ac velut ad mel muscæ (ut vulgo aiunt) undique in regia castra conuolabant, quum scirent hominibus in ea fortuna penuriam rerum omnium, solius pecunie abundantiam esse. Nouerat hæc optime Castriotus, sed ne vel subditos amicorum offenderet, vel priuatorum officeret utilitati, exquisito animo patiebatur omnia, monueratque tacite suos, ut dissimularent et ipsi. Neque verbo quenquam aut re violarent, maxime quod non ignorabat, si hinc afferri prohibuisset, aliunde alimenta hosti non defutura propter vicinitatem Macedonia, Thracia, Mysia. Quare aliud agitabat animo, quomodo armis ferroque, non fame Barbarum fugaret ex Epiro. Quamobrem augendarum copiarum prima, ac potissima ratio visa, eo magis, quod ex 8. hominum millibus, quos in ipsis belli

Viginti millia  
constituti fru-  
mentatores à  
Turca.

Fossio cunicu-  
li continuatur  
à Barbaris.

Veneti adue-  
hunt alimo-  
niam Turcis  
ad castra.

Constitutum  
Scanderbegi  
armis & ferro,  
non fame  
Barbarum fu-  
gare ex Epiro.


e

auspicijs

auspicijs scripserat, paulo minus mille tum ferro & varijs casibus, ac incommodis sublatis sibi fuerant, tum plures eorum ipse sponte domum dimiserat, quum satis perfuncti periculis & malis viderentur. Tanusio igitur, Mosiq; id muneris iniunctum, qui peragrantes prouinciam omnem, vix duo hominum millia confecere, quingentos equites, reliquos pedites: haud facile fuisset, tum in Epiro vllum inuenire, qui ad arma ferenda esset idoneus, non belli certis munijs occupatum, & proprijs ministerijs addictum. Ita summa ratione firmauerat omnia praesidijs Castriotus, ne vllus satis imperij angulus opportunus damno, & ignominia relinqueretur. Per eosdem dies, quibus is delectus habitus est, Croienses crebris procurrationibus hostium lacesiti, non potuerunt se continere mœnibus, sed erumpentes sapius feliciter manum cum regijs conseruerunt, praesertim die quadam, in qua quadringenti ferme egressi egregie per cadem, ac fugam hostium insequendi ardore, in castra penè ipsa sunt illati. Barbari inescitam hominum temeritatem credentes, non multum casos socios indolere, sed inanem illis spem eam reddidit Vranacontes: nam licet modica iactura reuectos suos vidisset, eximius tamen periculi eius diei, ac hostilis fraudis ponderator, non pedem amplius extra munimenta efferre permisit. Aliam tamen mœstitiam, cladem aliam Amurathi aduehebat Scanderbegus, qui accepto nouo milite, ac copijs cum Tanusio, & Mose tripartitis in occasu solis, egressus è statuis diuerso itinere, & latenti maxime agmine, ad castra eius properauit. Detectus tamè ipse est à vigilijs, priusquam locum Monticulum dictum attigisset, à quo sedecim ferme stadijs aberant munimenta, tumultuatumq; summopere in castris, praecipue ubi tentoria obnoxiora periculo erant. Quare quod remedij ad eum auertendum propulsandumq;, per eam incertitudinem noctis fieri potuit, nihil omisum. Octo ferme hominũ millia subitarie collecta, ac opposita illi sunt, segnior tum Castriotus moderatiore gradu paulatim prope hostem irrepit. Barbarus prior clamore simul procursumq; orditur pugnam, nostri continuo retrocedere, vt protractis longius à munimentis minuerent aliquantisper ferociam hominibus. Tanusius interea & Moses assignatas sibi castrorum partes ex improviso penè ingressi, terrore tumultuq; omnia compleuerant, irrumpensq; per vacua quadam tentoria occisis stationarijs miles, igne iniecto, quae ferro non poterat, absumebat, magis ab his cadis, ignominiaq;, quam à Scanderbego fuit. Nam conuersis ad eam partem hostium animis, liberiora cuncta ad diripiendum, sauiendumq; Mosi relicta, & impune primo impetu vim omnem exercere potuit, ac consternare tumultu homines, vt sit in re subita, victoriam paucissimi peperere, non accurrentes postmodum illuc densiores Barbaros nemo expectare curauit. Tormentis praeterea quae summopere formidabant nostri,

Conflictus  
apud Monticulum.

stri, manus à regijs nõ est admota, vel quod non satis commode per noctem ijs vti poterant, vel praetimore (vt saepius contingit) illius auxiliij sunt obli-



ti. iam iux appetebat, quum relictis hostibus, in medio animorum ardore Castriotus viginti ferme stadijs procul in colle quodam satis omnibus conspiciendus consedit, Mosem cum cateris legionibus expectans, vt prodeuntes è castris constituerant, locumq; praefixerant. Eo viso hostes undiq; ad pratorium Tyranni conuolantes, petunt maximo studio, vt egrediundi ad eum opprimendũ facultas sibi concederetur, paucitatem nostrorum ostentantes. Victus illorum clamoribus senex, in sententiam illorum discessit. Prorumpere momento temporis duodecim lectissimorum hominum millia, septem equitum, quinque peditum: conspecta ea multitudine Epirensis, dubius primo consilij fuit, an expectaret venientes, maxime quum ipsa hostium castra tam propinqua essent, an temporis cederet. Melius tamen pro re nata illi visum est, mediam eligere viam, & neque fugere omnino, neq; resistere venientibus. Retrocedens igitur per editiores & tutiores colles trahebat agmen, consisus tum loco, tum socys, quos puluis iam ex incessu sublatus à longe prodebat. Turca infestis signis maximo ardore vsque ad eos colles processere. Tum inspecta difficultate loci, quod ex solo ascensu, suo ipsa onere grauabantur corpora, segnius inferebant gradum. Castriotus non prius mouit, quam suorum aduentum à tergo certis indicijs cognouisset, sed neque Barbarum ij doli latuere. Conuersi nanque & ipsi propter strepitum aduentantium, & visis nostrorum praecursoribus, pluribus signis praetimore festinationeq; relictis, terga dedere Scanderbego. Non tamen

Turci petunt  
congruere cum  
Epirensibus.

incredulos omnino fuga excepit, quum inita dimicatione plerique superne telis à nostris obruti fuissent. Moses quoque impigre aduolans, nonnullos moratorum sponte se dedentes viuos capit, reliquis tutissima fuga concessa. Nam Epirensis veritus maiorem motum castrorum, repente dato signo, omnibus circa se collectis tuta montium iuga petijt. Nunciata hac, & visa Amurathi, praesertim nocturna cladis spectaculum, ac deformatio castrorum, vocem pra dolore inclusere, neque quicquam ea die vel tentatum, vel decretum in hostem. Postero die ferunt Scanderbegum (ut consueuerat) cum paucis comitibus per iuga montis, qui Croia imminebat, oberrantem, & colloquentem cum Vranaconte visum à Barbaris, nunciatumq; id maxima festinatione Tyranno, ac digito etiam ostensum hominem, tum canino (ut aiunt) risu suorum leuitatem, stultitiamq; obiurgantem, dixisse aiunt senem: Dimittendum indomitum leonem, neque efferrat am beluam diutius sanguine suo exaturandam, ita melius fortasse rabie ipsum sua, quam armis ullis vinci posse. Caterum ut parum turpe Castrio to fuit, ex ore Amurathis hac verba audire, ita longe pulcherrimum ad ea dicendum illum cogere potuisse. Iam sordidatus ex omni parte exercitus, & obsessus, quam obsidenti similior, per summam caeditatem inuisos traherat dies, donec ad alia quoque mala illud non minimum additum, quod cognitis cuniculi insidijs, oppidani nocte quadam maxima silentio egressi, disiectis ex maiori parte operibus, dolos omnes hostium detexerunt, neque auditi à vigilibus sunt, nisi quum deformatis omnibus in urbem recessere, quum noctis concubio venissent, quando profundissimo somno premuntur homines. Aliqui tamen negant ullam eruptionem ab eis factam, neque occursum eo modo operibus hostium, sed quum regij non potuissent satis eas insidias calare, visos à Croiensibus, deprehensasq; illorum fuisse technas. Quamobrem pluribus in locis ab oppidanis dispositas fuisse pelues, & vasa area, ut ex subterraneo impulsu ab eisdem redditus tinnitus, insidiarum locum subesse indicaret. Nam licet aditum ipsum cuniculi viderent, tamen verentes ne intus perplexe effossus ab alia parte quam crederent, educeret armatos, hoc incerti mali remedium machinati sunt. Vtrunque dictum verum esse potest, illorumq; neutrum ratione caret, quamuis hoc quo plus ingenij, tanto minus pra se ferre fidei videtur. Illud unum in dubium non reuocatur, Croiensis licet minimum ferme eos hostium conatus timuerint, procurasse tamen intus cuncta exactissima ratione, ut spem omnem diutius insidiandi pracluserint Tyranno. Nam ubi detectum id opus animaduertit, & parari in vrbe omnis generis obstacula strenue ab oppidanis cognouit, penitus ab incepto amouit animum. Sed & si eodem tenore latitasset fraus, mutaturus tamen ultro ab ea re consilium erat, quoniam ita in fodiendo singulis locis natua occurrerent saxa, propter

vicinita.

Sententia Turca de Scanderbegi.

Per pelues &amp; vasa area insidias hostis ex periri.

Opera &amp; conatus hostium in cuniculo fodiendo irritum ceciderunt.

vicinitate montis, ut ad ea incidenda, tum opera inestimabilis, tum tempus perpetuum exigeretur. Abiecta itaq; ea cura, ad aliam adhuc inaniorum, mentem adhibere statuit, si quo modo pecunia, atq; ingentibus promissis trahere ad se obsessos posset, quum non arma, non mina, non fraudes vlla prodesse. Igitur unum ex Satrapis multa apud se autoritatis, ac spectati ingenij virum ad Vranacontem mittit, & duos tantum cum eo seruos multis donis, ac Barbaricis ornamentis onustos. Mandata eius generis fuere, ut priusquam sermonem vllum de urbis deditioe proponeret Barbarus, ea munera praefecto Amurathis nomine traderet, quo conciliaretur magis hominis animus, ingeniumq;, ad praestitutum colloquium. Deinde latenter eius mentem animumq; sollicitaret ad proditioem, deditioemq;

Amurathes Vranacontem muneribus vult corrumpere.



oppidi, & ingentibus auri, argentiq; pollicitationibus pelliceret, atq; doceret facillimum id fore sibi, qui caput praesidij esset, quum ciuium ibi minimus sit numerus. Subituros Croiensis vel volentes, vel coactos eas conditiones, quas praesidium acciperet. Praesidium vero accepturum eas, quas ipse vellet, & praeter ea dona ornatissimum illi locum, militibusq;, apud se nunquam defuturum illi promitteret. Cum his mandatis regius nihil moratus ad urbem contendit, & quum appropinquaret porta, procedere ulterius à custodibus prohibitus est, donec praefectus accerseretur, eo impigre accito, auditus benigne Barbarus est. Qui cum primo proferens dona Amurathis, multa ad ea magnifica verba adderet, & ita aure sibi hominis conciliare studens, ac praestruere mandatis fidem, contereret tempus:

Satis est, inquit Vranacontes, praclara ex se munera, praclarissimis

Respondet Vranacontes Legato Turca.

c 3 quoq;

quoque verbis ornasti. Nunc cetera iussa Tyranni effer. Ita demum admis-  
suri largitionem vestram, & accepturi dona sumus, si postulat a audierim-  
mus. Aliter nullo patiemur modo priores à vobis beneficio devinci, neque  
hoc turpissimorum forte munerum vinculo astringi, nisi sciamus quo tam  
insueta hac liberalitas tendat. tum enim & acceptare egregie, & recusare  
iustissime dona vestra poterimus, quum ex verbis animum vestrum co-  
gnitum, perspectumque habebimus.

Nihil confusus ad ea Barbarus, quicquid sit, ait, de ceteris rebus, non  
ideo dona attulimus, ut eo colore quenquam deciperemus, cum servis,  
eo pacto & pueris agi solet, non cum liberis & fortibus viris. Et licet suspi-  
cita omnia hostium sint, ut vere locutus es Vranacontes, id quod neque ipsi  
ignorabamus, non ausi fuisset tamen sine rubore manibus ( ut aiunt )  
vacuis ad te venire. Spernere gratitudinem animorum nostrorum non  
debes, si vir es, qualem pra te fers, & quem homines pradicant: Ist hac a quo  
animo accipe dona, quae vim tibi afferent nullam, neque impedient, quo mi-  
nus in rebus tuis ins tibi integrum, ac plena sit potestas. Neque si contempse-  
ris postulat a nostra, & alia quae ad te attulimus dicenda, in quibus non  
minor fortasse tui, quam nostri ratio habetur, neque si probaveris munera,  
tam ingenuo oblata animo, exprobrabimus. Quandoquidem nihil tam sordidi  
animi est censendum, quam ita dare, ut inde aliquid expectare velis. Li-  
bere ad te venimus optime dux, ex animo ipso loquimur, non verbis, non  
donis capere cupimus, quem armis ferroque toties sensimus inuictum, qui  
omnia infra te ducis. Amat te ideo Amurathes, admiratur eas virtutes  
in hoste, & si quo fieri posset modo, secum habere cupit. Ibi certe melius apud  
tantum regem praclaras animi magnitudo, & ingenij dexteritas viam  
sibi ad omnis fortunae & gloriae apicem inuenire poterit. Non quod Scan-  
derbegum damnemus, quem ob recuperatam, & defensam toties, te tamen  
in primis adiutore patriam, hostes etiam celebramus. Sed alio tu principe,  
alia fortuna dignior. Non qui in ea obscuritate, ne dicam sordibus ( absit  
verbo temeritas ) omnes atatis annos transigas, & insignes exhaurias spi-  
ritus. Momentanea praeterea hac quae videtur fortuna facies Castrioto est  
futura, nimis immodicum hostem fata illi dedere, differri potest supplici-  
um homini, auferri non potest. Ita ad ingentes vires ingentiora quoque odia  
sumpsit in eum Ottomanus. Non impensa, non labori, non periculis ullis  
iuravit se parsurum, non discessurum ex Epiro, donec funestissimum iugum  
cervicibus eius imponat. Principium vero eius mali en ab hac urbe à vo-  
bis potissimum orditur. Audimus quotidie his eius vocibus pratorium re-  
sonare, non si Adrianopolis, si regnum omne sit turpiter relinquendum, abi-  
turum ex possessione loci huius, nisi vobis expugnatis, nisi exaturato animo  
laceratione corporum vestrorum. Et faciet profecto ( quod ominari ipse re-  
formi-

Sordidi ani-  
mi est, ita da-  
re, ut inde ve-  
lis aliquid ex-  
pectare.

Odiū Turca  
in Castriotū.

formido) licet enim & ego hostilem in vos animū cum alijs geram, tamen &  
homo sum, & affectus humanos habeo, vix oculi Croienses paterentur tam  
miserum fortuna vestra spectaculū. Faciet inquā, ni vos aliam mentem in-  
dueritis, ni oblatam vltro salutē, lucem, libertatem, pacem per summum  
ocium acceperitis. Nam agite dum insignis vos locus iste, inaccessa moenia,  
& virtus praecipue vestra protegat, sed quousque tandem hac sunt protectu-  
ra? Eousque planē, donec alimenta, donec cibus corporibus suppetat. Ecquid  
creditis Ottomanum hanc obsidionem medio belli ardore relicturum? Vi-  
debitis malo vestro, percipietis, si arma non proderunt, si omnes incassum  
aggressus cadēt, hosce hostes, hac tentoria semper habebitis in oculis, & pra-  
foribus quotidie, donec fames diutina, quae omnia superare solet, vos tandē  
perdomet. Quid quaeso reliquum spei superest vobis? Unde ea cupiditas pe-  
riculorum obstinata pectora inuasit? An Scanderbegus suggeret alimenta  
inclusis? Qui totos dies abditus in sylvis, & per iuga montium fugiens, ac  
laboribus curisque undique oneratus, vix miserum ducit spiritum, an Veneti  
commeatibus iuuabūt? qui omnia nobis aduersus vos belli huiusce fomen-  
ta quotidie vel ad abusum conuehant, & suggerant: Resipiscite proinde ni-  
mio plus fortes viri, colligite vos aliquando. En hostis moneo, satis in per-  
tinacia perstitistis, non est ad usque patria, libertasque defendenda, ut vel ad-  
uersis Dijs pro ea pugnetis, cedendum est fortune, potentioribus obtempe-  
randū. Sed quid ego hanc libertatem appello? Vera vos libertas, vera pra-  
mia, perpetua vita tranquillitas apud Amurathem manet. Consulite vo-  
bis, dum integra omnia sunt ad decernendum, dum hostes hortamur, roga-  
mus, & malumus voluntarios vos socios, quā coactos seruos habere. Hac  
adhibito ad id maxime vultu, vocisque sono exegit Barbarus, expectans quē  
animorum motum vidisset inter homines, ut tunc ex occasione ipsa cetera  
summotis alijs cum Vranaconte secretius ageret. Ceterum vbi alienissimas  
ab eius sermone omnium mentes vidit, ut pote qui spernere ferrum, nedum  
verba norant, & fremere undique homines tanquam non hortari se, sed co-  
gi ad deditiōnem crederet, rogauit Vranacontem, ut sibi pauca cum eo so-  
lo colloqui liceret. Id quoque concessum: nam ut tum prudentia viri, tum  
constantia fidebant omnes, ut nihil dubitarent cuncta eum è publica digni-  
tate imperij, & singulorum utilitate acturum: tum mandata Tyranni  
improbis homo, quo magis poterat colore, & praetextu verborum expone-  
re caepit. Sed quum tam sordida consilia praesensisset Epirensis, interruptum  
in medio sermonem reliquit, & hominem abire confestim ex oculis iussit,  
sic totus pudore obrutus discessit, neque de donis quicquam à quoquam acce-  
ptum, prohibente praefecto, nam libido militaris haud grauate seruuolos eo  
onere leuasset. Illud tamen regio illi legato pro tot compositis verbis edixit  
Vranacontes, ne post hac ipse vel alius quispiam à Tyranno ad urbem ac-  
cedere

Venetos con-  
tatur alienare  
hostis Croien-  
sibus.

Libertas ad-  
uersis dijs non  
defendenda.

Croienses no-  
rant spernere  
ferrum, non  
tantum verba.

Colloquium  
legati Turci-  
ci, cum Vrana-  
conte sole.

cedere auderet, aut se petere ad colloquium: nam responsum aliud à se non asportaturos, prater manibus, naso, auribusq; precis, totius corporis fœdissimam deformationem. Reuersus in castra nuncius, magno accursu turba est acceptus, quod ingentibus tum publice, tum priuate desiderijs expectabatur. Quid de voluntate oppidanorum ferret, quæ unica fermè spes hominibus supererat habenda per deditiõnem urbis, tamen primo non accepta quæ reportabantur munera visa satis nihil actum ostendere, deinde audita oratio viri, & exposita pertinacia Croiensium, singulorum animis pro cuiusque ingenio tum dolorem, tum pauorem, tum furorem infudit. Senex impatiens magis explenda iræ causa, quam ulciscenda eius ignominia, ad arma, & omissam iam oppugnationem conuersus, apparari scalas, & reliquas machinas pro subsequenti die iubet. Tota fermè nox in eo vano labore consumpta, & tormenta quæque suis ordinata locis. Ad custodiam castrorum, & incursiones Castrioti, 30. amplius hominum millia, equis iuxta stratis, frenatisq; relicta. Mane sub crepusculo aurora, adductus sub muris miles, & in ipso procurfu hostium ad munimenta machinarum furor utrinque depromptus, sed fœliciores cadebant ictus nostrorum. Nam hostes tantum eos sentiebant. Barbari vero nihil suis, quam oppidanis æquiores erant, & dum depellere ciuem à tutela mœnium cupiunt, seipsum cadere, tum timore periculi auertebant. Vbi ea scintilla refedit, ad scalas ventum, ibi sicut vera apparuit virtus, ita maior longe cladis oblata est occasio, atque momento temporis nudauere cuncta sanguine, ac cadaveribus repleta sunt omnia. Non potuit diutius in seipsum crudelis esse Amurathes, licet obstinatissimo animo cœpisset dimicationem. Quare dirempta pugna velut furore correptus, querulus concessit in castra, ibiq; per totam diem senile mentum violentis manibus pertractans, atque erectis in cælum oculis, iniurios deos suos compellans conquestus est, quod caniciem suam ad hac mala, ignominiasq; seruassent, ut omnis eius antea vita, ac Ottomanum nomen penitus eo modo deturparetur, resq; omnes per tot annos à se gestas unum ignobile Epiri oppidum denigraret. Purpurati, & alij, qui proximi illi stabant, varijs sermonibus solabantur hominem, pleraque nunc vetera, nunc noua aliena fortuna, & externorum regum exempla egro nequicquam animo subiicientes. Postridie eius diei senex, licet haud satis firmus corpore, quum tam efficax dolor totum penè hominem confecisset, in dicto concilio cum satrapis (quatuor esse ferunt) duos Bassas, Romania, & Asia, & duos quos consiliarios dicunt, multum temporis consultans de totius belli summa consumpsit. In tres sententias diuisum concilium: Vna de proseguenda obsidione Croia fuit, & hybernis ibi ducendis, donec fames tandem diutina conficeret, & debellaret homines. Alia Croia relicta vniuerso exercitu insequi Scanderbegum suadebat, ita si armis capi non

Turca exprobrat infelicitatem suam dijs.

pi non posset, includi tamen fugientem aliquo loco posse, ubi fame necaretur. Vltima, quum satis tentata omnia, & expertam omnem fortunam,



neque morandum amplius per eam ignominiam, neque perdendum per indignationem exercitum diceret, legatos ad eum mittendos decreuit, qui tributarium ipsum, & vectigalem Ottomanum quoquo modo constitueret, si acceptare conditionem vellet, exigeretq; ab eo 10. millia aureorum annua. In hanc, quæ tutior videbatur discessum, quippe quum satis ampla victoria species videretur Amurathi, si priusquam discederet ex Epiro, iugum eo modo imposuisset hosti, & vectigalem sibi prouinciam fecisset. Nam continuanda obsidionis ratio ad animum non transmissa, consideranti multa hyemis incommoda, & quod prius obsidentes, quam obsessos eius rei tadia caperent. Commatuum præterea inopiam ad eam multitudinem tanto tempore alendam, & quod maximum erat, assiduas incursiones, & irruptiones hostium in castra, neque insequendo per Epiroticos montes Scanderbego terendum tempus visum, quum & periculum eo modo summopere timeretur. Quare vnus multa vir autoritatis, cui Isup nomen erat, ad id muneris electus, sed veritus senex nimis grandem forte pecuniam lusura iri Epirensi, monuit legatum, ut si subire hostis tam ingens tributum recusaret, ad quinque millia tantum rem redigeret. Vna supererat difficultas, quod incertum erat ubi castrametatus esset Scanderbegus, & in ea incertitudine peragere prouinciam ad eum quarendum ardentibus bello omnibus, non satis tutum videbatur, licet inuolabile esset legati nomen: exoluere tamen ea cura Tyrannum captiui quidam Dibrenses, qui libertate impetrata, si incolumem Barbarum ad Castriotum

Amurathes oratorem suum ad Castriotum pro pace petenda dirigit.

Inuolabile legati nomen.

f perdu-

perduxissent, solutis vinculis, lati praeuertes hominem, ad castra ire perrexerunt. Tumenistus mons primum recto itinere petitus, ibi non inuento Scanderbego, ad Isimum fluuium in ora maritima concessere, sed nec ibi repertus est: nam sublatis per eam noctem signis, in planiciem quam rubram appellant, transtulerat vasa. Quare admoniti de eo Dibrenses à quibusdam incolis loci, abeuntes inde sine mora, minus horæ unius spatio (nam parum ab Isimo distabat) illuc deuenere, & priusquam intrarent castra, unus ex ducibus, relicto non longe legato, cum socijs ad Scanderbegum concessit, sciscitatus eius voluntatem, an sui aduendi regio legato potestatem faceret. Visum primo Dibrensem, turmales ex longo desiderio in amplexus, & mixta lachrymis oscula effusi, ingenti plausu excepere. Tum impigre deduxere ad Castriotum, qui ubi vidit & audiuit hominem, eo perbenigne suscepto, nihil immoratus quosdam equites & pedites mixtos, Tansumq; cum his ad accersendum honorifice legatum Tyranni mittit. Eo in castra deducto, de mandatis quidem regijs nihil ea die relatum, nam nox instabat, sed humaniter susceptus, lautoq; insuper & opiparo acceptus conuiuio, in castris pernoctauit. Caterum iussus Moses cum expeditissimorum equitum agmine singula circum loca, saltusq; peragrans, atque augens custodias, ne per eum colorem Ottomanus aliquam fraudem moliretur, totam penè noctem eo in opere consumpsit. Orta luce, Scanderbegus conuocatis optimatibus, fecit copiam dicendi regio, ille composito iam pridem sermone, maxima arte, si modo tale quippiam persuadere liberis animis posset, sic exorsus fertur:

Oratio Oratoris Tyrani ad Epirosem.

Dedissent Dijs iam pridem hanc mentem nobis Scanderbege, quam ad te hodie tandem longis admonitis malis, serius fortasse quam par erat, attulimus: neque enim vel ipsi tot exercitus deletos, tot praeclaros duces eodem extinctos fato vidissemus, neque tu laceratum imperium quotidie in oculis haberes, & tot passim vulnera, ac gemitus tuorum exaudires. Sed ita natura comparatum est, ut ad pacem & aequitatem, nisi per sanguinem & bellorum iniurias veniri non possit. Quare a quo animo quod superest accipiamus, & has saltem reliquias melioribus Dijs seruemus. Satis inundauit per tot annos sanguine humano Epirotica tellus, sat deforme sui spectaculum amœnissima olim regio, & pulcherrima principum sedes praebet iam diu, ingentes vires, ac quasi supra mortalium vota Amurathi Dijs dedere, tibi minimas (si ad eum referas) ut libere loquar Scanderbege.

Collatio felicitatum Turcae & Scanderbegi.

Non pœnitendas tamen illas, tum militum, & tua virtus, tum (quod maximum est) facit fortuna, ut praeclare omnibus bellis ostendisti, quod & ipsi admirati saepenumero, licet in hoste, & publice, & priuatim sumus, dum superbissimos Hungariae populos & Graeciam tot bonis affluentem, tam facile perdomitam à nobis recordamur, sola gens hac inuicta ac im-

patiens

patiens dominij est reperta (nihil adolor hostis). Atque utinam ista vera non essent, quae loquor, in vos tantum, ut video, hucusque neque fortes, neque



faelices sumus. Verum enimvero hac vobis potissimum timenda fortuna Epiroenses, qua forsàn funesto exitu credulos erexit spiritus, ut velut perpetuam illius possessionem amplexi, tandem ruatis: neque tamen, si singulas fortunae vestrae partes oculis proponatis, vobis quoque parum virium, & dignitatis hoc tam diutinum bellum abstulit. Nam quamuis non multa hominum iactura hucusque nobiscum bellum geritis, Vbi Sfetigradium est? Vbi latissimus eius oppidi ager? Vbi tot villae, tot aedificia, tot praediorum ornamenta? Vbi rerum omnium facies? Cur tam fertilissima regio perijt? Vbi tot horrea annonae, qua omnes olim vicinas vrbes, & Italiae ipsam replebatis? Vbi denique (ut Sileam alia) pulcherrima Croaciae mœnia? quae ita deformata iacet, ut vix vestigia murorum, & spirantes intus hominum vultus, nedum pristinae urbis formam retinere videatur. Quid expectas ulterius? Vides quam pregnantia tibi sint malis omnia, vrbes aliae captae, aliae obsessae, caput ipsum imperij Croaciae, penè ad nihilum redacta. Sola autem hominum adhuc resistit pertinacia, quae tandem frangatur necesse est. Decreuit namque Amurathes auctis copijs hyemem ibi omnem traducere, & aliam aetatem, si opus fuerit, ac plures deinceps annos, donec fames tandem, si ferrum non possit, iniiciat iugum hominibus: sed hoc ita demum si tu quoque mali tui studiosus per eam imprudentiam allatas has ad te pacis condiciones spreueris. En ex funestissimo hoste socium te sibi, ac tributarium constituit Ottomanus, soluit Croaciae obsidionem, aufert in perpetuum hostilia signa ex Epiro, & mauult vectigalem sibi

Fame iugum hominibus injicere, si ferro non possit.

f 2 sine

Turca tribu-  
rum petit à  
Scanderbegi.

*sine sanguine provinciam hoc beneficio devincire, quam tam cruentum diutius iugum querere vobis. Perexiguum vero pro magnitudine officij onus imponitur, 10. tantum annua aureorum millia praestari sibi petit. Aliud nihil, neque vestrum querit, neque suum repetit. Potestis Epienses, potes Scanderbege, pro tot oppidis nostris in Epiro, tot villis, tot pulcherrimis rebus, quas non villo hereditario iure, sed vi ablatas tamdiu possides, istuc citra dedecus & iacturam tuam concedere Amurathi iustissime petenti. An ignobilior Epiro Peloponnesus? An Caramanus nobilitate tibi, vel potètia cedit, vel opibus? (sine reprehensione temeritatis dixerim) ceteri quoque vetustissimi, & populi nobiles, à quibus quotidie Adrianopolim tributa & quo & libenti animo afferuntur, praecipue quod hoc non servitutis loco, sed magis propter quoddam ardentius fidei vinculum imponitur vobis. Discute vires tuas prudentissime dux, discute fortunam omnem, neque hodie tam pulcherrimam occasione praeterlabi e manibus sine. Voles adhuc haec foedera, si id neglexeris, tunc cupies forte redire quum non poteris, quum mutatus rerum tuarum status, victorum quoque superbiores sentiet vultus. Sed dum tam studiosus huius rei hortator apud vos sum, magis quam par erat, pro gravitate legationis, & dignitate Amurathis in hanc partem orationis incubui, nihil tamen ideo reuoco qua dixi. Quinimmo si hostis apud vos aliquid possum precibus rogo, obtestorq; (ut dum licet) dum consilium non mutat senex, vestri pariter, nostriq; rationem habeatis. Ecquid enim creditis, huius non impetrata pacis, si id forte contigerit, dolorem Amurathis magis, an nostros animos offensurum: nostra haec proculdubio, ac privatorum capitum iactura, qui ex libidine eius haec vilia corpora huiusmodi casibus despondemus, & si vestro non possumus, nostro plerunque sanguine animum eius exaturamus, erimus quotidie in visceribus vestris, dabimus sanguinem, & hauriemus, donec tandem vel tot satietas malorum alterutros teneat, vel longa pertinacia, & fatum aliquod utrosque crudeliter absumat.*

Mortalium  
animos inflat  
res prospera.

*Nondum finierat Barbarus, quod multo murmure confusum concilium, plerique immodico gaudio, quod defatigatum iam armis suis Amurathem, & velut bello victum viderent, risum non tenuere, quum tanta pompa verborum tributimentionem proponi sibi audissent. Alij sub hac specie pacis captare Amurathem se dicentes, ut quod hostibus non posset, tributarijs olim paulatim iugum imponeret, hostiliter fremebant, neque vel vnus est inuentus (ita mortalium animos inflant res prospera) qui eam pacem, quam bellum perpetuum mallet, aut cogitandum saltim super ea rediceret: Heu quo nunc abiit ille splendor gentis, illa nobilitas animorum, eius inuicta virtutis semina? Videbant Albani laceratum imperium, vrbes alias captas, alias obsessas, auita iugera hostilibus operta armis, uxores, li-*

*res, liberos, procul à conspectu suo in timore, & lachrymis tabescentes, discerpi quotidie ante oculos corpora suorum, & manantia sanguine omnia, tamen iacere magis quisque in ea fortuna, & licet non omnino infelicem, cruentam tamen libertatem fouere malebat, quam minimam confessionem ignavia praebere hosti. Scanderbegus igitur timoris nescius inter eos sedato murmure conuersus ad Barbarum, ne animi dubium, & suspensum per contemptum ad Amurathem dimitteret:*

*Haud absimilis multum est, inquit, hac tua legatio illi, quam Aiaradinusq; dudum (si memoria teneo) attulit, qui in ipsis ferme imperij nostri auspicijs quasdam Epiri vrbes, & Macedonia partem nomine Ottomanis allatis ad id ipsum literis petijt. Proinde satis tum vobis in perpetuum credo fuisse responsum, nam neque diminuta adeousque fortuna mea mihi videtur, neque vestra sic aucta, ut nouas has condiciones proponere nobis hodie honeste possitis. Quod enim longo ordine amissum Sfetigradi oppidum, diruta Croia moenia, & corrupta in campis omnia recenses, vix id iactura loco computatur à nobis. Salua modo hac capita sint, incolumis miles, sospes populus, recuperabuntur amissa omnia, deuastata restaurabuntur, iuuantibus Dijs (mihi crede). Haec mortalium manuum opera facile & destrui, & construi facile consueuerunt, modo artifices, modo fortes dextera non desint. Sed dic quaeso, quando ita iuuat nostra enumerare, quanti empta hac vobis ad hunc usque diem sunt? Quando Sfetigradensis vrbs, licet non virtus vestra, sed ciuium superstitio eam perdidit? Quanto Croiensis oppugnatio sanguine stetit? Agitedum, nihil inuideo. Ita fortes, ita felices per omnia secula estote. Videam semper ipso ea modo signa vestra in Epiro, obsidete vrbes, oppugnate, insultate agris, corrumpite quicquid frugiferi tenet Macedonia, dum ea relinquatis fortuna vestra vestigia, ea fortitudinis ac virtutis monumenta. Quare rogare potius vos, ut non discederetis, expediebat nobis, quam vel ea pecunia discessum vestrum emere. Absit ut viuentem Scanderbegum vectigalem vobis provinciam hanc vlla videat atas, vel hominum vllus audiat. Non si totius possessionem Macedoniae, & omnes patrum nostrorum sedes restituat, non si mecum diuidat imperium Ottomanus, ea nota inuri Epiroticum nomen paterer. Frustra itaq; externa coaceruas exempla, frustra Peloponnesiacam fortunam, & Asiaticas seruitutes, ac ceterorum oculis nostris subijcis, & disertando animis inculcas, quandoquidem nullum est tam efficax exemplum, quod ad eam turpitudinem possit liberum ingenium inuitare. Nihil ulterius locutus est legatus, nec aliud quippiam hac de re contendere voluit, aut iuxta consilium senis de minori summa agere cum hominibus curauit, quum tam alienos ab ea re omnium animos videret. Dimisso igitur concilio, ductus est cum socijs apud Scanderbe-*

Responso Epi-  
prens ad O-  
ratorem Ty-  
ranni.

gum ad curanda corpora. Tum opipare acceptum, & honorifice habitum, Tanusius cum aliquot equitibus mille ferme passibus procul à castris est comitatus, ne libera militum licentia violaretur. Vix abscesserat è conspectu legatus, quod Castriotus veritus insidias hostium, si eum locum non mutasset, sublatis signis, Tumenistum copijs omnibus petijt, custodibus passim per loca exploratoribusq; intentius quàm unquam antea fecisset, dispositis. Reuersus legatus in castra, quæ in Tyranna minori positæ erant, sicut dolorem Amurathi, ita ex aegritudine morbum quoque sum-

Morbus &  
ægritudo Ty-  
ranni.



mopere auxit. Quare eo magis quotidie inualecente, Satrapa deposita quasi omni cura armorum, ad curandum senem, illiq; medicamina adhibenda animos transtulere. Sed in ea morbi incertitudine, nullum efficacius, quam verborum remedium videbatur: nam impatientia doloris contractum malum, appositis ad id ipsum solatijs erat leniendum, & noua aliqua latitia curandum. In eo statu res per paucos dies mansere, neq; non satis compos sui omnino erat Tyrannus, sed & audire suos, & alloqui satis commode poterat, atq; iubendo multa procurare, quæ in rem videbantur, donec Scanderbegus audita aegritudine eius, irrumpens bis, terq; in castra, quicquid ferme tum animi, tum corporis supererat reliquiarum exhausit. Prima & secunda incurfio ipsius vix cruenta fuit, neq; aliquid dignum memoratu gestum, quum solertijsime inuigilarent Barbari ad defendenda castra, ac omnium animi essent magis ad se tutandum, quam ad alios lacepsendum intenti. Iniecit ea res Scanderbego maiores, ac pene maximos ferocia stimulos. Igitur noctem primum ut sapius fecerat, ex se ipsa satis pa-

uoris

uoris tumultusq; excitaturam ad ea consilia amplexus, equitatu ferme omni secum ducto Tyrannam petijt, nam commodior ab ea parte erat procurso equiti, & magis opportuna iniuria hostium statua. Exacta media nox erat, quum appropinquans Tyranna, strepitu ipso eques se prodidit, tenebra maiores assueti erant, quod obducta multa nubium caligine cælum visum omnem ademerat. Itaque male potuit quippiam aduersus impetum venientium prouideri, prouisum tamen est pro tempore, ordinatusq; miles, ut exaudito, non viso hoste, sumi iudicium valuit, neque nostris, minus iniqua, suspectaq; ea habitudo temporis erat, & licet plus animi afferentibus, quam nõ expectantibus iniuriam esse soleat, tamen horror quidam inuaserat pectora, & promouere vix ullus gradum audebat amplius. In ea utrorumq; hesitatione, Scanderbegus acceptis centum non amplius equitibus ex Antesignanis, euolans è reliquis turmis maximo impetu ad lacepsendos hostes usque ad munimenta ipsa procurrat, incessansq; clamore simul, ac coniectis verutis, homines aliquot extra assignata sibi loca protraxit, concitatos ad se assequendum opprimendumq;. Sed oppressi ipsorum nonnulli sunt, reliqui sponte recepere se inter suos. Epirensis per ludificationem aliquantisper hac illac cursitans, excitare in se maiora agmina querebat. Vbi vero abire per eam inanem expectationem tempus vidit, & noctis aliquantisper tenebras appropinquante die fugari admaduertit, reuersus ad suos, abiecto omni respectu, summa ratione cum Tanusio, Stresioq; (nam Nicoses in Tumenisto cum peditatu fuerat relictus) diuidit copias, admonitisq; singulis, quid facturi essent, ducit in hostem. Nicosibus primus furor exartatus, ac maior pars dimicationis per coniectum telorum acta. Nam Castriotus timens, ne si confunderentur ordines, discrimen suorum hostiumq; periret, negabat militi cominus inferre gradum, neque ad gladios venisset res, ni regij multitudine freti, insigne agmen suorum à leua parte misissent, ut nostros medios interciperent, quos ubi aliquantulum à reliquo robore progressos vidit Scanderbegus, relictis munimentis ocijsime ad id latus conuersus, diuisis & ipse viribus, ut utrinq; pugna non intermitteretur, maximo impetu aggressus est. Non segniter primo impetu excepere Barbari, sperantes mox à castris affuturum subsidium: tamen ubi tarditate suorum dilabere paulatim vires sibi, & hosti crescere cum victoria ipsa ferociam videre, versis ad tentoria equis fuga, qua sola poterant se saluarunt, plures tamen ante fugam cecidere, simul & ex nostris nonnulli. Stresium etiam Tanusiumq; iam exoriens lucifer & inualecens semper vis hostium terga vertere coegit, inscuti ardentissime hostium ordines eam nostrorum paucitatem essent, sed ne animum Tyranni offenderet, abiecta cupiditate ultionis ad damna sua recensenda sunt conuersi. Præter eadem alia deformatio castrorum non fuit, neque præ-

da quip-



Opinio pur-  
puratorum &  
fatrapum, ad  
valerudinem  
Tyranni recu-  
perandam, &  
ad repellēdos  
Castrioti im-  
petus.

da quippiam ablatum, nisi aliquot privata occisorum spolia, nam pro vallo non intra munimenta & ceptum & finitum est certamen. Purpurati maximo consilio calauerunt eam cladem Amurathem, ne maiora praeberent alimenta dolori, tamen nihil sollicitum senem fefellit, quod & publicum murmur, & privata vulgi querela facile eam calamitatem inclinatio ad male suspicandum animo, prodidit. Hostis captato tempore praetorium ipsum cruentis signis irrumperet, relinquere obsidionē, & ceptum tanto odio bellum pudor prohibebat. Suadebant tamen nonnulli Tyranno, ut maiori parte copiarum Croia relicta, ipse Adrianopolim repetens, salutis suae consulere, abituram quoque vim omnem morbi, si ex eo calamitatis spectaculo, & cruentissimo hostium aspectu abiret, sed ingravescente quotidie malo, & deficiente paulatim spiritu, sensere omnes eam violentiam facti nulla satis posse loci mutatione, nulla ope, vel consilio humano excludi. Quare licet iuuasse medicamentis (ut nunquam mortalia pectora spes deserit) confectum corpus non desinerent, velut orbat magistro nautae, pro se quisque procurabat omnia, quibus saluari ab ea tempestate exercitus posset sublati, tentoriaque late dispersa magis obnoxia iniuria, & opportunitiora hosti erant, angustiore circulo redacta sunt castra, firmataque maximo & armorum & armatorum robore munimenta, sic omnibus ordinatis expectabant, aut mortem Tyranni, quae finem tunc armis faceret, aut valetudinem forte recuperatam, quae eam obsidionem nouis consilijs stabiliret. Nihil horum latebat Scanderbegum, nam tum ab exploratoribus visa omnia ponebantur ante oculos, tum caetera magis intima hostium consilia, à transfugis aperiebantur, quorum plures quotidie ad ipsum & reliquas urbes confugiebant, maxime ex quo credi expectari, indubitate mors regis vulgo cepit. Epirensis itaque aduerso ab assuetis irruptionibus animo, reservabat & ipse ferociam omnem in mortem Ottomanī, tamen per Crainum montem pergens interdum, noctuque, saepe Vranacontem alloquebatur, crebris quoque agminibus oberrans per colles vicinos, si intercipere seruitia aliqua exercitus posset, vel eo solo aspectu dolorem hominibus incutiebat, sed modicum temporis in ea rerum cessatione, & hostium mœnore & expectatione abiit: nam Ottomanus illo triduo expirauit. Ferunt tamen eum, quum adesse iam sibi extremum vitam diem sentiret, lectulo cubantem multa cum purpuratis suis longis querelis egisse, quod tam sordido exitu fata omnem suam antea vitam tenorem sugillasset, ut qui totiens Hungaricam ferociam inhibuisset, & insolentiam Graecorum cum ipso penè nomine sustulisset, sub ignobilis castelli mœnibus & oculis tam pudendi hostis, infamem reddere spiritum cogere. Deinde ad Mahumetem conuersum, commendasse maximo studio illum fidei suorum, monuisseque multa, cum nunc audientibus alijs, nunc summotis arbitris, licet & defectum iam

Vitima Amu-  
rathis verba,  
eū proximus  
esset morti.

viribus

viribus corpus, & manantes ex aspectu filij per ora lachryma senis vocem impedirent. Illud saepius iterabat, contemnendum nunquam hostem, de eo se uno penitentiam toto vitæ tempore egisse, & apud Tartara (si modo extincto corpore pars vlla hominis remaneat) post hac acturum, quod per contemptum paulatim educato hoste, eam sibi ipse calamitatem, & notam in perpetuum, Ottomano nomini inuississet, dum tam sordide sub Croia mœnibus extinctum, totus terrarum orbis, & omnis deinceps atas velut fabulose referat. Opprimendum tum transfugam fuisse, quum per scelus illud in Hungaria sceleratum vindicauit imperium. Tum in ea rerum nouitate, & nondum firmatis populorum animis, deleri incruentis fermè omnibus suis cum nomine ipso hominem potuisse. Non Alybassam, qui primus alimenta ferocis eius & felicitis auspicia fortuna dedit, non alios fuisse mittendos, quibus tum captis tum occisis, ea & viriū sibi fomenta, & fidem apud subditorū ingenia perstruxerit, ut ipse totiens tanta ignominia, & imperij laceratione vix fando isthac crederet, nisi experientia magistra suo malo edoctus esset, 160. amplius millibus armatorum dicebat, intrauimus Epirum, & hic confedimus. Nunc si vacat, conferte capita, discutite omnia, animaduertetis quantum de summa sit detractum, non poterat homines tenere locus. Hodie quot tentoria vacua? Quot errantes sine dominis equi? Quam diminutis longe copijs Adrianopolim repetetis? nam spiritū hunc Epirotico solo deuouere fata. Sed quid impedimenta, casusque fortuna imputo mihi? tum enim primum hac malorū semina orta in Epiro, at quantis cum tot bellorum motibus ardebat Hungaria, Eugenij, ac caeterorum Christianorum concitans in nos arma? Quum non de Epiri, sed totius possessione imperij certabatur, ut Varnenses, Basiliensesque labores praebent omnibus documentum. Ita dum ad tot negotia neque tempus, neque vires sufficiunt, creuit hic hostis, ut videtis. Quomodo autem posthac cum eo, quæue arte belligerandum sit vobis, consilium à me expectare non debetis, qui tam iniquus mihi ipsi estimator in rebus omnibus fui. Nunquam magis cogitatus meos fefellit fortuna, felicior tu forte bellator contra eum futurus. Mahumetes, & pro tot datis honoribus mihi, Epiroticum forsitan tibi triumphum seruariere Dij. Accipies itaque sceptrum hoc, & alia regni insignia fili, ac interea praecipue hostem hunc, ne inultam mortem hanc sinas, id unū pro tam amplo honorificoque patrimonio tibi sumito, eam solum victimam seniles manus exposcunt. Posthac dicta obmutescens, dimidium ferè eius diei in angustia spiritus consumpsit, tum obortis ante oculos tenebris, petitam tot Christianorum odijs animam exhalauit. Operaprecium nunc est audire hæc, & videre eos, qui tanta mercede rerum humanarum statum licentur, & credunt, ita concedi alicui posse perpetuam fortuna possessionem, ut non aliquo temporis momento interpellari queat.

Amurathes  
moricur.

Fortuna possessio non est res perpetua, *ri queat. Quid Amurathe quondam maius? Cui splendidior fama & iri* (caterorum venia dixerim) *toto orbe terrarum extitit? Qua attestatio*



Gesta Amurathis sub compendioso recensita.

Corinthi Isthmum Heximilium vocant.

fortuna fuit? Quis speciosiores ea aetate triumphos tulit, & tot victorum regum, ac superbissimorum populorum spolijs obsoletum iam Ottomanum nomen, ac Barbaricas domos ditavit? Hic domestico furore inhibito, ac fraterno sanguine (ita regni libido licere omnia facit) sumptis fortuna auspicijs, primus insanienti Gracia libertatem extorsit, & fixo in visceribus eorum imperio, acceptisq; inde virium alimentis, deinceps ceteros populos Christianos tot afflixit calamitatibus, ut eas enumerare sit difficile. Hic primus murum Gracorum in Peloponnesi faucibus iuxta Corinthi Isthmum, quem Heximilium nunc vulgo appellant, diruit, & per viam sibi undequaque Europam fecit, qui tot regna in Asia, vrbesq; nullo hereditario iure, sed virtute sola obtinuit, exercitus fudit, reges bello vicit, atque superavit. Qui etiam rege Hungarorum occiso, Hunniadem ingentis nominis ducem, ac bellatorum illum strenuissimum non semel fugavit, easq; fortuna sponsiones animo voluens suo, totius orbis terra dominium, ac Christiana imperia omnia spondit sibi. At nunc quam dispar hominis animus, quam antea acta vita dissimilis oratio fuit, ut tam sordide in oculis contempti olim hostis conqueri, & gemere tam fœde sit auditus. Quo inuicti illi spiritus, & imperiosa vox abierat? quam tot duces, legiones, tot armatorum millia, timidis auribus audire. At nunc quam alius hominis vultus, alia facies, aliud spectaculum? Vbi caput illud tot decoratum triumphis? Vbi insignis sceptris dextera? Iacet de-

cet deforme cadaver, compressa manus, exporrecti pedes, qui tot gloriose terras victrices calcarunt, neque quippiam de tot bonis, tot laudibus caducum sibi corpus retinet. O imbecilem humanam naturam conditionem. O inanem mortalium gloriam. O cæcas hominum mentes. Quid iactamur? Quid extollimur? Quid est quod dignitates, opes, potentiam, tant opere flagitamus, perpetuo scilicet his frui cuiquam datum? O mira rerum mutatio, fluxa humani imperij gloria, & ludentis fortuna iocus. Corpus eius unguentis, aromatibusq; conditum servatum ornatisime est, humandum postea in Bursa Asia oppido ex more gentis.

Mahumetes mox rex salutatus, mors senis, quo magis potuit silentio tecta est à purpuratis, ne eius rei fama ad hostes transiret. Per noctem collectis vasis, ac paratis ad discessum omnibus, incerta adhuc luce, sublata sunt signa. Mortuum autem Amurathem ferunt circa autumnum dimidium, quinto, postquam obsideri cœpta fuerat Croia, mense. De illius vero aetate variant homines, sed nullus quintum & octogesimum annum attigisse negat. Inuitus profecto Mahumetes eam obsidionem, & tam ignominiosum bellum reliquit: sed coactus est ire Adrianopolim ad veterem morem in sumendis fascibus servandum, & seditiones, si qua (ut fit) in ea rerum mutatione orirentur, extinguendas. Non deseruit vestigia eius Scanderbegus, nunc vrgens, nunc carpens postremos, donec egressum omnes imperij sui fines vidit, tum duplici ovans letitia, & Amurathem tam ignominiose de medio sublatum, & fugatas hostium reliquias videret, ad suos reversus, Croiam recto itinere petijt. Oppidani iam ingenti desiderio cum Vranaconte vrbe egressi, madentes adhuc sanguine campos, & possessa tamdiu ab hostibus loca oberrabant, morabantur ubique, perlustrabant omnia, vix visis singulis ac perscrutatis satis credentes sibi, ita infixus iam pridem horror viris, nondum suspensa pectora reliquerat, Scanderbegus maximo concursu vulgi exceptus est. Vranacontes primum inter multos amplexus deosculatus, ceteri deinde ex more, vulgus nunc ad pedes ducis prolapsus, nunc vestimenta eius apprehensans, cupida (ut solet) illis oscula figebat. Quantum magis potuit, ab ingenijs humanis clamore, cantibus, & omni genere instrumentorum expressa letitia est, non campanarum tinnitus, non perennes tota nocte accensi ignes per multos dies cessare, conuiuia, epuleq; per totam urbem, vicisq; omnes & compita lautissime celebrata. Croienses pro fideli opera, gestisq; rebus, egregie sunt tum publice, tum priuatim laudati, presidio ultra prefixa stipendia ingens pecunia, ac vestimentorum magna vis erogata. Vranaconti præter aurum argentumq;, clamides duæ purpureæ, unaq; auro contexta dono data, & quatuor deinceps villa. Postremoq; non expectatis fascibus decoratus est, ac totius Dux Aemathia designatus. Sed illud in primis à

Deploratio humanæ imbecillitatis:

Mahumetes inuitus redit Adrianopolim.

Scanderbegus excipitur à Croienfibus.

Vranacontes dux Aemathia.

*Castris non omissum, quum eius victoria nuncios ad omnes principes & populos vicinos mitteret: quare ingens undique concursus quotidie erat,*



multi quoque ( ut fit ) noua tantum fama rei propter mortem Amurathis exciti, tanquam ad insuetam aliquam pompam spectaculi uenere. Peruagauit is rumor breui totum ferme orbem terrarum, non expectatior tum, non letior nuncius Christianis omnibus esse potuit. Respirauit Hungaria, recepit Gracia spiritum, ac laxata uelut sibi credidit uincula, omnium animi inani illa spe sunt erecti, dum eam regum mutationem, fortuna quoque sua statum expectant innouaturam. Heu fallaces cogitationes, & miseriora miserorum refugia, sublatum uidimus Amurathem, defuit ne ideo cruentior heres? Huus certe nobis interitum post longa tandem mala lachrymis nostris concessere fata, idcirco ne cum Mahumethe nostra abiere sordes? extincta calamitas est? Cöpressis scilicet manibus sedemus, mutuis inter nos odijs certantes, & ea uana credulitate mortalem cum unius hominis capite tantam hostium fortunam credemus? Facturi tamen tum demum, & praepropere forsitan ( quod ominari horret animus ) finem querelis, facturi malis sumus, quum & reliquarum nostrarum finem faciemus. Verum enim uero nunc lachrymis omisissis, breuem hanc leticiam cum ceteris sequamur. Iam certatim gratulationes ad Scanderbegum, uel ab externis gentibus aduolabant, diffusumque, praecipue tunc est per ora populorum celebre uiri nomen. Croia morte Amurathis tunc nobilior, quam Argos olim Pyrrhi morte reddita: sed ad eas gratulationes, ingens quoque à Christianis ducibus gratitudo, & animorum munificentia accessit. Nanc

Gratulationes ad Scanderbegum ab externis gentibus.

que

que Nicolaus tum Romanus Pontifex, Ladislaus Hungaria rex, & Philippus Burgundia Dux legatos contentione quadam ad eum cum ingenti auri argentiq; pondere miserunt, quum satis scirent eum tam longis bellorum incommodis exhaustum, tali auxilio indigere. Alphonfus quin etiam Arragonum rex ( utpote qui longo ceteros interuallo in amando Scanderbego superabat ) ad maximam pecunia summam illud quoque addidit, ccc. millia modium tritici, c. hordei, quum audisset sementem fieri prohibitam ab hoste in Epiro, & qua facta fuerat corruptam. Multos quoque artifices pecunijs suis conductos, ut Croia muros instaurarent, quos dirutos à Barbaris nouerat, misit. Castris instructis ludis omnis generis, ea pulchritudine spectaculi famam ipsam victoria mirum in modum auxit, alter iam exercitus sub Croia uidebatur, tanta undique multitudo confluxerat, non spectatorum tantum, sed lectissima iuuentutis ad proposita sibi premia expetenda, non uidebatur usque adeo mirabile hominibus fractas ab Albanis fuisse vires Amurathis, intuentibus eam militarem atatem, & uirorum robur circa Scanderbegum aspicientibus. Redierat uere tunc uetusta nobilitas Macedonia, & secula illa Alexandri, Pyrrhiq; iam obsoleta, in integrum restituta uidebantur.

Nicolaus Pontifex Romanus.


Ladislaus Hungaria rex.

Seculo Alexandri & Pyrrhi nobilis Macedonia. Vide Plutarchum.

HIC BELLI FINIS CVM AMVRATHE FUIT.

g 3

MARINI



MARINI BARLETTI SCODRENSIS SACERDOTIS, DE VITA ET GESTIS SCANDERBEGI Epirotarum Principis, Præfatio.



Italica fortuna. Apuli triumphus.

Cur nouâ hic posuerit præfationem.

VO studium me istud scribendi longius prouehit, eò crescere magis cum magnitudine ipsa rerum labores video mihi. Et nunc ex vero (quod in principio operis testatus sum) consideratam illam suspensionem, non inanem timorem in hoc onere suscipiendo, ipso rei experimento fuisse agnosco. Nam licet aliquam partem itineris emenso, imminutus quoque paulatim labor fouere spe animum deberet, & maiores ad reliquum exoluentum corpus, expoliendumque subdere spiritus, non ideo minus me hoc onus conficit, quum & progredienti longius deficiant vires, & peractæ iam viæ incommoda, quæ solatium aliquod peragenda posthac afferre deberent, è contrario ipsa laboris extimatione atque memoria, non contemnendum incutiant timorem, quum nihilominus ardua difficiliaq; mihi restare nunc video. Quis enim (vt Italicæ fortunæ, & Apuli triumphus nulla sit habenda ratio) bellum cum Mahumete gestum, illi quod cum Amurathe decertatum fuerat prius, vlla sui parte, vel rerum, ac periculi magnitudine, vel longitudine temporis, vel causis ipsis comparauerit? Quippe quum toties non incurrentis Epiroticis signis de summa imperij sit certatum, & ad externa confugientes auxilia nostros aliquando viderimus, neque res vlla finem armis, nisi mors alterius fecerit. Causas vero eius odij acriores omnes hic fuisse quis neget, & singula ad hoc bellum maiora præbita alimenta, quum amissa tantum possessio Epiri, & accepta in parte imperij damna, Amurathi arma induerint. Mahumeti non hæc solum, tamdiu pertractata, & veluti iam cocta, verum recens patris fatum, & intolerabilis iniuria, rabiem verius quam & furorem iniecerint. Huius præterea tum ætatis impatientia, tum suapte natura ferocingenium, & sitiens sanguinis, præcipue Christiani animus, omnem cupiditatem, fauitiamque paternam facile superauit. Nam ad imperium quantum addiderit, indeque paribus viribus ac odij in nos sit inuectus, Constantinopolitana fortuna (vt fileam alia) satis efficax documentum præbere potest. Quare non ab re censui, tanta rerum molimina præcensione aliqua in medium deducere, & noni hostis apparatus, noua etiam præfatione recensere, atque ita paulatim nunc ventis, velisque, nunc remigio, velut nauæ faciunt, alta æquoris secans, ad præfixum animo signum properare. Vel sicut onere aliquo, & labore itineris pressus viator, nunc refocillat vires, nunc alternis manibus, cernice, humerisque, gestat pondus, nunc trahit, donec præstitutum attingat locum, ita ipse nunc amœnis diuerticulis consulam mihi, legentibusq;, nunc si aliter nequeam tractum pedibus (vt aiunt) onus qualcunquæ exitu claudam.



MARINI

MARINI BARLETTI SCODRENSIS SACERDOTIS, DE VITA ET GESTIS SCANDERBEGI EPIROTARVM PRINCIPIS, Liber Septimus.



YRANNI mors Adrianopoli audita, creditaq; varios animorum & rerum motus excitauit. Optimates urbis ( utpote qui nunquam vel imperium, vel fortunâ Amurathis fastidierant ) maxime eo nuncio indoluere, ac luxere diu senem, tum ob communem iacturam ( nullus namq; ad eam diem Ottomanæ gentis vel charior suis, vel iustior in hostes feritur fuisse ) tum quod eam regum mutationem non sine multis priuatorum incommodis futuram sciebant. Præseruida tamen ingenia, rerumq; nouarum cupida, nullus satis profecto tetigit dolor, quin erecta sunt magis & in spem adducta, quum Mahumethis & ferocis ingenij, & adolescentis sceptrum longis iam pridè votis exoptassent. Vulgus suapte ingenio avidi nouarum rerum mutationisq;, maxima letitia nunciata audiuit, indeq; Ianizari, qui filij Principis appellantur, armati per urbem peruagantes ( ea enim licentia, vel peruersa potius consuetudine, in funere Regum gaudent ) multa priuatorum

Motus atque tumultus in Adrianopoli ex morte Amurathis.

Ianizari filij principis bona, Christianorum praesertim, atque Iudaeorum, quorum inuisa Turcis nomina, impune diripiunt. Confluxerant praeterea, & confluebant indies ex omnibus partibus homines ad eam nouitatem rerum, & nouorum fascium spectaculum uidentium. Quare uenienti cum exercitu Mahumethi, incredibilis prope multitudo obuiam processit, sed Ianizari quos diximus, primi omnium, a quo quum ex more ueniam scelerum, & rapinarum factarum in urbe aequae facile, ac petiere impetrassent, acceptum deinde intra moenia ingenti latitia, ac magno plausu vulgi in regiam perduxere. Tum ab omnibus summus princeps conclamatus, & ornatus diademate, sceptroque, ac ceteris regis indumentis, in sedem paternam multis supplicationibus populi, votisque repositus est. Aerarium, Aresauci, ei eodem tenore traditi. Obedientia a purpuratis & nobilissimis quibusque iure iurando promissa, aurum, argentumque passim per vicus omnes diffusum, ac militibus magna vis pecuniarum erogata. Ita vetustus mos gentis, & solennitas in faciendis regibus ex parte seruata est in Mahumethe, ex parte non seruata. Nam primum omnium consueuere principes Turcarum filios, vix dum pubertatis annos egressos, procul a se, & extra Europam in longinquis Asia locis tenere, illa forsitan ratione, ne (quae vix ullam satis praeterit atatem, personamque) regandi libidine parentibus insidiantur. Quum vero rex ipse moritur, vel morti creditur vicinus, Satrapa & alij, quorum maior autoritas ad populum, & cura imperij, atque rerum publicarum, prout quisque affectus est regia proli, nuncios, literasque alij ad alios mittunt, monentes de singulis, & sollicitantes aduentum illorum ad modo non iacens sceptrum occupandum. Quinimmo ea contentione purpurati, dum amiciori sibi quisque ex regis liberis imperium seruare querit, literas inter se, nunciosque latenter adhibita fraude intercipiunt, ne celeritate ab alijs praeueniantur. Nunc alijs relinquo cogitandum, quibus votis, quo libidinis aestu, iuuenes admoniti ad eam magnitudinem praemiorum undique proruant. Tamen qui primus littora Helleponti contingit, vel ei regni insignia manent. Nam prodeuntes obuiam, Ianizari cetera deinceps (ut narrauimus) per securum ocium in eius potestatem redigunt. Ceteri fratres propelluntur extra omnes imperij terminos, vel interficiuntur, ne aliqua seditionis causa supersit. Vnde fluxit illud apud veteres: Felicius priuatis, quam regibus liberos nasci. Ceterum istorum nihil Mahumeti contingere potuit, quum neque alij adessent fratres ad gubernacula imperij apti, neque ipse priuatus ex Asia, sed magnis viribus ex hostili solo referret signa, ubi primum (ut dictum est) militari consensu, & totius exercitus sanctione rex fuerat designatus. Quare praeter tumultum, periculumque vultum, quietissime imperio est potitus, neque ea laticia populi multis diebus intermissa. Abierat iam cum dolore ipso nuper amissi ducis memoria, oblitus recen-

Mahumetes  
fit rex Turcarum.

Constitutio  
Turcarum principum, ut liberi longissime ab sint a parentibus.

Felicius priuatis quam regibus liberos nasci.

recentis ignominia, ac Epirotica fortuna omnium animi, euauerant recentes clades, ac fumantia adhuc funera sociorum, vixque ullus deformati reliquias exercitus, praeter ea noui spectaculi pompa vidit, vel succurrit desipientibus laticia, quod virorum robur, quam speciem ordinum misissent in Epirum, & quam recepissent. Ceterum impatiens ocij, ac insita ingenio crudelitate Mahumetes, ad res imperij alias firmandas, alias innovandas conuersus, primum omnium inuestigauit, an proles alia extaret ex Amurathe, & frater ullus sibi alicubi terrarum educaretur, in quem ex more gentis ageret, & regium odium expleret. Obtulisse ferunt Calapinam (ut noui animum regis conciliaret sibi) infantem Calapinum nomine, sextum agentem mensum, quem ex Sponderbey nobilis viri filia nouiter in matrimonio sibi iuncta susceperat Amurathes, & moriens fidei hominis commendauerat. Mahumethes ubi adhibitis peritis mulieribus, certam patris sobolem esse cognouit, necato illico infante, funus eius honorifice egit, sicque diuina auspicia regni sanguine fraterno consecrauit. Alij pro Calapino alienum puerum suppositum a Calybassa dicunt, educatumque illum, & postmodum cum reliquis naufragij Byzantini Venetias allatum, ac deinceps Roma Calyxii temporibus sub custodia in aula Pontificum fuisse. Ego neutris assentior, sed vix tolerabilem errorem in omnibus inuenio, quum non videatur simile vero, ut Amurathem octogessimum iam egressum annum, generasse filios dicamus, ni hanc tam raram liberalitatem natura nostra senserit atas, quam in Masinissa illo, & Catone prisca experta sunt secula. Vt cum sit, haud in magno discrimine pono, dummodo quod re ipsa fuit, diluceat. Libenter namque neque ipse errare vellem, neque alios reprehendere, sed ea est historia norma & lex, ut uersanda discutiendaque, multa falsa, mixta ueris sint, quo velut in purgatis aquarum rimulis, nitidior haustus relinquatur ad haec nostra properantibus. Sequitur eam sententiam Mahumethes (ut nihil penitus de sceleratis eius iniurijs omittam) nouis quotidie criminationibus in purpuratos domesticosque confectis, & nonnullis eorum crudeli supplicio sublatis, breui (quod iam pridem priuatus agitauerat) formidabilem se magis quam regem decet, ac inuisum propere populorum animis fecit, veterum sanctiones, ac instituta maiorum, & leges ipse suas domi forisque, nunc corrigendo, nunc supplendo omnes ferere innovauit. Nouis uetigalibus subditos onerauit, & ad copias augendas, ac aerarium locupletandum magis quam alius quisquam animu intendit. Nam (quod ad reliqua attinet vitia) inter ceteras eius sordes, auaritia quid maximum numeratur, ut in vestitu, uictuque parcissimum fuisse dicant, sagacissimum supra hominem ingenium, ac cupidissimum rerum magnarum nemo illi non ascribit, crudelitate, & ferrea (ut aiunt) uirga omnes excessit mortales, modicum discrimen inter suos extraneosque fecit, vix mitior domestico quam hostili sanguini, perfidia in

Calapinus  
Amurathis filius  
necatur a Mahumethe.

Autor diuersae sententiae est.

Historiae norma & lex.

Mahumetes magis se formidabilem, quam regem declarat.

Auaritia Mahumetis.

Dotes bonae & malae Mahumetis.

Historiarum  
amator.  
Astrologus.Hostis latro-  
num & præ-  
donum.

dia in homine maior non inuenta, non fidem ulli, non promissa seruauit, sed nõ illecebris, omniq; libidinum genere ferox animus abstinuit, tamen sine controuersia tum peritus, tum fortis bellator, laboris ac uigiliarum patientissimus, religionis simulator non ineptus, uinum de more gentis nõ bibit, linguam, literasq; Græcas, Persicas, & Arabicas calluit, historias uersare, audireq; amor illi in uniuersa uita fuit, astrorũ ac syderum precipuus obseruator, ut omnia acta, agēdaq; sibi ad eorũ cursus referret, neq; defuit scuitia illius mixta quoque quædam seueritatis ac iusticiæ species, ut per uia omnia, tutissimãq; itinera eo imperante essent, abolitumq; penitus latronũ ac prædonum nomen. Et (ut habitum etiam ipsum oris, corporisq; perstringam) mediocris, uel modica potius statura, tam ingētes claudebat spiritus, uultus animo non dissimilis, aspectusq; toruus, terribilis, nasus obscurus, pallidus color, corpus quadratũ, ac membra robustissima, eaq; uis brachiorum, ut olim quũ apud Amurathem patrem Scanderbegus ageret, ex omni regia inuentute in arcu tendendo a solo eo adolescente adolescens superari uix pateretur. Magis fortasse quam par erat, ad Mahumetẽ intendimus animum, quandoquidem non eius mores, uitamq; sed Scanderbegi scribere promisimus. Voluit amen in hoc cõmunis uoluptatis rationem habere, quippe quum non ingrata hac posteris qualiacunq; futura putem, ut tam præclari ducis, & hostis alioqui nominatissimi, interiorẽ, exteriorẽq; habitum hic uelut in speculo positũ haberent. Quũ neq; minima pars laudis nostri ducis in eo uerfetur, & eò magis fortuna, uirtusq; eius spectatior reddatur, quò magis hunc nunc deprimimus merito, nunc extollimus.

Instauratio  
urbis Croia.Comparatio  
ætatis Scan-  
derbegiad  
hanc nostramBombardorũ  
usus utinam  
non esset.

Dum sic hostium animi ad noui principis contemplationem essent conuersi, & eius cura ad domesticas res transmissa, Castriotus interea instauracionem Croia, & murorum reparationem maxima diligentia aggressus, totos dies in eo opere consumebat. Munimenta uetera, quæ partim diruta, partim quassata, nonnulla etiam demolita erant, omnia renouauit, auxitq; & in elegantiore firmioreq; speciem reformauit, quã ab antiqua simplicitate fuerant constructa. Quum nullus tormentorum usus, nullum machinarum inuentum, urbium salutem tunc infestabat, in militum tantum pectoribus, & fortium uirorũ dextera omnia bellorum munia erant reposita. Atq; utinam adhuc tam insignis inuentor artis lateret, & eo munere nostra carerent secula, plures fortasse Hectoras, plures Epaminundas, plures Scipiones haberemus, neque tam prompta deditio ciuitatibus esset, & passim ad perfidiam fidelissimorum populorum animi cogerentur. Quod si prisca tempora id genus insidiarum sensissent, non eousque uel militum, uel ducum processisset uirtus, non occisi laudem Hectoris Achilles, Aeneas Turni, Tolumnij Cossus, sed humilis aliquis de plebe uir, & vile mancipium habuisset. Non decennalis obsidio Troia totius penè orbis

oculos,

oculos, uiresq; in se conuertisset, & per omnes ætates tot præclara ingenia excitasset ad scribendum. Non Tarentinam tam diutinam oppugnacionem miraremur, Segnium, Saguntum, Numantiaq; celebrarentur. Tacetur Petilia in Brutijs, non Pœni ducis furorem obscurum Casilini oppidum totiens contempsisset. Itaque quantum dedere inuentis suis hinc nobis (ut aliàs multis laudibus extuli) materia ad scribendum præclara nostrorum temporum ingenia, tantum abstulere inde, uel multo magis quidem. Iam non amplius uera apparere uirtus potest. Nullum gladio, nullum scuto artificium, omnia isthac uana, irrita omnia. Quid melius? Erminus geruntur bella. Sedendo nunc omnes uincimus, quod de Romanis tantum olim dici consueuit. Caterum ut unde egressa est, eò redeat oratio, ad portam ipsam urbis, turrim ingentem solidissimam construxere, non tamen prærecta facies murorum relicta, ne opportuna iniuria esset, sed uelut iacens, ut facilius eluderet ictus machinarum. Nos a forma pedis scarpam uulgari magis proprio uocabulo eam appellamus. Tum reliquæ partes urbis intus, extraq; nunquam intermisso opere, summa ratione reficiebantur. Inter hæc agenda purpurati, ac principes consanguinei Scanderbegum

Vera uirtus  
apparere ne-  
quit.Sedendo uin-  
cere.

quiescere non sinebant, cupientes iam ad magis domesticas res, & curam prolis suscipienda animum eius traducere, quum libera metu omnia dicerent, exhausta pericula, hostes tum recenti clade, tum nouis rerum motibus, & mutatione regis ab omni belli cura auersos. Non desistendos ulterius eo gaudio populorum animos, ac subditorum uota. Lata præterea fore omnia, festiuãq; tempus ipsum anni (erat enim mensis Maij, quo cun-

h 2

Etã ri-

Et ridet atque reflorent id suadere. Pateretur aliquando & ipse in eo vinci, gratum magis id suis futurum, quam memorabilem victoriam de Amurathe, & omnes ferme res ad eam diem bello gestas. Castriotus quamuis inuitus eo se velut vinculo illigaret, tamen singula consideranti magis è dignitate utilitateq; id facere visum, neque reuocare id sibi integrum videbatur, quod priore anno itidem sedulo petentibus fuerat pollicitus. Proinde nihil recusans, totius rei arbitrium ad Musachium Topiam sororium suum, & paucos consilij participes detulit: erat ea tempestate Harryanites comitatus (de quo aliàs diximus) inter omnes regulos Epiri, tum imperij amplitudine, tum vetusta generis nobilitate præcipui nominis, non indigna eo patre puella Donica, iam pridem sermonibus omnium innotuerat, forma (quod non ultimo loco in feminis spectari solet) elegantissima. Quare nulla vel Scanderbegum cura de alterius nuptijs, vel Harrianum de eligendo alio genere incesit, cuncta inter eos æque facile, ac cogitata fuerant, acta transactaq;. Dos ad arbitrium socii relata, & eo statuente accepta, digna quã & ille daret, & hic acciperet, festiuitas nuptiarum nõ dilata à Scanderbego, sed eodem tenore & ducta in domum uxor, & solita leticia impartita populo. Principes vicini, ac quicquid ferme usquam fuit Epirotica nobilitatis, aut ipsi maxima pompa, & munerum magnificentia ei spectaculo affuerunt, aut gratulationes, nunciosq; cum lepidissimis misere donis. Gaudebant omnes duos potentissimos Epiri principes inter se eo nexu affinitatis iunctos, quod in posterum has vires unitas seruaturas ab omnibus iniurijs bellorum, periculisq; prouincie statum facile apparebat. Veneti magistratus, tum legationibus, tum muneribus ex publico gratissimi Senatus voluptatem in eo ostenderunt, ac ceteri deinceps principes benevolentiam ingentem, quam in aduersis aperuerant, in festiuis quoq; (quæ duo esse tempora probanda amicitia dicit vulgus) cumulatissime sanxere. Ab Alphonso ita maxima omnia allata sunt, ut recusasse accipere Scanderbegum dicant, coactum tamen à purpuratis & legatis ipsis regijs accepisse, dedisseq; ad eum alia nõ minora, equos, seruos, & cetera (ut consueuerat) Barbarica ornamenta, ac deuictorum hostium spolia. Acta itaq; ea festiuitas parifama, atq; pompa est: nam ad hac ludi varij generis cum excellentibus premijs propositi, cupidã undecunq; gloria iuuentutem excitauerunt, & auxerunt maxime eo spectaculo formã rei ipsius celebritatem. Mahumethem neq; instauratiõem Croie, neq; eorum quippiam latuisse dicunt, ac libenter fuisse leticiam nostrorum perturbaturum, sed domesticis rebus occupatum, quum semper agri aliquid in nouo regno oriretur, tum ad cumulandas pecunias, & ararium locupletandum intendentem coactum ab ea cura abstinere: tamen inter minandum (ut dicacior erat) appellasse infelices nuptias, & breue miserorum gaudium, quum omnia funestissimis

Musachius  
Topia sorori-  
us Scanderbe-  
gi.

Duo tempora  
probãda ami-  
citiã.

funestissimis pensanda lachrymis prapropere diceret. Scanderbegus, quod unum restabat, accepto non ignobili armatorum agmine, cum noua nuptia aliquot dies in obequitada prouincia, & peragrandis imperij sui terminis, ac visitandis urbibus, locisq; singulis consumpsit, id quod multis iam annis propter assidua hostium impedimenta, & incommoda bellorum exequi non potuerat. Effusa undiq; multitudo, ac prouinciales passim certa emulatione in eorum aduentum noua genera spectaculorum depromebant, conciliare pro se quisque varijs officijs animũ domina, & sic ad Principem ipsum aditum parare studebat, nemo contemptus est, nullus affectus spreus, accepti pari vultu, & hi qui plenis, & qui vacuis deficiente fortuna manibus, sed prodigijs tantum animis venere. Inter equitandum, & perlustranda singula Castriotus, quum ad Macedonia vestibula, & ipsos quasi imperij sui limites in Dibra inferiori venisset ad locum, unde maxime Barbari irrumperere in Epirum, & repentinis excursionibus impune lacerare res agrestium, atq; incautos opprimere consueuerant (nam licet non solus ille aditus pateret venientibus in Epirum, solus tamen ferme commodus, & ab ea potissimum parte nostri quoque infestare hostium agros solebant) statuit omnino in ea quiete, & ocio rerum, aliquo ingenio talem occasionem tollere hosti, & salutem suorum prospicere. Mons erat, Modrissum incolæ appellant, arduus atque præruptus, sines Turcarum propter sui altitudinem late prospectans. In eo castellum adificare, & implere armatis in animo statuit, qui crepitu tormentorum venientes hostes proderent, eiusq; loci propinquitas unum ex fuga receptaculum suis esset, rem iam pridem conceptam, & procuratam omnibus modis, intermissam tamen propter assidua bellorum impedimenta. Fequitur nihil moratus, præcipue quod non diutius vel ipse delicijs marcescere, vel militum animos ocio & luxu immergi volebat, Croiam petijt, iam ad calcem urbis instauratio peruenerat, & reliqua opera murorum completa erant. Acceptis itaq; cementarijs, & maiore parte artificum, simulq; quatuor paulo minus millibus militum, qui, si quas vis hostium ingrueret, arcerent à perturbatione negocij, Modrissam ire perrexit. Per summam tamen quietem, & cepta ea res & finita est, neq; aliquid sub id tempus innouatum ab hoste. nam Mahumetes tunc, utpote ultionis impatiens, licet summo studio instauraret arma aduersus Scanderbegum, tamen territus noui & periculosissimi belli fama ex Persia, tum propter magnam potentiam gentis, tum funestissima veteris fortuna suorum documenta considerans, ceteris rebus omisissis, ac quasi neglectis, totus ad eam partem conuersus erat, quem exitum motus illi essent habituri, quia tamen Scanderbegi tot rerum successus, & assidua subditorum querela, diripi se quotidie à nostris conquerebantur, eum perturbabãt aliquantulum. Primum igitur multis nequicquam

Mahumetis  
iudicium de  
nuptijs Scan-  
derbegi.

Mahumetes  
tributum pe-  
tit à Scander-  
begi.

minis, cōiunctisq; in absentem inuectus est, postremo ad inania pacta cum illo tentanda applicuit animum. *N*isi itaque Oratores per eos dies, ac pax oblata Scanderbegi, si tributum vellet impendere, quod Amurathes pater prius petierat. Admonitus est de omnibus Epiensis, & de simulatio-



ne Ottomanis, & de Persico bello ab amicis quibusdam, & de purpuratis regijs. Quare post aduentum legati, maximo animo omnia illi negavit. Vix aquas se pacis cōditiones admissurum cum Tyranno, ne dum tam turpes, & inhonestas inquiens, venisse se ea mente in Epirum, ut solueret vincula provinciae, & tolleret quantum in ipso esset omne nomen seruitutis, & non noua apponeret grauamina, fructum eum solum tot laborum, & periculorum suorum capere, quod ab illius tyrannide illam liberasset. Si amicitiam eorum vellet, subiturum id onus fuisse, quum omne penè Europa atq; Asia robur in visceribus, quum Amurathem cruentum in oculis, ac id ipsum sedulo petentem habebat. Sat illis esse debere, quod ad eam diem exegissent, & eius ipsius temporis molestissimam fore memoriam sibi. Nunc alium rerum habitum, alios homines exortos, qui cogitantummodo ad eas sordes, inuitari à nullo vnquam mortalium possint. Sic re infecta legatus dimissus, Castriotus totus & ipse ad noui operis curam versus, quietos aliquantum hostes esse permisit. Sed parata iam pridem calce, lapidibusq; & ceteris ad structuram necessarijs, breuissimo tempore vix semestri cinctum muris castellum, simulq; priuata quadam adificia, ac militares stationes constructa, reliqua indies adificanda, ampliandaq; relicta, non vallo, non fossa indigebat, munitissimus suapte natura locus, ac prope inaccessus, eo ipso die viris, armis, & ceteris munimentis prouisum, aduecta ex Croia tormenta

Castriotus ab  
soluta muni-  
torij nouo op-  
pido, hostiles  
agros ingref-  
sus, omnia di-  
ripit atq; in-  
cendit.

tormenta quadam, & ad certum usum (ut diximus) data oppidanis. His sic peractis, nostri ducente Scanderbegi, finitimos Turcarum agros ingressi, vacua defensoribus loca, rebus quoque ceteris exuerunt. Pars Croiam cum Duce multa prada onusto concessit, pars maior presidij loco ad imperij ostia (ut consueuerat) relicta. Nam licet ad salutem provincialium multum per eam adificationem castelli prouisum esset, tamen nulla ratione presidium solitum ab eis finibus reuocatum, utpote quum ille locus distaret à Modrissa 14. amplius millibus passuum. Præterea non eodem respectu, quo in Modrissa, tenebatur ibi miles, sed ad arcendas præcipue finitimorum iniurias, & tuendam provinciam ab excursionibus vicinorum. In aduentum vero hostium, quibus impar ad resistendum id presidium erat, vel per iuga montium, & tutiora loca se recipiebat, vel in interiora provincia fugiebat. Ut ventum est in urbem, Scanderbegus cupiens in eo statu rerum, & occupationibus Tyranni egregium aliquid facere, & imperij sui terminos si posset extendere, mox proceribus, qui aderant, & militariibus quibusdam ordinibus conuocatis, de ratione gerendi belli, & genere agendorum coram eis in hanc sententiam exorsus:

Satis iam (ut arbitror) Duces & milites fortissimi nouis saginati nuptijs, ab armis hucusque, à bello, à virtute ipsa cessauimus. Satis celebrauimus victoriam illam ex Amurathe, dum nunc in publicis, nunc in priuatis voluptatibus, nunc in reficiendis, & nouis construendis urbibus tempus conterimus. Jam elapsus est annus, ex quo insueto marcescens ocio non hostem vidimus, non vllum dedimus experimentum virtutis. Nunc quoque eadem ferme vita ratio sequenda relinquitur vobis, ni alium animum induatis, & oblata melioris fortuna occasionem, melioribus consilijs apprehendatis. Barbarus nanque (ut audistis) Persicis armis occupatus, oblitus iam Epiri est, oblitus nostri, ceterorumq; hostium, pax vobis, ociumq; ad satietatem concessum. Sed quid turpius fortibus viris, quam ita opportuno tempore abuti? cuius maxime rei rationem reddere debet mortales, quin inuitare hoc ipsum potius ad arma, cogere ad difficillima quoq; aggredienda debet, dum alio versus hostis, vel Dei potius ipsi peruia vobis, & incruenta omnia ostendunt. Hæc duo maxime tempora sunt rerum bene gerendarum, quum vel alijs occupatum, vel afflictum videas hostem. Quo in statu Mahumetis sint (ut nulla sit alijs fides) satis recens eius legatio declarauit, tributum perfidus petijt, vel solum pacem libentissime laturus, si daretur, negauimus audacter omnia, nunc quo animo, qua ratione negauerimus, reliquum est demonstrare, an & ferenda ita semper Sfetigradensis iactura? Concoquenda tot iniuria, tot imperij deformationes ab Amurathe accepta? Vbi feroces mina nostra illa? Quo ingentia consilia, & excelsi spiritus abière? Quantum dilatauimus verbis olim imperij

Adhortatio  
Castrioti, ad  
proceres ac o-  
mnium mili-  
tium ordines,  
de regno am-  
pliando.

Quod duo  
sunt maxime  
tempora belli  
in hostem ge-  
rendi.



perij huiusce terminos? Quantum Macedonia subegimus? Quousque Turcarum nomen inanibus inter nos colloquijs fugauimus? Sero hoc pacto, sero Albani prisca illum rerum decorem restituemus, libertatem vendicabimus, & cupita tamdiu illa auorum secula effingemus. Dum nostri potius aliquid amittimus quotidie, & non solum de ampliando imperio, sed nec de vltione quidem vlla tot malorum cogitamus. Verum enimvero impediuit hucusque cogitatus nostros necessitas, impediēre maiora incendia, ac maxima quaque rerum momenta, nunc ne ignauia, & negligentia nostra impediatur, enitendum est milites. Quarendus aliquando, quarendus pertinaciter hostis, non expectandus semper, modo velitis, modo iubeatis. Non deest virtutis exercenda materia, non ingentis occasio laudis. En Sfetigradum vos tamdiu victores videt, expectat. Deterret (credo) superioris anni oppugnatio, & male tentata rei euentus. Neque ipse vos in eum laborem, & tam apertum discrimen trahere velim, sed multa de ea difficultate, tum tot nostrae victoria, tum Amurathis mors ipsa, & praesens hostium fortuna detraxit fortasse. Non deerunt praeter ea tormenta omnis generis, cateraque instrumenta, quae incruentis vobis, quam maxime fieri possit, aditum faciunt ad hostem. Reliqua tempus ipsum, & visus in oculis hostis docebit. Vobis ego nihil sine labore, & cruore vestro audeo polliceri. Hoc maxime precium & Dij immortales ab hominibus exigunt. Vix tamen tunc quum sit, sentit id ipsum vir fortis, nedum priusquam fiat formidet. Sed si Sfetigradum abhorretis tantopere, sunt alia oppida & castella hostium non longe, quibus pensari id damnum, & expleri desiderium nostrum possit. Est Belgradum oppidum pari, vel minori fortasse ab hinc spacio, quam Sfetigradum distans, non indignum quidem labore, & sanguine nostro, si vel praemia, vel laudem respicimus. Pudere me ipsum maxime omnium debet, quod iam agitur annus, ex quo hic imperito vobiscum, & tot auorum sedes, tot consanguineorum oppida, & Epirotici imperij ornamenta per eam ignominiam hosti seruentia cerno. Igitur hoc saltem quod superest temporis, ne labi diutius e manibus sinamus, sequamur Persas & ipsi, sequamur fortunam a Dijs immortalibus oblatam, propagabuntur ita imperij fines, libertas ampliabitur, vlciscemur iniurias, vlciscemur mala vestra, & (quod pulcherrimum censeo) ab ocio iuuentus ignauiaque vindicabitur. Eundem & si nihil acturi essemus, eundem tamen putarem potius, quam quotidie praeda cupiditate cum agrestibus finitimis, & pecoribus pugnando militum animos corrumpere. Non hac ratione Romanus Pontifex, non Alphonsus meus, & tot Christiani Principes eam ad nos vim pecuniarum cum ingentibus donis misere, ut ociosi domi inter conuiuia, inter cantus & nuptiales illecebras degeremus, sed ut armati sub galeis inter sudorem & sanguinem versaremur.

Hanc

Hanc adhortationem Scanderbegi neque subito (ut consueuerat) neque idem audientium clamor, & assensus est subsecutus, sed intervallo quodam & maxime interruptus, ut satis appareret alienos hominum animos ab eius voluntate esse. Et licet pauci sententiam eius probarēt, pudore tamen aduersandi alius alium circumspectans, nemo vocem emittere audebat, simul ne vel ignauior ceteris, vel timidior notaretur, tunc surgens Vranacotes:

Neque timor vllus, inquit, neque animi desidia, neque experta Sfetigradensis fortuna, solertissime Dux, nos hodie tanto pudore a consilijs tuis recedere cogit, sed anni tempus ipsum, tempus inquam id non facere admonet, ut primus ego huiusce ignauiae confessionem praestem tibi, in quo semper maxima pars agendorum inesse consuevit. En parum iam autumni superest, vix delectus conficietur, vix ceteris ad oppugnationem necessarijs expeditis appropinquabimus muris, quod hyberna nos intemperies cum multis circumueniet incommodis, cum caelo, cum terra pugnandum erit. Imbres, glacies, niues, cupidum laudis militem tardabunt, & tutabuntur hostem. Nam licet incommodum ad omnia, iniquissimum tamen oppugnationi urbium est id anni tempus, quippe quum non paria nobis impedimenta cum hostibus ferat. Curis inclusi illi, tectique munimentis decertabunt nobiscum, & in affluentia omnium rerum facile altera manu pugnabunt, altera instaurabunt vires, nobis pertinacia sola, & prodigis animis utendum erit. Quod enim ad tormenta attinet, vidimus satis tum in Sfetigrado, tum ceteris urbibus, quam parum in hisce sit momenti, & hoc ipsum hyemis tempore minime futurum. Quare fugiendos ego maxime hos inanes conatus, & militum perniciem censeo, atque tempus fortibus etiam viris, sicut nautis expectandum iudico, non detrahet haec cessatio de animis nostris quippiam, non hosti addet. De Persico bello (si efferre liceat quod sentio) parum omnino ipse spei in ea re hodie pono, aut fama tantum vana eius belli erit, aut in aptius anni tempus eos apparatus reiciet Persae. Sed non ideo, si magis e dignitate, & utilitate omnium ea sententia videtur tibi, consilia tua impedimus. Sequemur cupidissime quocumque nos duces, aptabimus sermones, dexteras, tempora ipsa ad tuam voluntatem. Mites tecum niues, mollis bruma, & lenissima omnia sunt futura, neque labores, incommoda, aut periculi genus vllum sub tuis nos grauabit auspicijs. Facile Castriotus voluntate suorum animaduersa, ut popularis erat, praesertim quod & vera multa dicebantur, in eam sententiam se trahi passus est. Relicto itaque concilio, & dimisso milite, omnes domum redire permisit, ipse cum Amesa & paucis equitibus Petralbam perrexit. Ibi nanque principio aestatis uxorem reliquerat, id quod & omni deinceps imperij tempore fecit, ut per aestatem aut autumnumque, illic solatij causa, reliquo tempore Croia maneret, praeterquam in aduentu Mahumetis,

Vranacotes  
respondet  
Scanderbego.

Praeclara sententia.

Belgradi oppidi descriptio.

Tempus fortibus viris sicut nautis expectandum.

i

vel

Colchinium  
maritima Ve-  
netorū vrbs.

vel immodici cuiuspiam exercitus, quum de summa rerum, & imperij so-  
licitus, Colchinium maritimam Venetorum urbem, vel in alia longinquo  
ra oppida cum omni familia & preciosiore suppellectili commigrabat. Pla-  
nities erat sub castello ipso præcipua pulchritudinis, tum ob amœnitatem  
natura, lociq; miram, tum exactissima hominum cultura, & accolarum  
diligentia, non arboris, non vitis, non frugis, non rei vilius egens, quæ tellu-  
rem vel beant, vel ornant, sibi cum familia, & longis de more puellarum  
ordinibus, ac regijs seruitijs domina eam anni partem agebat. Circum pla-  
nitiem ipsam saltus undique inaccessi, & angustia montium erant, per quas  
Scanderbegus crebra armatorum agmina ad custodiam eius assidue tene-  
bat. Et oppidum ipsum viris, armis, commeatu ad omnes casus fortuna  
egregio instructum. Paucos ibi moratus dies Croiam illam reduxit, neque  
Croia postea quietis aliquid permissum, nanque haud falsus vates Vra-  
nacontes fuit. Aduolarunt mox alij atque alij nuncij, resedisse Persicum  
bellum, motus omnes compositos, & extinctos, & exolutum penitus ea cu-  
ra Tyrannum, arma conuertere in Epirum dicentes. Turbauit ea res au-  
diti Scanderbegum, sed armis opus esse, atque consilio, non indignatione in-  
quiens, licet haud satis venturum tam alienissimo tempore hostem crede-  
ret: tamen Croia discedens cum quinquaginta non amplius viris ad Mo-  
sem & presidium ire contendit, certius ibi ad agenda omnia consilium pro-  
baturus, vera ut relata fuere singula inuenta. Quare impigre lato decre-  
to, & scriptis quinque amplius hominum millibus, in Dibram superiorem,  
ubi castra & statua tenere consueuerat, se recepit, admonito Mose cate-  
risq; ne aliquid mouerent, priusquam se cum copijs vidissent. Vix inter hæc  
apparanda, & hostis aduentum decem abire dies, memor mandatorum  
Castrioti noui castelli presidium, tormentorum crepitu venientium insidi-  
as detexit. Salutare id signum primo ab agrestibus acceptum, tum à Scan-  
derbego satis tempestiue, qui sublatis per noctem signis, copias hostem ver-  
sus quo cautius poterat, mouit. Mosis nulla tum opera fuit. Nam quum  
ab alia parte multis millibus passuum procul ab eo venissent hostes, ipse  
assignati sibi loci custodiam cum presidio relinquere noluit, ne si vel vi-  
ctus, vel victor fuisset hostis, vacuam eam partem defensore inueni-  
ret. Eam ipsam noctem & Barbarus ad iter suum celeritatem adhibuit,  
12. hostium millia erant, nam plurimum opera per id temporis uti Mahu-  
meti non est visum. Et hi ipsi equites omnes, & ad inferendas & propul-  
sandas iniurias aptissimi electi. Nostri dimidiati ferè pedites, & equites  
fuerunt. Extrema quasi deficientis iam noctis restabat pars, quum Scan-  
derbegus obseruato per exploratores Amesa aduentu (id nomen præfe-  
cto erat) silenti admodum agmine Modrissi partem occupat. Turca igna-  
ri, Mocreo monte superato, vallem interiacentem ingressi, Mocdrissum  
conscendere

Noui ex Adri-  
anopoli mo-  
tus & fama  
belli Mahu-  
metis in Scan-  
derbegum.Incurso ho-  
stis per Epi-  
rum: Concur-  
sus Scander-  
begi in eum.

conscendere parant, ut inde ad interiora prouincia præteruerti, cōmodius  
captarent Scanderbegum, & res prouincialium vastarent. Pars iam con-  
scenderat locum, & impliciti inter ardua montis, anhelantibus equis eua-  
dere in iugum conabantur. Sequebantur alij, multi adhuc vallem non exi-  
erant, quum edito signo, & clamore simul ingenti sublato, Epirensis super-  
ne veluti ruina quadam fermè fessos, equosq; virosq; inuadit, obruit, pro-  
sternit. Peditatum penè omnem in principio obiecit, ne in eo aggressu & ha-  
bitu loci, equites suo ipsi impetu in præceps ruentes periclitarentur. Prima  
igitur laus, & maxima pars victoria peditum fuit. Turca qui montem  
conscenderat, abiectis illico hastis, gladijs se defendebant, sed vix subsisten-  
tibus equis incerti hominum ictus, inualida manus erant. Nostri scutis te-  
cti, equos primo, tum viros non difficulter sternebant. Multi in eo genere  
periculi iumentis relictis, aut pedites pugnabant, aut in subiectam vallem  
ad socios fugiebant. Amesa noster cum equitum robore à patruo ab alia

Duo Amesa,  
alter præfe-  
ctus Turca-  
rum, alter E-  
pirensis.

parte montis, qua descensu facilior erat, missus, iam aliud in angustis val-  
lis ordiebatur pralium. Lux interim paulatim exorta, ceteros quoq; equi-  
tes qui cum Scanderbego erant, deiectis prius hostibus, in planum reduxit.  
Pedites alij sequuti sunt equos, alij radices montis non reliquere, sed inde  
depromptis sagittis dissipatos incessabant. Castriotus ab vna parte, qua li-  
berior exitus erat hosti, fugientum terga acerrime cadebat. Amesa à parte  
altera ab Amesa obsessus nostro, ubi iam neque victoria, neq; effugij viam  
vllam vidit, momenti id sedulo Epirensi, mæstior abiectis armis fidem eius  
sequutus, manus multo pudore vincendas obtulit. Plures quoq; alij eo pa-  
cto ce-

Amesa Turca  
capitur.

Et cedentes fortuna, finem vulneribus & certamini fecere. Expedita victoria, milites ad spolia colligenda, & diripienda impedimenta versi, signa militaria omnia capta, hominum 7. millia caesa inuenta, equi ex maiori parte confossi, & deformati. Nostris paruo admodum ea victoria stetit, namque 30. ferè, aut paulo minus desiderati. Amesa dux, Amesa nostro à patruo belli iure concessus, qui vincit cum ceteris, & parte prada signis praesertim captiuus, Croiam ducendus ei traditus est, reliqua militibus concessa. Castriotus aliquot ibi moratus dies, dum fines hostium de more percurrit, dum militem dimittit, soluitq; dum singula videt, ordinat, procurat, nundinis ipsis natalicijs in urbem venit. Venientem turba senioribus magno numero & nobilibus immixtis obuiam extra portas progressa, multis gaudijs, plausibusq; excepit, publice priuatimq; ingens ultra consuetudinem laticia exorta. Quod iam felicia auspicia bene gerendi de Mahumete quoq; sumpta dicebāt, eandem profecto, eandem eius qua patris fuisset fortunam aduersus Epirotas Scanderbego duce futuram affirmantes. Cognitū nunc, cognitum satis ferox Mahumetis ingenium, & animum illum extra mortaliū aleam positum, praesertim tributū mentionem nuper ab eo factam commemorantes. Ita ex summa aliqua delibatione rerum, secunda, media, & vltima quaeque interpretantur imperitiora iudicia vulgi, praesertim si eodem & desiderium ipsorum, & fortunae sponsones tendant. Castriotus in ea temporis & rerum festiuitate, neque hosti ipsi iniquus, solui captiuus vincula, & duci ad se Amesam iussit, habuitq; domi in conuiujs secum, & humaniter, & honorifice inuitatus, ut ipse quoque quam praebuisset, victoria frueretur. Sed rogatus primum omnium à Barbaro est, ut aliquem ex captiuis concederet sibi Adrianopolim mittendum, ad monendos suos de eius captiuitate, & precium pro redemptione afferendum, quum diceret illos, qui ex ea clade superfuerunt, ignaros fortasse eius seruitutis, credere illum cum ceteris caesum, nihil Barbaro negatum. De pecunia summa pro liberatione omnium in 13. aureorum millia conuentum. Dimissi itaque duo, qui captiuorum causam agerent, cum vno ex nostris, donec intuitum à prouincialium iniurijs educerentur. Allatus interea ad Tyrannum de ea strage nuncijs, & visa suorum reliquia sine duce, sine signis, & sine armis, multum priuati & publici doloris eo spectaculo incusserunt. Mahumetes per cunctatus singula, regia vanitate, ex vi indignationis in solita conuiuia prorumpens, multum & laudi nostrorum detrabere, & excusare fortunam suorum est conatus. Mouitq; longe acrius illiberalem principem noua legatio ab Amesa missa, quā audita, visaq; nuper suorum calamitas mouerat. Quamobrem nunc eam cladem illi imputando, quod stolide exercitum per noctem, & eas locorum angustias tractum amississet, nunc tacite perfidiam, & ignaua consilia accusando, facile prohibuisset quicquam

Castriotus humaniter tractat captiuū Amesam,

Pecuniae pro redemptione captiuorum.

Turca cladē imputat Amesae.

quicquam pro ea redemptione decerni, tantum ingeniosa est ad opes tuendas auaritia. Sed circumfusi purpurati, & consanguinei captiuorum, non iniquis rationibus precibusq; appositis, Tyranni animum illis conciliauere. Contententes non posse ex aliqua parte anteacta vita id obijci Amesa, eamq; inuri suspicionem. Præterea non solum in ea fortuna esse, sed alios plerosque fortissimos viros, neq; spernendam tam miserabilem causam sociorum. Quippe quum ceterorum animi eo pacto offendantur, deterreanturq; posthac à rebus agendis tam duro illius imperio, neminem in posterum in expeditiones iturum, si ita insidiarum, si quid durius acciderit, vel ignauia insimulent. Excusat am semper eam belli fortunam esse debere. Inuen-

Auaritia ingeniosa ad opes tuendas.



ta proinde ocus pecunia, & data legatis. Adhuc & alia multa dona ab eis priuatim parata, & allata ad Scanderbegum sunt. Pecunia maiorem partem Castriotus nepoti numerari iussit, reliqua militibus qui aderant erogata, & Mosi diuidenda in praesidium missa, sed non illibera alior patruo nepos, vix sibi quicquam ex concessa pecunia retinuit. Identidem ipse cum amicis omnibus tum periculi socijs omnia in medium contulit. Hostibus exoluto precio, libera abeundi potestas facta, & ad eorum arbitrium discessus relatus. Mæstior quasi Amesa discedere visus est, & priusquam abisset multa cum Scanderbego de ingenio Mahumetis, & ratione gerendi belli tacite colloquutum dicunt. Discedentibus, pleraque dona cum multorum dierum cibarijs data, & custodes plures ad educendos eos usque ad imperij limites attributi. Priusquam Amesa Adrianopolim venisset instaurari iam eius copia, & suppleri numerus amissorum ceptus fuerat

Humaniter dimissus Amesa.

Debreas iussu  
Tyranni instau-  
ratis Amesa-  
copijs, & sup-  
pleto militū  
numero, in  
Scanderbegū  
signa mouet.

à Debreā quodam audacia maxima viro, neque ignaro militia, qui nimis solite id negocium tum sibi demandari contenderat à Mahumete, multis inanibus promissis regis animum augere conatus, & ad victoria spem traducere, omnia ad ingenium suum, omnia ad consilium, & nihil quicquam fermè ad fortunam referendo. Illud tamen, non depugnaturum se totis viribus cum Scanderbego, sed auspicia saltem non ingrata victoria sumpturum promittens, neque de maioribus copijs vlla eum cura incesit, nisi quot Amesa habuisset, velut emulatione quadam viri, ut pari, & eodem fermè milite fortunam restituisse diceretur. Sed neque solus id Debreas postulauerat à Tyranno, verum à pluribus alijs difficilis id laudis genus petitum. Nam quo maius apud Barbaros Scanderbegi nomen erat, & inuicta cuiusdam fortuna fama, ita & fortissimi quique, vel nominatissimi erant, velut candidati aliqui ad precipuos quosdam fasces honorum, & gloria promerendos consuebant, augente maxime ea studia hominum principis diuulgata liberalitate, qui honorifica iam pridè premia statuerat victori. Amesa visus, auditusq; multum de eis consilijs immutauit, nam ita commendatione assidua, neque vana res nostrorum, & ducis virtutem extulit, ut & Debreem penè pœniteret ex postulati officij, & rex propior iam ad reuocandum decretum videretur, magis tamen è dignitate imperij visum Ottomano augere copias, quàm vel operam Debreā arguere, priusquam experta foret, vel inultam pati Amesa captiuitatem, & recentes iniurias suorum. Addita proinde ad illud supplementum alia tria equitum millia. Ita Amesa dum officiosus laudator, & gratus amico, alioqui & hospiti virtutes Scanderbegi edocet, iniquus penè illi fuit, vel autor potius maioris laudis, & cumulatioris victoria. Paratis omnibus ad proficiscendum, & commotis fermè copijs, pluuia crebra, & ingentes per aliquot integros dies delapsa, tardârunt aliquantisper desideria militum. Cessantibus imbribus, & mitescente quoque ipso anni tempore, veris aduentu, iter impigre arreptum. Eadem ipsa temporis ratio Scanderbegum etiam è Croia in castra euocauerat, ad consultandum cum suis & decernendum de his, quæ omissa propter hyemis incommoda in mitiorem partem anni reiecta fuerant. Quare fama omnis de eo apparatu, & aduentu hostis eum in Dibris cum Mose inuenit. Quamobrem maxima celeritate (ut par erat) adhibita septem amplius hominum millia illico confecit. Neque hic mirari quempiam oportet de tam subitatio apparatu nostrorum, & incredibili propè velocitate in conficiendo exercitu. Nam Scanderbegus magnam partem vectigalium suorum, villarum præsertim, vel vltro nullo provocatus beneficio, vel in præmium virtutis proceribus suis quibusdam concesserat, ea lege, ut ingruente belli necessitate, varia pro qualitate cuiusque, militum præsidia impendere sedulo deberent, & ipsi quoque corporibus suis

Velocitas in  
conficiendo ex-  
ercitu vnde  
fuerit Scan-  
derbego.

omnibus

omnibus agendis pro eius arbitrio interessent. Hi itaq; semper ita instructi stabant, ut nihil penè præter ducis nutū expectarent. Præterea caterorum prouincialium, agrestium præsertim, magnus numerus, velut certa consuetudine regionis, sequi eum sine commodo aliquo stipendiorum tenebatur. Præterea demum cupiditas eam semper vim militum excitabat, ut nullum melius edictum, nullum aptius classicum, vel stipendia accommodatiora viderentur ad multitudinem conducendam. Quare ex hoc satis & illud cuius intelligere licet, quod sæpe nimis multos querentes audiui, quomodo Castriotus ad tot quotidie reparanda bella suffecerit, quum non ea fuerit vis vectigalium, ac tributorum, ut alere tam diu militem posset. Verum enimvero, & si non ille prouincia mos, non ea cupiditas, & ratio præda, communis tamen periculi respectus, tum & ipsa dexteritas ingenij, ac fortuna ducis, omnibus facile in manus arma dedisset. De stipendiarijs auxilijs, & mercenario milite, multum momenti in Romanis Pontificibus, Regibus Apulia, & alijs Christianis principibus erat, à quibus quotidie bellorum (ut aiunt) nerui non deerāt. Debreas superata iam maxima parte tractus Tribalorum (Bulgariam vulgo appellant) Pologum attigerat, locus est ita vocatus ab incolis, vel regio potius eiusdem Bulgaria Barbaris parens, non multum distans à sinibus Epirotici imperij. Id ubi nouit Castriotus, sternere ocius equos, & infrenare iubet, tum equitum sex millia seligit secum ducenda (nam in ea rei celeritate peditum non satis commoda, & inutilis opera visa) reliquos cum veteri præsidio Mosis ordinatis, quæ in rem videbantur, dimisit. Dibrensem priusquam ipse mouisset cum decem equitibus ad obseruandum aduentum, & exploranda consilia hostium impigre præmisit. Reliquæ copias pone cum eo sequuntæ. Consederat Barbarus in campestri loco quodam ipsius Pologi lucem expectaturus. Mocreus ab vna parte mons noster, ab altera oppidum Turcarum, Scopiam dicunt, terminabant planiciem. Erant & duo alij montes cingentes planum, insignis altitudinis, quos nunc peculiariori vocabulo, montes Pologi audio appellari. Mosis singula commodissime contemplatus (luna enim pernox erat) facile Castriotum de omnibus exactissime admonuit, qui noctis maximo beneficio usus, ingenti festinatione procedere militem iubet. Nondum Mocreo relicto planiciem intrauerant, quod mutatum repente cælum est, tenuisq; primo cecidit pluuia, & irrigari leniter cæpta agmina, tum paulatim accrescentibus imbribus, tonstrua, & corruscationes sequuntæ, cum magna vi ventorum. Steterat iam signifer, & exorto horrore quodam inter homines, alius alium respicientes veluti sinistrum omen dolebant, quum Epirensis irridens ignauiam, & inanem suorum trepidationem, progressus ad primos manu sua signiferos impingit, iniquos interpretes sibi ipsis appellans, ac eo ma-

Bellorum ner-  
ui Scanderbe-  
go à Christianis  
Princip.

Debreas ve-  
nit in Epi-  
rum.

xime

Epirensis sermo ad milites

xime tempore utendum iniquiens, & properandum in hostem, quum non satis ille crederet venturos. Præterea instabilitatem eam veris esse, Martij præcipue mensis, priusquam adsit congregandi tempus, limpidissima omnia (ut paulo ante fuerat) & quietissima habituros, sic exhilaratus miles, ac omine pro se accepto inuicem se adhortantes animum quoque duci auxere. Iam & propinquitas ipsa, & expurgatum (ut Scanderbegus prædixerat) nubibus cælum, ac lucidioribus radijs progrediens luna venientes detegebat. Quum trepidus primo hostis paratis tam ad pugnam, quam ad fugam omnibus, dubius aliquantisper fuit, an expectaret. Ad timorem multum nox faciebat, & fiducia ipsa nostrorum, quod tanto animo progressos aduersus se extra proprios fines videbant. Ad audaciã autem e contra id exhortari videbatur, quod non in hostili solo se noscerent pugnuros, ubi vel insidia, vel fraus aliqua à tergo timeri posset, sed illud præcipue, quod multitudine suorum, & eo militum robore fidebat, & quod turpis admodum fuga tot millibus hominum conglobatis, vel cuius ignauo videri par erat. Dato igitur signo Debreas memor promissorum suorum, & consiliorum Tyranni, ad animandos acrius viros, nunc ad hos, nunc ad illos procurans, clamabat:



Adhortatio Debreæ ad suos ad fortiter pugnandum.

Adeste, adeste vos veteres milites. En egregia ultionis, & vindicandi amissi decoris tempus, ulcisci vincula, & cladem sociorum, ulcisci sanguinem ipsi vestrum potestis. Properant nocturni bellatores, afferunt iam cathenas (ut videre videor mihi) ad manus vestras vincendas. Amesam hic credunt inuenire urbanum hospitem suum, credunt Mocreas hic valles, & inuios Modrijs saltus, ac assuetas prædonibus latebras secum futururas.

turas. Domi fermè (ut videtis) in rerum omnium securitate affertur pugna, numero longe superiores sumus, virtute etiam, si vos velitis, locus ad equestre certamen non aptior ullus. Quod ad me attinet, aut unà expirabo vobiscum, & inter chara sociorum cadavera liber saltem, licet infelix conquiescam, aut ea vobis adiutoribus efficiam, qua seuera Mæabumetis iudicia non arguant. Non Croienses pueri irridebunt vincula, non studiosi clementia hostis appositis epulis, & esculentorum suauitate seruitutis turpidinem leniet. Quare agite, quisque priuatum & publicum induat animum, vosq; ceteri, quos ipse mihi optauit, & manu fermè mea elegi ultores, restitutos res fortuna sociorum, memineritis qua ipsi promissa mihi, qua propter vos ipse dederim Ottomano. Nemo enixius hoc muneris petijt quam nos, nemo cupidius accepit, nemo vel laudem & premia ampliora (si vincimus) vel superbiores vultus, & molestiora ludibria (si vincimur) expectare debet.

Simul hac dicens, immisso in venientes antesignanorum agmine, ut impetum eorum aliquantisper tardaret, dum stabilius consilium ipse iactanda totius alea sumeret, imit paulatim pugnam.

Scanderbegus contra: Proh pudor milites, inquit, sumpsere iterum in vos arma, sumpsere animos captiui vestri, adsunt turpes reliquæ illæ Amesani exercitus, dolent, conqueruntur vos malos conuiuas fuisse, nam optimi conuiuæ erat ita agere, ut nihil esset reliquiarum. Adest & nouus miles cum nouo (ut video) duce: quid aliud, quam nouum gloriæ genus? Vincite (ut consueuistis) non dicam pugnate Epirenses, ne si per socordiam vel ignauiam nostram hodie ex tam diutina, ac recenti admodum possessione illa fortuna deiciamur, Modrijs, & Mocreas valles, non vos se vicisse dicant hostes. Aperto campo, aperta appareat virtus, non peditum vos cura tardat, non impedit. Expeditissimi omnes sumus, nihil præter ferrum & hostes, numero fortasse ampliores. Sed iacentes (nisi me spes fallit) eos melius curiosi virtutis vestra exactores numerabitis.

Inter ea dicenda maxime procurabat, ut conglobatus simul staret miles, ne ordines confunderentur, ac discrimen hostium periret, præsertim quod dissipati pauciores à pluribus facilius circumuenirentur. Tamen progrediens in se hostile agmen, haud satis fretus antesignanorum suorum robore, Mose, & Amesam cum egregia virorum manu ad primos immisso excepit: veritus ne si labassent ibi prima auspicia pugna, timor aliquis inter suos suboriretur, & audacia, animiq; crescerent hosti, reliquas turmas connexas multo silentio, & ordine tenuit. Barbarus identidem, vel noctem timens, vel ad nostrorum tenorem consilia sua accommodans, nihil quicquam mouit, sed iunctissimis & ipse ordinibus velut spectator stabat. Ita singularis quoddam certaminis genus, congressus ille antesignanorum vi-

Adhortatio Castrici ad milites, ut fortiter, pro victoria decerent.

k deba-

debat. Et solliciti utrinque exercitus, subeunda pignora fortuna pendentibus animis expectabant. Sed non longum id spectaculum fecit Dibrensis, qui velut procella irruens in medium illorum, occisis fortissimis quibusque facile ceteros impulit in fugam, ac omnium immemor præ animi ardore iam fugientes in mediam hostium aciem insecutus fuisset, ni Amesa renocato milite, dictis simul factisque, furorem eius inhibuisset, ac retraxisset ad signa. Erat Moses vel militaribus, vel imperatoris virtutibus maxime mirabilis, sed cruentato semel ore, ac erectis (ut aiunt) cristis, impatiens animi, ac modicum sibi imperans. Quare reprehensum nunc à Scanderbeggo ferunt, et admonitum, modestius audacia sua, consultius victoria uteretur. Excusabile id in turmalis quopiâ, et privato milite, in duce ut perniciosum, ita maxime reprehensibile, et pessimi exempli fore. Ceterum huius me viri dignitas admonet, ut pauca de eius origine in præsentia breuiter delibem, qua huiusmodi ferè sunt:

Modestius audacia, consultius victoria  
viti.

Moses, qui à Dibris dictus est (eò quia Dibras incolebat, ubi Scanderbegus multa ei prædia, magnamque agri partem donauerat) et etiam aliàs Moses Golemus Arrianithis cognomento appellatus, natione Epiroticus Valmorum ciuitate Epiri oriundus, patre Musachio, matre Voislaua. Cui Musachio duo fuere fratres, Arrianithes scilicet Golemus, siue Comminatus, Scanderbegi socer, de quo superius satis diximus, et Vladenius Golemus Arrianithis, qui Musachium Angelina filium à nomine matris, aliàs Golemi Arrianithis cognomento nuncupatus, ex Angelina Scanderbegi sororis suscepit. Hæc obiter de Mose sunt dicta, quare unde egressi sumus, redeamus.

Cetera copia ea viri audacia defixa paululum, et immota steterè, hostes immodice ea re deterritos, tum demum frequentius, certiusque de fuga consilium incesit. Tamen nihil aliud per eas tenebras moturos nostros credentes, et reliqui fortunam certaminis in lucem dilaturos, mansere, præsertim, quod præter ignominiam, periculosam fugam sibi per eam incertitudinem noctis videbant. Scanderbegus quoque maxime fluctuatus animo est, an diem expectaret, vel eam victoriam sequeretur. Nam fefellit eum spes primo, quod improvisos hostes, et inordinatos (ut Amesam prius inuenerat) adoriri putauit, et postea propter eam fortunam antesignanorum cessuros facile credidit, et terga daturus, sequens fugientes insequendo, incruenta suorum victoria usurum. Sed ubi egregie stantes, ac velut consultantes aduertit illos, rupta omni mora, et adito undique signo in eos fertur: dum recens est hominum timor, dum recens cruor, utendum fortuna, inquiens, ac interrumpenda fuga consilia hosti, quippe qui nihil aliud mente agitet, et obseruet, præterquam quomodo tutus, liberque ex oculis euanescat. Segnius occurrentes suos De-

os Debreas ad primos prouolans tum verbis, tum audacia, ac propria virtutis exemplo multum animauit, repressusque pertinaciter est impetus no-

Debreas animatus.



strorum. Sed quum permisceri acies vererentur, haud satis cruentum aliquantisper certamen fuit, donec unus ex Musachijs cum parte equitum à sinistro cornu missus, ad laceffendos inde hostes, turbandis eorum ordinibus initium dedit. Scanderbegus urgens assidue eos, qui in fronte aderant, præfectum maximo studio aucupabatur, et iusserat quosdam ex suis, multis allectos promissis, ut hominem obseruarent. Hoc peculiare illi in omnibus prælijs aiunt fuisse, ut à ducibus captandis, et tollendis, prima ac potissima consilia victoriae sumeret, dicereque solitus erat, caput semper primum incidendum, ceterum corpus per se ruere, perireque: neque nosse se genus ullum animantis in uniuersa natura, quod capite sublatosuperuiuat.

Peculiare Scanderbegi in prælijs à ducibus captandis & tollendis.

Sed turbauit parumper ea consilia Castrioti motus ille à Musachio excitatus, nam relicta fronte in qua stabat Debreas, mox ad illam partem conualuit, ut expulso hoste, restitueret ordines viris, doceretque per ludificationem usque in lucem valentior impressionem, ultionemque protrahendam. Sensit statim hinc miles abesse ducem, nam laxius pugnare iam, segnius resistere nostris, et pelli intra signa facile patiebatur. Moses stupentibus singulis, præterlatus inter densissimos illorum, auulsum signum è Barbari manu ad socios proiecit, ita ingentiores irarum, ac veluti emulationis cuiusdam stimuli hominibus iniecti. Procursum undique maximo ardore in apertum periculi discrimen. Multi iam Moses passim, multa sine signis Turcarum agmina, ac vix usquam bellantium vultus, sed terga tantum

Debreas trās  
figitur à Scan-  
derbego.

Verſis proſis,  
prouerb.

Barbari in fu-  
ganecantur.

tantum fugientium apparebant. Oblitus disciplina, & ordinum seruandorum, oblitus composita ludificationis, Debreas citato illuc equo plenus indignationis simul & timoris aduenit. Reuocantem socios, ac instaurantem enixe praelium intentus iam pridem Epirensis, summa pectoris lancea rimatus transfixit, labente subter mentum ipso ferro, quod dum reflexu capitis Barbarus vitare cupit, totum accepit, finis idem viri, & certaminis illius fuit. Prolapsus ex equo sui tantum tutatus, dum viuum putant, & resilire in equum expectant. Sed ubi immotum cadaver inspectum est, neque qui fugam multitudinis increparet, mansit, verſis (ut aiunt) proſis, signa pariter omnia, castra, impedimenta, focij, hostes eodem tenore relictī. Amesianus non immemor Mōdrisi, & recentis documenti nostrorum, sicut in hoc praelio maxime cautus, & studiosus salutis, ita primus in fuga fuit. Exorta lux, licet certioſam fugam viris, cruentioſam tamen fecit. Nam Musachus ab una parte, Moſes ab altera effuſissimis habentibus in eos proruentes, plures ferme inter fugiendum abſumpſere, quam inter pugnandum ceciderant. Nonnulli eo pacto & viui in potestatem venire. Quum afflantem penè humeros hostem claudere diutius nequirent, neque ad resistendum, vel glorioſe cadendum, virium, aut animi quippiam eſſet. Amplior adhuc multum ea victoria fuiſſet ſaltem propter numerum vulneratorum, ſi aliquod ſagittariorum agmen habuiſſent noſtri, ſed præter ſcutum, haſtam, gladiumq; aliud non aderat viris. Demum ubi intrantibus intima regionis Barbaris, periculoſior ferme ſequentibus, quam fugientibus ea perſequentio eſt viſa, firmato gradu Scanderbegus, & collectis focijs, captiuisq; ad ſuos multa læticia, nullo amiſſo, neque violato ſe recepit. Caſa eo praelio hoſtium 4. millia, 120. Noſtris (ut conſueuerat) donata, non empta victoria. Præda iuſſu Caſtrioti in medium congeſta, & diuiſa eo decernente inter milites eſt, ne deterior illorum cauſa eſſet, qui neglecta direptione caſtrorum, ſpolijsq; de occiſorum corporibus prætermiſſis, & neglectis in fugientes continuauerunt eum furorem belli, & laudem victoria. Equum Debreæ cum vniuerſis armis manu ferme ſua ipſe multo decore verborum tradidit Moſi. Alijs alia, & nonnullis captiuis conceſſi. Muſachio adoleſcens quidam Barbarus egregiam quandam indolem & generis & animi præſeferens. Sed non illepida contentio mox inter dominum & captiuum magna audientium voluptate orta eſt. Nam quum pro redemptione ſua verba mouiſſet iuuenis, & de quantitate pecunie Muſachij voluntatem ſciſcitaretur, conuentum tandem eſt in ducentos aureos, quos ſtatim Barbarus deprompto ſacculo numerauit, petentem poſthac libertatem Albanus irriſit: Aliunde parandum precium inquiens, iniquum fore, ut propriam ipſe rem pro ea redemptione cogatur accipere, & pecuniam, & quicquid cum eo captum eſſet, ſibi nuncu-

pari,

pari, & in eandem cum corpore rationem venire. Neque ſeruum belli iure ſeruare aliquid ſibi liberum potuiſſe. Inſtare ille nunc ratione, nunc precibus, ut ſe mitteret. Poſtremo res ad Scanderbegum deducta eſt. Qui de industria utroque dicere iuſſo conuerſus ad milites: Bellum, inquit, proſecto controuerſia genus iſtuc eſt. De re mea uterque iſtorum litigat, neque pecuniam quam ignorabamus, donauimus Albane, neque abuti tu per hanc fraudem beneficio noſtro debuiſti adoleſcens, utpote, qui planè ſcires vel ſpiritum iſtum ipſum ad arbitrium alienum precarium ducendum tibi, nedum in alijs viris quippiam relictum. Caterum neque ego etiam ipſe arbiter in cauſa propria iure eſſe poſſum. Sed quis non aptiſſime iudicet in negotio libertatis? Et iura omnia belli, omnes militia ſanctiones cenſeat eius favore ſeponendas? Damus cuncta nos tibi, ſcientes volentesq; Muſachi. Tu libertati hominem vel natura potius reſtitue, ſi tamen aliàs unquam in hanc rationem apud te venerit, ex omni arbitrio tuo, & animi ſententia in eum libere acturus. Sic lætus iuuenis accepta libertate, equo etiam, armisq; ſibi à Scanderbego redditis, exclamans aſidue eam libertatē, & Dijs omnibus, ducem, ac Epiroticum nomen cōmendans, dimiſſus abceſſit. Noſtri collectis impedimentis, deficiente iam die, in Dibram conceſſere, ibi deducta aliquantulum in medium illa conſultatio de oppugnatione urbium, ſed facile decretū, ut expectaretur quid acturus eſſet Tyrannus poſt eam cladem ſuorum, ne vel inania ſtatim, vel periculoſa ea conſilia experirentur. Statuti igitur duo ſunt meſes ad eam rem indagandam, & ſpectatores undique maximo ſtudio emiſſi, licet vix villo tempore transfuga ex Adrianopoli & alijs locis deeſſent. His ſic peractis, ac exercitu ſoluto, Moſes ad præſidium, Scanderbegus Croiam cum Ameſa & reliquis purpuratis ire perrexit. Redierat interea ad Mahumetem exercitus, licet miſerabili

Perturbatio  
Tyrāni ex ad-  
uentu reli-  
quiarum De-  
breæ.

k 3 tibus

De vita & gestis Scanderbegi,

tibus præterea glacie ac niue omnibus circumuentum, Debream paria omnia cum hoste, copias autem dimidio maiores habuisse. Sic tacite, ac veluti necessario eò decurrebatur, ut vel ita volentibus Dijs, vel militum eò ducis virtute, inuictam rem nostram dicerent. Mahumetem eo rerum miraculo percussum, stupor quidam nõ sine incesione timoris inuaserat, vix fieri posse dicebat, ut ea hominum paucitate, fines suos, eò Pologi campestria aduersus Debream ingressum Scanderbegum crederet: tamen quum eò omnium idem testimonium, eò præmia falsi nulla videret, non audebat spernere hominum fidem. Quod ad rem attinebat, eò rationem vlciscendi, non deerant undique appositissima ad regum vanitatem, morbosq; inuitamenta vana adulatorum genera. Qui sollicita interpretatione laudem omnem nostris auferentes, capita ipsi sua, corporaq; pro ea re deuouerent. Artificem tantopere insidijs intentum semel præcipitaturũ affirmantes, ut infinita eius generis exempla erant. Non Modrissos ubique, non notem semper, non Amesas omnes, eò Debreas futuros, cum difficili præterea hydra implicitum Scanderbegum, tot quotidie renasci capita ad eum absorbendum, quot præciderentur. Quod si in sinu Iouis esset, minime tamen tutum fore. Mahumetes audire libenter ea studia hominum, neque aperte reclamare offerentibus se vltro ad pericula multis. Nihilominus aliud coquebat callidus veterator, aliud incruentius vltionis genus versabat animo, quomodo domestico aliquo bello opprimeret Castriotum, eò intestina arma, insidiasq; in eum excitaret, ut in alios sape feliciter experta illi fuerat fraus, quod in Græcorum præsertim imperio extorquendo fecerat Amurathes, facile fretus (qua humane cupiditatis incitamentum fuit, maxime ubi imperij causa agitur) inuenturum se ex magis intimis, eò charioribus viris adiutores, eò auctores consilij sui. Plerique ea tempestate erant, quorum magna autoritas gratiaq; apud Scanderbegum tam domi, quam militia vigebat. Sed Moses sicut præcipua in bello virtute, ita splendore quodam egregio nominis primas partes inter eos sibi vendicabat. Tentare igitur tacite virum, eò magnitudine promissorum ad perfidiam pellicere in animo sedit. Accedebat eò illud ad commoditatem rei, quod maxime vicinum imperium eius, finibus suis ac Sfetigrado præcipue audiebat. Sic commodius inuitari ad colloquia hominem posse, eò agi singula secretius eò expeditius ratus est. Itaque quantum ad bellum eò inanes suorum iactationes, simulans se non iniqua ratione nunc differre Epiroticam vltionem velle, adhibitis paucissimis admodum ex purpuratis suis socijs eius consilij, literas de hoc ad Sfetigradi magistratus multo ingenio, studioq; confectas dedit. Alias quoque eiusdem sententia Alchriam ad præfectum urbis missas dicunt, sed non multum refert, an has scriptas epistolas, an secus quispiam credat. Melius tamen (ut arbitror) est putare vix vnus tantum literis eam

Adulatores  
appositissimi  
ad regum vanitatem.

Mahumetes  
vult Mosẽ  
Scanderbego  
abalienare.

Liber Septimus.

Et

ris eam rem agitatam. Ad quod existimandum, eò negocij huiusmodi ratio inuitat, eò illud fortasse, quod Alchrienses nullus vnquam effectus est sequutus. Illas ad se delatas eò resolutas Sfetigradensis quo cautius poterat, habuit, eò mandata Tyranni cupidissime ad animum transmittit: nam si rem ex voluntate regia peregisset, multa quoque honorifice promittebantur sibi. Formula vero literarum, quantum ad Mosẽ attineret, ea erat, ut nomine Mahumetis cum eo ageretur, dareturq; illi optio vel pecunia, eò dignitatis, si mallet apud Turcas, vel Epirotici imperij ex arbitrio eius, si Scanderbegum tollere posset de medio, vel id agere, ut eius ministerio tolleretur, aut saltem illo relicto ipse Turcarum arma sequeretur. Tum eò alia verba multum idonea ad persuadendum apposta, neque de Mosẽ comprehensum literis, sed eò de reliquis, licet non ita nominatim facta mentio, ac data præfecto potestas agendi, prout tempus locusq; posceret, ac censeret ipse magis eò dignitate, commodoq; regis futurum. Nihil omisit ex his Barbarus, summa ratione, consilioq; in inuitando primum ad coll. quum Mosẽ vsus. Nam communicato eo consilio cum vno ex suis, eò Christiano, eò Epirotici generis, illum ad hominem accersendum misit, multis oneratum promissis, si id persuasisset Dibrensi. Nox ad ea agenda (ut par erat) adhibita, eò Epirota locorum peritus nihil aberrauit. Inuentus est cum præsidio Mosẽ ad imperij claustra, summotog; teste, hostili nuncio copiam sui commodissime fecit. Ille priusquam aliquid de ceteris mandatis attigisset, ut Sfetigradum accedere vellet, eum inuitauit. Negantem acriter, ac velut iridentem impudentiam hostium, tum demum ad seria veniens, eò totus in blandimenta versus, sibi hominem attentum fecit, eò animum Tyranni ex parte illi aperuit. Audiuit non inuitus ea Mosẽ, hausitq; cupidissime (qua præcipue militaris vanitas est) apposta illa condimenta laudum suarum, præsertim quod regem Turcarum tam honorifice de se sentire audiebat, eò vnum ex totius Epiriflore vltro ad se eò voce, eò literis inuitare, ni erubescendum potius fuerit glorioso militi, quod vnus ex alijs multis veluti perditus homo ad tam insignem perfidiam, eò detestandum facinus potissimum eligeretur. Verum obliuisci omnium præ gloriæ eò imperij cupiditate consueuimus. Talem tamen se nunc nuncio illi vultus, sermonisq; habitu præbuit, ut neque approbare qua dicebantur, neque repudiare videretur. Sfetigradensis coniectata satis hominis voluntate, nihil diutius loquutus, pollicitusq; se propediem rediturum, eo concedente ad præfectum reuersus est. Interrogatum de eius colloquijs Mosẽ a militibus respondisse dicunt. Exploratore ex agro Sfetigradensi occultissime venisse ad aperienda quadam consilia hostium, sperareq; se eius ministerio maxime cogitatus Scanderbegi adiuturum. Credita facile omnia ab ignaris, præsertim

Forma literarum de tollendo Scanderbego:

Cupiditas imperij & gloria facit omniũ obliuisci.



tim quod & habitus & sermo ipse Christiani hominis idipsum suadebat. Quid præterea Mosi non crederent? cuius fide neque antiquior vlla apud duces, neque notior, neque gratior esset, qui toties, præsertim Daynensis belli temporibus, totius imperij summam illi credidisset, dum hinc Mustaphas, hinc Veneti rapere Epirum conarentur. Cogitabundus tamen secum Dibrensis tanta rei conscientia, & mæstior aliquantulum visus, impellebat animum huc, illuc nunc Scanderbegus nihil tale veritus, & fortuna sua gradus, cuius nullum sanè pœnitere potuisset. Nunc maiora omnia à Cabumete proposita, præsertim promissum illud diadema tantum miseris expertum mort alibus, ita dulce primo stare loco. Expectabat tamen intentus assidue exploratorem suum (quod satis efficax erat corrupti animi signum) O faciles aures, immo vero impias, quæ audire ea diutius potuere, & hominem longe ingratißimum, qui pacisci tam facile patriam, principem, socios, Deos ipsos, dignitatem oculumq; suum pro inani quadam spe, & re maxime incerta voluerit. Reuertitur interea scelerata legatio non verbis solum aptioribus armata, sed muneribus etiam, auroq; onusta. Imbibisse perfidiam tantum Mosem, aliud nihil accepisse inuenio. Nuncio tamen ita responsum, ne se amplius adiret, accipere regis voluntatē, & quicquid sit de alijs, enixe curaturum, ne se hostem vlla ex parte posthac ille sentiat. Ita dum Scanderbegus ignarus hincinde exploratores mittit, Mahumetis consilia rimatus, hinc multo funestiora alia in caput eius cudebant. Iam tempus præfixum ad dilatatum prius bellum, & oppugnationem urbi-um aderat, & quæta simul omnia ab Adrianopoli nunciabantur, quum Castriotus reputans iam pridem quam rem animo concepisset, & quæ necessaria essent ad omnia recte agenda, statuit omnino Italica auxilia (si posset) ad eam rem sibi adiungere, quando sicut ad campestria certamina, & equos utrinque concursus, copias se habere optimas existimaret, ita non satis idoneum militem Epiroticum ad oppidorum expugnationes, & id belli genus planè crederet. Erat Apulia rex Alphonsus in ipso propè conspectu, quo ut sæpius dictum est, non ille solum, sed totus ferè Christianus orbis familiarissime utebatur, de nullo alio tunc Epirosem cura inceßit, quippe qui neminem vel cupidius, vel celerius id oneris sciret subiturum. Quare priusquam aliquid de delectu habendo mouisset in provincia, duobus nauigijs egregie apparatis, multisq; lautißimis muneribus impositis, duos ex purpuratis suis cum literis ad regem, multa fiducia (ut consueuerat) ac ioco quodam contextis in hanc ipsam sententiam misit:

Nostrum milites cum viris tantum pugnare & depugnare nouerunt, cū muris nesciunt. Vos Itali (ut audio) id belli genus & calleris, & amatis summopere. Itaque opus est in præsentia mihi auxilio & industria vestra. Sunt oppida quadam hostium in Epiro, vel in ipsis propè visceribus imperij

Moses cogitabundus.

Legatio Turca ad Mosem, non verbis armata sed muneribus & auro.

Legatio Scanderbegi ad Alphonsum apuliam regem.


perij nostri, vetus est desiderium meum tollere eam ignominiam ex oculis si velint Dei, sed assiduis bellorum incommodis detentus, non potui quippiam ad hunc usque diem feliciter attentare, Tempus istud & propter anni accommodatum tempus & ocium Cabumetis, cuius bis iam furorem repressimus, aptißimum ad eam cupiditatem exoluendam elegi. Paucis tenere potes quid factu sit opus. Cætera omnia ferè in procinctu sunt, vos tantummodo expectamus, dabis milites (nihil enim recuso) qui eminus pugnare didicerunt, scorpionatos scilicet istos, & sclopigeros, nam cæterorum nobis ad facietatem abundat copia. Sed o felicem te rege Apuliam mi Alphonsi, ex qua ita liceat omne virtutis specimen, tanquam ex thesauro aliquo affatim depromere. Si pace, si bello vtilis viros optauimus, tu forum, tu militiam ornasti, tu legibus, tu armis Epiroticum fulsisti imperium. Te domi, te militia omnis sexus, omnis ætas, omnis Epiri angulus celebrat. Ego verò ita beneuolentiam tuam amplector, & foveo memoriam tuorum erga me officiorum, ut interdum vel eam fortunam exoptem tibi (& si non satis æquè agere videor) quæ amicos (ut aiunt) probat, nō parat; quo voluntatem in te meam certiore aliquo experimento cognoscere valeas.

Datis ad Regem literis, ipse cum Amesa nepote, Musachio Topia sororio, & alijs purpuratis Dibrum ad præsidium concessit, consultaturus ibi de singulis, & delectum insuper habiturus. Quò cum peruenisset, & interrogaret Mosem, an aliquid haberet ipse noui propter vicinitatem hostium, quod sua interesset, nihil inquit, præterquam, quod cum homine Sfetigradensi collocutus sit, an aliqua esset ratio, aut modus urbis habenda, & illum maxima asseueratione idipsum negasse, ita viris, armis, comætu, & custodijs diurnis, nocturnisq; exactißime oppidum munitum obseruari. Veritus est Dibrensis, ne Scanderbegus ad Sfetigradi oppugnationem animum intenderet, & necesse sibi foret Cabumethi quoq; promissa non seruare. Quare ad idipsum maxime intentus, Scanderbegi curam facile Belgradum transtulit. Verum enim uero Tyrannus auditis his, quæ transacta fuerant cum Mose, non multum quieuit animo, cum nullum videret promissæ fidei pignus datum sibi. Tamen urgentibus alijs curis ex Græcia, & poscentibus arma, deposuit aliquantulum Epiroticam expeditionem, quando vel ipse tunc ire, vel magnis copijs rem agere commode non posset. Leuibus verò agminibus (ut fecerat) laceßere ulterius hostem, vel alere potius, neque è dignitate, neq; ex utilitate sua videbatur fore. Itaque tantum renouatis literis, & datis ad præfectum Sfetigradi, quibus laudabat, & acuebat magis diligentiam hominis, aliud nihil de ijs, quæ ad Epiroticum bellum pertinerent curauit. Alphonsus interea legatione literisq; Scanderbegi honorificè acceptis, summa festinatione conquiri

Scanderbeg Mosem conuenit.

l militem

militem iussit. Delecti illico sunt, ita exigentibus legatis mille pedites, quingenti sclopiferi, reliqui scorpionarij. Adijcere numerum maiorem volentem regem prohibuerunt, negantes maioribus copijs opus Scanderbegi fore propter breuem oppidorum hostilium ambitum, qua oppugnatum essent ituri, & multitudinem sagittariorum, quam haberent in provincia. Petiere tamen ad ea armatorum auxilia instrumenta quadam bellica, & vectes ferreos ad subruendos eruendosq; muros. Data omnia, & tormenta pleraq; varij generis, artificesq;, qui ijs uterentur. Neque contentus his rex, pecuniam etiam amplissimis addidit ad adiumentum eius belli, ac totidem alijs nauigijs magnifice instructis. Ventis, Dijsq; homines



commendans, a se dimisit, sed non sine literis & ipse, quibus ingentes primum gratias agebat, ob sibi data munera, tum laudabat fiduciam Castriotti de rebus suis, quibus uti ut proprijs hortabatur, & augebat officiosissimis verbis illam, ac mira liberalitate sermonis pollicebatur omnia. De milite verò id facetissime responsum, Italos non cum viris tantum & muris, sed cum feminis melius pugnare nosse. Cauent itaq; Epirota, ne quos ad gerenda eminus bella inuitarent, cominus domesticos sibi bellatores sentirent. Cetera qua laudauerat in rege, omnia (ut solet) ad magnitudinem amoris relata. Et contra virtus, fortunaq; nostri ducis, incredibili decore verborum extra omnem propè glorie humana aleam posita. Austro spirante mox placido prospera nauigatione sunt visi, pauloq; post patriumq; littus à nauticis salutatum (traiectus enim breuissimus est, vix 60. millium passuum) & miles in terram cum sarcinulis & armamentis expositus, ac prope-

In Italos facere dictum & falsè.

properatum illico Croiam. Castriottus adhuc in Dibra morabatur, propter cæptam delectus curam, qui propè perfectus erat, & observabat, an motum aliquem ab Adrianopoli sentiret. Peractis, & comparatis egregie singulis, cum uniuerso exercitu Croiam pergat ire. Ibi & regia auxilia sibi adiuncturus, qua certissima spe expectabat, & accepturus quadam, qua ad eam oppugnationem sibi opus erant. Moses in Dibra cum veteri presidio mille equitum, totidem peditum relictus. Non omisit interea Scanderbegus inuitare hominem ad Belgradense negocium, satis cupiens tantum virum eo bello adesse sibi, & mallens alij eam curam finium tutandorum demandare. Hortati sunt & alij ad id ipsum Dibrensem, sed ille tergiversando, & causando multa, per inax hostibus fidei data seruator non inani ratione se subtraxit, quum diceret non relinquendam ita opportunam iniuriam, eam partem provincie esse (nam Belgradum in diuersa regionis parte erat, procul à Dibra centum ferme 40. millibus passuum) neminem cautius, vigilantiusq; res suas, quam seipsum tutaturum. Non fuisse recusaturum, si Sfetigradum iretur vicinum oppidum, & nulli molestius fore, quam sibi, ab eo apparatu abesse, ubi & gloria multum, & utilitatis plurimum sperare posset. Sed neq; se (ut credebat) sine bello futurum: non enim quieturum Mahumetem, ubi obsessam urbem audiat, irrupturum fortasse ab ea parte in provinciam, ut nouo inde excitato belli incendio, Epiroticum exercitum à Belgradensi cura auocaret. Accepta omnia ut dicebantur, & laudatum perfidum consilium ab ignaris, dataq; potestas presidij augendi, si tempus resq; posceret. Castriotto venienti Croiam, regia agmina obuiam processere, & multo gaudio, clamoreq; exceptum duxere in urbem. Reliquus exercitus fixis tentorijs non procul à portis consedit. Exposita sunt omnia à legatis, qua acta cum rege fuerant, & pecunia numerata, ac tradita litera, qua multum risus mouere Scanderbego. Idemq; ceteris, nam eas magna suorum frequentia legi voluit Epirota. Laudauere omnes summopere tantam comitatem, ac populare ingenium regis. Castriottus magnificentiam eius, & amorem in Epiroticum nomen longa concione testatus est. Copias ab eo missas, prout gradus cuiusq;, ac ordo poscebat, laute haberi publicis conuiuijs iussit. Reliqui purpurati interim machinas & tormenta apparare, expedireq; alias necessitates, exercitus, ac omnia imperata enixe facere. Perfectis singulis Epirota, sequente (ut fit) omnis generis multitudine, usque ad castra ipsa urbem reliquit, ibi primum percensito exercitu, supplicationes votaq; pro reditu, & victoria facta. Persolutis his, & expectante iam milite signum ad proficiscendum, Scanderbegum ita exorsum ferunt:

Vndecimus iam hic annus est milites, ex quo (ut videtis) nihil aliud agimus, præterquam ut in Epiro maneamus, ut auorum sedes, ut patriæ possessionem

Reditus Castriotti ad urbem Croiam, Dibris cum nouo delectu, relicto ibidem Moses cum veteri presidio.

Laudatur perfidum consilium Mosi.

Oratio Ca-  
strionum ad du-  
ces & milites  
in profectio-  
ne sua ad urbem  
Belgradi op-  
pugnandam.

possessionem fato magis quodam, quam vlla ignavia nostra amissam recit-  
peremus, recuperatamque retineamus. Nunc enitendum est tandem vobis,  
agendum ita, ne hostes hic maneant, & frena iugumque, qua benignitate Deum  
tot undecumque bellorum periculis, & laboribus exantlatis tam gloriose de-  
posuistis, alijs gloriosius imponatis. Quod si illis, qui imposuere vobis pro-  
hibet fortuna nostra, at saltem testandum praclaro aliquo documento



vires defuisse vobis, animos, & pertinaces spiritus non defuisse. Ni satis  
fortasse testatum est id ipsum vniuerso terrarum orbi, quum oblatas olim  
vero ab Amurathe (cuius memoriam temporis libenter repeto) pacis non  
inhonestas conditiones, immemores patriae, immemores parentum, ux-  
orum, filiorum, quietis, ocij, & omnium rerum, praeterquam praecipui cuius-  
dam decoris, & incorrupta libertatis obliti velut sordidissimas respuistis.  
Non subiectas oculis cruentissimus Tyrannus, non infixas oisibus vestris  
tam horribilis exercitus memoria, mouere feroces animos potuit, & desti-  
nata semel pectora libertati, donec vel ipsi egregie cum ea caderetis, vel  
memorabilis cuiusdam victoria confessionem tanto hosti vel inuito expri-  
meretis. Adiuuit cogitatus vestros, Deus optimus maximus, vidistis, per-  
speximus omnes eodem ferme temporis momento & tributa poscentem A-  
murathem, & efflantem nobis ingentem scilicet spiritum, & tot mortali-  
um votis petitum. Tunc relicta Epirus, & data est nobis. Tunc vera libertatis  
omen acceptum, ac sequendum cupidissime fuit, & per recentis illius sangui-  
nis vestigia hic, quem nunc paramus, ducendus erat triumphus, ac ampli-  
anda gloria vestra. Sed quid frustra praeterita quarimur? praesertim quae &  
non

non iniqua ratione possint excusari. Amplior fortasse hodie laus, & cumu-  
latiora omnia seruata vobis. Non ex patre solum fortuna vestra, sed ex fi-  
lio quoque, sat egregia auspicia sumpta. Dedit experimentum nouus rex &  
animi, & fortuna sua, quale vos ipsi, si fors daretur, eratis petaturi. Tribu-  
tum poposcit primo egregius dux, sat iam armis vestris domestico exemplo  
plane edoctus, & altera ferme manu paternum funus ducebat, altera pa-  
cem quarebat a vobis, licet honesto quodam praetextu tributi, talem tamen  
laturus, qualem eratis concessuri. Sed consilium illud Tyranni propter  
Persicos tumultus, non timorem quis dixerit? Quid dicam? Vos eodem  
vultu, pertinacia eadem, qualiscumque ratio causam et vel timori, vel con-  
silio dedisset, expostulatum negaturi fuistis. Et ita alacriter negata omnia,  
neque negasse querepiam poenitet. Armatus postea id ipsum exigere vo-  
luit Mahumetes, dati exactores ad vos, persolulistis egregie omnia. Nu-  
merastis in Mocoera valle publice, privatimque, petitum tam cupide tri-  
butum istud, numerastis nuper in Pologensi agro. Vbi vbi est, oro, recens  
adhuc, & cruentum Debreae caput illud? Hoc signum sequendum erat  
vobis, hoc ad Belgradenses portas figendum. Prodesse haec multum & pos-  
sunt & debent ad vos animandos, caeteraque, euentum ipsum belli respici-  
unt, tempus, locusque optime suggeret. Proinde nemo obijciat hodie mihi  
vel maiores hostium apparatus, vel formidandos aduentus Ottomanum.  
Vbi armis oportebit, obnixo vultu, & intrepidus animis resistemus ar-  
mati. Vbi consilio, prudentiaque opus fuerit, temerario laudis appetitu  
funestam gloriam non petemus. Nemo vel pugnam, vel fugam nostram  
rite initam poterit arguere, ut & in Sfetigradensi oppugnatione factum  
a nobis meminisse potestis. Obsedimus urbem, vexauimus quoad com-  
mode licuit inclusos. Quum de aduentu Amurathis fama percrebuisset,  
noluimus expectare ut ipsi obsideremur. Qua tempestate necdum hostem  
immodicum, sed ne id tempus quidem expectauimus, quod iniquiorem vobis  
proculdubio, quam obsessis obsidionem illam faceret. Domum in hyber-  
na vos reduxi, omnia totius vltionis, omnia urbis recuperanda, & ho-  
noris prope mei cura pra quiete commodoque vestro. Belgradensis oppu-  
gnatio eadem ipsa ratione agenda est nobis, & agatur quantum consilio  
humano effici poterit. Considerabimus caute sub muris, aduentum ho-  
stium cautissime obseruabimus, ut tuti interim a tergo, & sine respectu  
aliquo pugnetis. Venientibus vel cedemus, vel resistemus, prout res tem-  
pusque feret, prout ipsi statuatis. Et accommodabimus rationem omnem eius  
obsidionis ad vestram omnium voluntatem. Si aliqua (ut fit) vel belli for-  
tuna, vel pertinacia hostium desiderium nostrum protrahet, aut eludet  
forsan, non ideo stolidi obstinatione consenscemus sub muris. Idem & au-  
tumni erit, & oppugnationis nostrae finis, ni magna aliqua ratio continu-

andi eius belli nos impellet, aut alicunde illiceat. Sed neque autumnū virtus vestra expectabit, neque inglorios vos ego, & vacuis (si viri eritis) manibus domos reducam. Nam per Deum immortalē quid agent tot dextera? tot opposita artificia, & bellici apparatus? Quid regius flos iste militiae ex omni propè Apulia electus, & datus vobis, vel relegatus potius ad hanc causam in Epirum? Examineda hac omnia vobis summo consilio sunt milites. Horum ratio exactissime singulis animaduertenda, & pensanda saltem hoc pacto Sfetigradensis iactura Epienses. Nihil alienum appetimus, non noua gloria vlla queritur nobis, si vincimus, sed vetus restituitur nobis patrimonium, & recens ignominia aboletur. Nec nostra solum, sed totius penè Epirotici generis, nonne & Christianorum id oppidum, & consanguineorum vestrorum? Omnes ferè meministis, quod post Theodori Corone, reguli eius loci mortem, inuentus iam pridem Amurathes nepharia id sibi arte sicut cetera vendicauit. Plena adhuc est vrbs (vt audio) veteri habitatore. Adiuvabunt hac multum (ni fallor) conatus nostros, intus extraq; oppugnabitur hostis, & incruenta fortasse vos victoria manet. Expectant assertorem aliquem, ac auctorem consilij sui. Mox velut longis pressi tenebris, ab oblatam à vobis lucem, & auditum nomen libertatis ardentissime conuolabunt. Quare agitedum, vel adeste expectantibus virtutem vestram, vel cogite hos quoque vnà cum ceteris, si obstinatos inueneritis. Gloriat̄ur maxime Hungaria Belgrado suo Danubij ripam apposito, & inter maxima virtutis suae exempla id oppidum refert, ad arguendam hostium ignauiam. Patimur itane (si dijs placet) & ipsi insigni totius Epirotici nominis ignominia, Belgradum nostrū diutius in oculis, & visceribus nostris, ab infestissimis hostibus possideri?

Ab hac voce, velut signo dato, vndique sublato alacri clamore, procedere iam agmina cœpere. Sed Scanderbegus nihil adhuc ipse mouens sistere signiferos, & redire ad sua quenque loca iussit. Nondum enim de more praemissi fuerant praecursores ad perlustranda rite singula, & occupandum castris locum. Electa ad hoc tria expeditorum equitum millia, & Tanusio assignata. Qui mox abscissa omni mora discessit, & veluti ex oculis hominum euolauit, cupiens si posset, celeritate praeuenire hostem, & in re improvisa egregium aliquid nauare, ante reliqui aduentum exercitus. Castriotus post hac praecedentibus impedimentis cum ceteris copijs sequutus est. Praeuenerat iam fama prior, & instruxerat hostes de singulis. Quare nihil penitus vel ad insidias, vel ad aperto Marte sciendum materia inuenire nostri. Nam agrestes, & quae meliora in campis fuere, omnia iam pridem in urbem recepta. Et frumentum omne (in medio enim aestatis erat) demessum, ac contractum intra mœnia ab oppidanis fuerat. Niles impatiens ocij, ubi neque ad laudem, neq; ad praedam relictum sibi quippiam vidit, ad

Theodorus  
Coronaregulus.

Tanusius cū  
tribus milli-  
bus equitum  
præit iustum  
exercitum.

dit, ad iniiciendum tectis ignem, per agros, & reliquis satis, ac arboribus nocendum discurrisset. Sed prohibuit Tanusius se nihil tale à Scanderbegō accepisse inquiens. Dispositis itaque hincinde custodijs, nullo neque verbo, neque facto laceffens inclusos, quietissime consedit sub muris. Neque ab oppido motus aliquis fuit in subiectos. Intus tamen procurata studiosissime omnia, ac stationes (vt operaprecium erat) diuisa, & ministeria sua singulis assignata. Praesidium Tyranni satis validum erat, mille amplius militum numerus, Christianorum tertia parte maior multitudo vilium ad arma, nam infirma stas sexusq; capita non curata. Variatum multum sententijs est inter regios, an id praesidium Christianum eijceretur ex vrbe, an retineretur. Suspecta fides hominum erat, nam & ritus, ac ingenia diuersa, & alij quoque Dy, omnia suspecta magis iure faciebant. Minuebat tamen eam suspicionem, quod relictū tam diu ab Ottomanis praesidio vrbs, & habitū honorifice essent. Neq; villo satis tempore aliquod perfidia indicium in illis fuisset deprehensum. Videbant praeterea uxores, liberos, parentes ipsorum, & fortunas omnes velut quadā pignora in manu sua esse. Igitur multa in diuersum dubias mentes trahabant. Praefectus cupiens & retinere illos in vrbe, & efficacius aliquod fidei aliena pignus habere, ac tuto (vt aiunt) tergo, & sine respectu domesticae rebellionis pugnare: conuocatis senioribus quibusdam Christianorum priuatim multa cum eis tacita insinuatione suspicionis egit, & militum suorum consilia illis aperuit, inquiens, non sine seditione rem transiuram, ni aliqua securitate, & vinculo fidei illorum animi sedarentur. Se de officijs & fide ipsorum nunquam dubitasse, neq; in praesentia quicquā dubitare, & non minus spei in eorū armis, quam in seipso, & regio praesidio ponere. Sed habendam rationem aliorum, neq; spernenda postulata illorum, quorū res agebatur, & praecipue intererat vnicū tantū existimare se habere hostem. Conqueri Belgradenses nihil se tale villo satis tempore commississe, vt penitere Turcas fidei sua posset, vel suspecta apud quempiā animorum suorum sententia esset. Nullam subesse rationē, vnde tantus timor perfidia suae oriretur, nisi ex eo, quod Christiani, & Epirotici generis essent, sed iniuria profecto id obijci sibi, an scilicet meliores se Christianos sub alijs futuros sperarent. Quum neq; liberalius, neq; indulgentius ritus, legesq; suas seruare sibi à quopiam permitti, concediue possit, quam eousque à Mahumethe sit permillum. Reliquas causas inanes proculdubio omnes esse, quae Scanderbegum illi conciliare proponerentur. Nunquam subiectum id oppidum Castriotō fuisse. Dedi gnari id iugum Belgradenses, & prius extrema omnia, quam eam ignominiam perpeffuros. Timeri id posse si aliqua Theodori soboles extaret, & cupida veteris fortuna multitudini offerretur. Extinctā cum eo esse omnem Belgradensium societatem, & consanguinitatem cum Epirotarū gentem, ac

Praesidiū Ty-  
ranni in Bel-  
grado.

Colloquium  
Praefecti cum  
senioribus  
Christianorū.

tem, ac Ottomanum abinde imperium tam patientissimis, quam cupidissimis animis acceptum, libertatem se illi, patriam, uxores, liberos, parentes, corpora denique, ac sanguinem suum dicasse, deuouisseq;. Neque habere nunc aliud certius pignus, vinculumue, quo fidem suam regio obstringant presidio, praterquam id ipsum quod dedissent Amurathi. Omnia in manu eorum esse, filios, uxores, fortunas, & quicquid charum, iucundumq; in uniuersa vita possiderent. Barbarus non tam qua dicebantur, quam animos, vultusq; dicentium contemplatus, accepit alacriter orationem, studiaq; illorum, tamen maximo ingenio pluribus adhuc actis, transactisq;, non prius eos dimisit, quam satis magnum numerum ex suis velut obsides promississent. Sic promissi pariter & dati sunt, ac ducti in arcem custodiendi, ubi Turcarum tantummodo presidium morabatur. Misisset profecto libenter eos ad aliquod oppidum vicinum, vel Adrianopolim ad alligandam melius hominum fidem, sed obsidione impediende non potuit. Pacatis eo modo, ac firmatis omnium animis prefectus, quum stationes singulas obijisset & perlustrasset portas, ac loca quaq; urbis, & in foro iuxta morem ad varias rerum necessitates disposuisset agmina armatorum, excitare deinde suorum animos, & inycere suos quibusq; stimulos fidei virtutisq; his verbis cepit.

Obsides dati  
ex Christiani-  
nis.

Adhortatio  
urbis prefecti  
ad Belgraden-  
ses, vt urbem  
munirent, si-  
de seruarent.

Si quid dicendum a Duce militibus in presenti hac causa erat Belgradenses, & si quid animorum vobis ex me sumendum fuerat, praeuertit certe id ipsum, praecipitq; orationem meam omnem oculis subiectus hostis. Nulla efficacior adhortatio, nullus acrior stimulus vel fortibus, vel ignavis illo esse potest. Non hortatur vos ille, non inuitat, vt facio ipse, sed urget, cogit ad arma. Strinxit ferrum in iugulum vestrum, attulit vincula iam iam impositurus, si iacentes inuenerit. Affert ampliora alia omnibus publice, priuatimq; Scanderbegus. Videor iam videre mihi insolentissimum hominis aspectum, & cruentum os illud vocantis vos ad seruitutem. Obturate, occludite aures, rogo per Deos immortales. Ad sordidam vobis, turpemq; vocem, non ore, non labris, sed gladio, sed dextera respondendum est fortibus viris. Appositis fortasse verbis, & honesto aliquo pre-textu societatis pellicre ad se animos vestros conabitur, & velut vana & leuia muliercularum ingenia in singulas partes versare tentabit. Eodem ad omnia vultu, eadem pertinacia utendum est vobis. Luctuosum profecto est quouis modo, turpissimum autem ita libertatem pacisci. Et priusquam sanguinis aliquid forti viro sit profusum, eam exprimi turpis ignavia confessionem. Non ideo ferrum, armaq; sumpsimus, vt verbis expugnaremur. Non portas eo animo clausimus, & valide fiximus, vt ipsi aperiremus. Aperiat tandem iter sibi hostis, si fortuna ferat, sed timendum hoc minus, quam nunc caelum ruiturum. Quod si vel urbis munimenta, vel abundantes omnis generis commeatus, vel habitum ipsum loci, vel nu-  
merum

merum vestrum, vel virtutem spectro, toties expectatum mihi huius belli euentum, & cupitam victoriae palmam certissimo mihi animo spondeo. Potuit Sfetigradum in medio quasi hostium solo, & presidio adhuc minore omnem Epiroticum furorem tamdiu contemnere, & Ottomanum nomen seruare in Epiro? Potuit Croia ( liceat ex hoste quoque exempla virtutis petere ) uniuersum ferme Europa atq; Asia robur tam cupide & audacter expectare, ac prostratis undiq; mœnibus, omni nudata presidio, pertinacia sola, tam insignem gloriae titulum in omnia secula promereri? Nos in rerum omnium copia, ac ferme abusu, in proxima etiam spe auxilij ab Adrianopoli, infame huiuscemodi praeconum agmen, non solutis undique animis bona cum spe aspiciemus.

Exempla vir-  
tutis ab hoste  
petere.

Inflammat adeo ea oratio militum ingenia, vt prater multas ( vt fit ) iactationes, sponsionesq; fidei, nonnulli circa praefectum circumfusi, summa contentione poscerent copiam erumpendi, ac congregandi cum hoste, sed nihil concessum, quum Scanderbegus in propinquo esse nunciaretur, neque multum spacij inter hac, & aduentum eius intercessit. Quarta erat hora diei, quum exercitus noster omnis contractus est ad urbem, &

Aduentus Scan-  
derbegi cum  
reliquo exer-  
citu & copijs  
suis ad urbis  
obsidionem.



consedidit sub muris in campestri loco. Pransum primo per quietem, & curata corpora, tum impigre partita copia, & sua quibusque loca assignata Statuerat namque Castriotus eodem ipso die oppugnationis initium facere, ni pacatum aliquid allatum fuisset ex urbe. Quindecim hominum millia erant, octo equitum, septem peditum, disposita circum & per planum, & per montem omnia, qui non multum arduus neq; erectus non pe-  
diti

diti solum, sed equiti quoque satis commodam stationem praebebat: subdu-  
 eta eo ipso tormenta, & locata à peritis, ac opposita mœnibus diuersis locis.  
 Ordinatis tamen omnibus, nocti concessum est, intus multum de recenti  
 illa hominum audacia aspectus ipse nostrorum, & is praesertim appara-  
 tus machinarum detraxit. Adueniente die, ubi concuti muros erectis tor-  
 mentis videre, & nudari quibusdam locis munimentis & propugnaculis  
 urbem, simul consultantes, simul reficientes mœnia, variaverunt aliquanti-  
 sper sententijs, an colloqueretur cum hoste, priusquam ad scalas, & milita-  
 rem furorem res deveniret, verentes tueri non posse urbem. Et si in ipso ar-  
 dore pugnae id attentissent, hostem victoria spe inflatum non concessurum,  
 tamen renitente praefecto, quum nondum talem vim periculi, & nunquam  
 copiam eius turpitudinis defuturam diceret, superessum. Idem & die se-  
 quenti factum, nam Scanderbegus nondum satis facta via militi, per fra-  
 cturam murorum, cominus adhuc nihil moliebatur in oppidanos. De-  
 mum elapsis duobus alijs diebus, & urbe iam ruinis deformata, qua par-  
 te magis obnoxia iniuria erat, sepositis tormentis, militum iam animis,  
 operaque agendum ratus, postero die verè oppugnationi, atque virtu-  
 ti praefixit, omnia apparari iubens, ut cum aurora ipsa succederetur mu-  
 ris, quod factum est. Ceterum inferentibus iam signa nostris, & clamore  
 sublato procurrantibus ad hostem, progressi illico legati ex urbe, & dedu-  
 cti ad Castriotum, inducias eius primo petiere, qua nullo negotio fieri con-  
 cessi. Sciscitantibus deinde illis, quas deditibus sese condiciones esset al-  
 laturus, responsum quæ deditibus deberentur. Salva eorum corpora  
 cum armis & sarcinulis esse velle, reliqua victoribus debere. Reversa le-  
 gatio, & exposita omnia, ac audita maxima omnium molestia, quod tam  
 gravia sibi re adhuc integra statuerentur, qua salute penitus in armis de-  
 sperata, & urbe ferè amissa impetrare victi facile possent. Mæsta ubique  
 agmina, ac incerta quid agerent, timore, indignationeque in diversum tra-  
 hentibus. Christiani nihil mutire, nedum dicere auditi, licet prout condi-  
 tiones à Scanderbego propositæ essent, privari se patria & patrimonio suis  
 viderent, tamen si urbs dederetur, sperabant facile sibi quaecumque petissent,  
 concessurum Epirensem. Itaque neque pro conditionibus, neque contra eas  
 intercessere, ne qua etiam in eos suspicio renouaretur. Rogati à praefecto  
 quid de ea re sentirent, nihil respondere, iussumque se, non rogationem ex-  
 pectare, quod ipse è dignitate ac utilitate omnium censeret, se & armatos,  
 & inermes approbaturos. Multum eius diei consultando transactum, de-  
 cretum tandem, ut mensurae induciae peterentur. Quod si per id spacium  
 auxilium non haberent à Tyranno, nihil essent recusaturi eorum, qua im-  
 perarentur, sperantes Mahumetem celerrime aduenturum, neque passurum  
 eam ignominiam, quem ante ipsum Tanusij aduentum, de eo apparatu in  
 se con-

Belgradenses  
petunt indu-  
cias à Scander-  
bego.

Christianorū  
in Belgrado  
prudentia.

Mensurae in-  
ducia petita.

se contracto, pramonuerant. Et sic libertatem se, ac civitatem incruentos  
 servaturos. Quod si negasset id hostis, acuendum ferrum, animosque & per-  
 tinacia aduersus pertinaces utendum. Remissa itaque ea legatione in ca-  
 stris, Scanderbegus deridens eiusmodi postulata, sanius deliberare de om-  
 nibus, & apparari ad bellum iussit. Deinde ubi obstinatos, & vix quinque  
 dies ei tempore detrahentes vidit, acrius exarsit. Sed nox interveniens di-  
 remit eas actiones. Purpurati quidam, & periti militia viri, non respu-  
 endas omnino eas inclusorum condiciones censebant. Videndum tamen an  
 minui id tempus ab eis petitum posset, allegantes difficillimam oppugnatio-  
 nem loci, quum & mons in cacumine, quo urbs amplectebatur, non satis  
 tutum ascensum ex maiori parte praeberet pugnaturis. Et lapides vini cir-  
 cum pluribus locis assurgentes, ac opere humano in munimenta deducti,  
 contemnerent omnino, & veluti eluderent ictus machinarum. Ex eo e-  
 ventum belli tardiores aliquantisper, & rem longiusculam futuram, vel  
 darentur induciae oppidanis, vel non darentur, utroque modo credere se au-  
 xilium Tyranni, eo loci accessurum. Magis tamen periculosum fore, si  
 & occupati forsitan, & fessi offendantur. Si verò vel non veniat, vel tar-  
 det id praesidium, incruentos se, & sine militum pernicie potituros urbe.  
 Si veniat, tempore vsuros, & occasione. Aptissima sibi omnia ad pugnam,  
 ad victoriam, ad laudem esse. Nihil maioribus se copijs memorabilem  
 illam cladem Alybassa infligisse. Immemorem praeterea tunc Epiri, ac ob-  
 litum ferè omnium Mahumetem praeter Trabisondei imperij cupiditate.  
 Non alia ratione putare se, obfessos id spacij ad tradendam urbem petere,  
 nisi ut Tyrannus tam subitam & ignominiosam eorum deditioem non  
 possit arguere: & profugi olim, ac rebus omnibus exuti venia apud eum,  
 & misericordia aliqua digni videantur. Subridens ad ea Castriotus: Sa-  
 ginatos tot victorijs Epirotas, delatioribus factos esse, inquit, superiore an-  
 no frigoribus, nunc caloribus nimis impedi. Opus esse (quod Dij omen  
 prohibeant) aliqua fortuna, qua eam ignaviam, & torporem excutiat a-  
 nimorum. Credulos etiam plus nimio appellans eos, prioris temporis haud  
 absimilem Sfetigradensium perfidiam fuisse inquiens. Quid facturos de-  
 mum, si quum tempus praefixum negotio aderit, vel coctam tacite fraudem,  
 vel mutatos hominum animos sentiant. Datturos poenas eius crudelitatis,  
 & amissi iacturam temporis nequicquam doluturos, ac pendendum tan-  
 dem interim ex hostium voluntate, fideque, quia tamen vera multa praesertim  
 de difficultate oppugnationis, ac occupationibus Tyranni dicebantur,  
 non ideo se quid opus facto esset differre debere, & si aliquis interim  
 apparuisset motus ab Adrianopoli, sat egregias vires suas ad se defenden-  
 dum, & ad omnem iniuriam excludendam esse. Dibras praeterea Mosis  
 praesidio tutissimas esse dicebat, passus est tamen & ipse trahi in eam sen-  
 tentiam.


Cōfliū quo-  
rundam pur-  
puratorū de  
inducijs.

Castriotus ir-  
ridet cōflium  
purpuratorū.

Inducia sedesim dierum.

tentiam. De tempore multis ultro citroq; transactis, denique 16. dierum interuallum concessum. Sic re composita cum oppidanis, Castriotus primum omnium prater ceteras custodias à Tanusio prius dispositas, 25. milites super monte quodam non procul misit ad latiore securitatem suorum, ut visum à longe hostem sublati accensis fasciculis primo, deinde ipsi aduolantes proderent, quo spacij aliquid militi ad instruendam aciem & arma sumenda foret. Hoc pacto deinceps ut meliora exercitui statua faceret, & separatis aliquantisper tentorijs, respirarent agmina ab ijs caloribus qui tunc vigeant, ipse cum Amesa, & nonnullis purpuratis, retentis tantummodo tribus equitum millibus, & mille peditibus, montem tenuit proximum oppido, singulis summa ratione dispositis, & tormentis quibusdam in procinctu habitis, ne impetus aliquis in se ab oppido fieri posset. Musachium & Tanusium cum reliquo exercitu in subiecta planicie maioris commoditatis causa castra transferre iussit, & quiescere ab armis, ceterisq; operibus militem, donec praefinitus oppidanis dies aduenisset.

MARINI



MARINI BARLETII SCODRENSIS SACERDOTIS, DE VITA ET GESTIS SCANDERBEGI EPIROTARVM PRINCIPIS, Liber Octauus.



**H**Ellesponti prope in littore ipso, & transfretantem iam in Asiam Ottomanum ad Trapezuntium imperium sibi vendicandum, multiplex, neq; mendax fama Belgradensis obsidionis inuenit conquerentem maxime & iniquo ferentem animo, quod tam ingentis parata facultas gloria sibi eo impedimento è manibus quasi eriperetur, quem etiam non sine stomacho dixisse ferunt:

Tyrannus audita Belgradi obsidione, ommissa omnia cura, totus in eam soluedam est conuersus.

Semper Epirus aliquid maesti rebus nostris affert. Moxq; Asiaticis rebus tunc ommissis, & in alia die prius dilatis, toto animo Belgradi curam suscepit. Non defuere quidam ex satrapis, qui minime interrumpenda ea consilia suaderent, neque tantam rem, ac tam insignem apparatus ob infamis vnus Epirotici oppiduli periculum praetermittendi. Mahumetes autem nõ id exemplum se à maioribus suis accepisse inquit, ut dum plus nimia forsitan cupiditate appetit aliena, sua indefensa & iniuria exposita

Sordida victo-  
ria, imperium  
hinc ampliare  
inde amitte-  
re.

Studium Tur-  
carum in im-  
perio custodi-  
endo.

Pannonés  
Hungari.

Craftinam a-  
quam appa-  
rare, & presen-  
ti incendio con-  
flagari.  
Sebalias ma-  
gnis copijs  
mittitur con-  
tra Scander-  
begum,

relinquat. *Sordidam victoriam omnem, & nullius se momenti quantam-  
cunque gloriam putare, qua minima alicunde ignominia deformatur, am-  
pliandum ne hinc imperium expedire, amittendum inde? Quem vero suo-  
rum quieto animo pugnaturum in Asia, ubi insultantem Macedonia, &  
laceratam corpora suorum nepharium transfugam assidue credat? Multum  
laudis, plurimum preda fore apud Gracos, sed maiorem iacturam ex  
Belgradi amissione, quam commodum ex totius acquisitione Asia videri  
sibi, & eam fama rationem presentibus posterisque hominibus ab imperato-  
ribus velut ab optimis tutoribus exactius reddendam esse. Trapezuntium  
praterea non fugere, Belgradum si auferatur, recuperari difficile posse. Ex-  
tinguendum prius eum ignem, ne contemptus vires sumat, & compescen-  
dum furorem insolentissimae gentis. Croiam documento omnibus esse de-  
bere, qua inultis adhuc cladibus, & malis suorum, maxima Ottomani no-  
minis ignominia stet, & tantum eo titulo velut insignita inter ceteras E-  
piroticas vrbes caput efferat. Instare tum illi, munitissimum rebus singu-  
lis id esse oppidum, procul abesse, vt vlla satis vi expugnari queat, vel de-  
cernendum id auxiliij Belgrado, vt neque ipsum quicquam patiatur, neque  
Asiaticum negocium interpellatur. Sed nulla ratione suadere quicquam  
potuerant, aut obstinatum eius auertere ab Epiro animum. Belgradensis  
obsidio, & ignominia sola totum hauserat hominis ingenium. Ita nullum  
hominum genus diligens magis est, & anxium ad imperium custodien-  
dum, quam Turcarum natio, & insignem in omnia secula iniuriam cre-  
dunt, si vel lapidem vnicum ex rebus suis sine vltione sustulerit hostis, vel  
aliquid innouauerit. Multa de his exempla licuit semper, & quotidie  
inspicere licet. Illud obiter non pigeat referre, de quo recens est hominum  
memoria. Quum Pannonés, quos Hungaros nunc vocant, iuxta Danu-  
bij ripas turrim quandam ligneam, rem prorsus memoratu indignam, con-  
struxissent, ad varias necessitates, & priuatas magis quam publicas com-  
moditates, auditum id Paiaz etes iste ita aquo animo ferre non potuit, vt  
exercitum validissimum, & impensas maximas ad eam rem subuertendam  
facere sit aggressus. Neque eo contentus ipse impatiens vltionis, illuc ma-  
ximis incommodis conuolauerit. Cessit pariter, & derisit hostis egregium  
eius rei spectaculum, neque multum id damnatum, aliasque ob eam causam depu-  
lationes sibi factas conquestus, multas illi tales victorias libenter impre-  
catus est. An laudanda sit diligentia, an vitio danda, euentus ipse rerum  
sanè docet. Nos timendum nihil credimus, donec ad cubiculum & pului-  
nar ipsum irrepserit ignis. Quo fit, quod dum craftinam semper aquam  
apparamus, presenti conflagremus incendio. Consilio igitur, quod maxi-  
me ad id rerum genus accommodari solet, vsus, ex eis copijs 40. equitum  
millia Sebalia cautiore, quam audaciori duci decreuit, exercitum, & nu-  
mero*

*mero & virtute hominum pulcherrimum, & firmissimum. Egit deinde  
cum illo Tyrannus non adhortationibus modo, sed precibus quoque, & quam  
efficacibus potuit verbis, vt quicquid animi, virtutis, industria, vigilan-  
tia in eo esset, tunc maxime ostenderet. In euentum belli prosperum, ac li-  
berationem ipsam vrbes, dona ingentia, ac excelsi quique gradus dignita-  
tum promissi, praesertim si Scanderbegum aut viuum, aut occisi saltem il-  
lius caput attulisset, & sic finem Epirotico bello imposuisset. Ceterum  
hanc rem aliter etiam transactam inuenio, duosque ex eo exercitu longe for-  
tissimos viros, Ahmath & Barach eorum nomina erant, accessisse sponte  
ad regem, & in exitium Scanderbegi ingentem summam pecuniae stipula-  
tos, atque maiorem promissa praestantem animam, & preciosum planè cor-  
pus, quod tanti aestimet auarus. Sebalias re ipsa magis, quam verbis consi-  
lium Tyranni amplexus, factoque ad ea peragenda opus esse ratus, nihil fer-  
mè moratus, tollere praecipua celeritate signa (vt opus erat) iussit, & mi-  
liti quaerenti quo duceretur, Epirum ostendit. Nihilominus ipse de ea re,  
quam Mahumtes anxius, Belgradum illi ubique vigilanti, in somnis, no-  
ctes diesque ante oculos erat. Quare veritus, ne inclusi rem sibi integram  
non seruarent, & cupiens dubios confirmare ac implere spe proximi auxi-  
lij, vix relicto rege, expedire celerrime nunciuum ad obsessos cum literis sta-  
tuit. Sed vix inuentus, qui id muneris acciperet, & tam apertum pericu-  
lum subiret, licet ea promissa proposita forent, vt (qua mortalium libido  
est) non allicere possent, sed cogere quemcumque ad accipiendum. Nuncio e-  
quus (vt par erat) qui perniciosior in omni exercitu eligi potuit, ad eam rem  
datus, qui diebus ac noctibus omni labore ac tempestate contempta, tribus  
paulo plus diebus ad oppidum quoddam Turcis parens, 125. millibus pas-  
sium procul à Belgrado, cui Girocastro nomen est, aduolauit. Nam  
de mutandis equis id statutum est à Tyranno pro istis nuncijs, quos ap-  
pellant Ulach Turca, vt quicumque inter currendum offeratur, nullo per-  
sonarum discrimine habito, ex equis statim desilientes poscentibus illos  
tradant, & sic frequenti mutatione, recentibus semper equis incredibili ce-  
leritate peragunt iter. Ibi re communicata cum magistratibus loci, con-  
silio eorum usque ad aduentum noctis mansit. Tunc demum equo relicto,  
mutatoque habitu, pedibus profectus densissimis tenebris, non procul ab vr-  
be se collocauit fallenda custodia, ubi Scanderbegi agmina erant. Nam  
reliquis campestris copiae, & Topiarum castra remotius stabant, quam  
vt sentire possent. Facile tamen elusi omnes, quoniam declinata eius statio-  
ne ab alia parte montis, ubi difficillimus aditus erat, maximo silentio pra-  
terlatus, vix quoque sentientibus suis, muros subiit, sibilo dato, vocatis al-  
locutisque custodijs cognitus, & fune demissa, acceptus illico in urbem est.  
Circumdederat iam vndique multitudo euntem ad praefectum, & quid at-  
tulisset*

Belgradū mit-  
titur nuncijs  
à Sebalia, vt  
dubios confir-  
met.

Girocastrum  
oppidum vici-  
nū Belgrado.



tulisset presidij, quid spei pendentibus animis expectabant, ac sedulo percontabantur. In propinquo enim erat finis induciarum, & tempus migrandi ex urbe. Prefectus summot a turba, & silentio omnibus indicto, paucis tantummodo eius consilij socijs assumptis, audiuit per ocium hominem, & lectis demum literis, fidem singulis, quae dicebantur, latissimus adhibuit. Decretum insuper inter Principes presidij fuit de defendenda, si opus esset, ferocissime urbe, donec Sebalias aduenisset. Die orto impertientiam publice eam latitiam censuere. Communicata itaque est inter omnes non per clamores, & voces praconum, sed per praefectum primo in foro, dehinc alijs per alios, & tegi res cautissime iussa, ne quicquam persentiret hostis, quem tum ludificare de termino dato proposuerant, tum incautum opprimi cupiebant. Tamen dum silentio fallere nostros conantur, alio clamore, indicio, se ipsos prodidere. Nam verentes Sebaliam ad diem sibi dictum non affuturum, & aut deditio, aut defensione opus fore, fracta quibusdam locis mœnia, & munimenta tormentis dissecta, solliciti rescicere, atque instaurare incipiunt. Sensit Castriotus, & coniectatus fraudem, valde indignatus, iam propior ad oppugnandum fuit. Sed quia vix triduum deerat ad euentum conditionis, sedato aliquantisper animo, nuncium ad obsessos mittit, acriter obiurgando, quod stante foedere inter se iecto aliquid innovarent, & id apertum signum latentis alicuius perfidia esse, aut mox cessarent ab opere, aut hostilia omnia si paterentur, non fidei suae, sed sibi ipsum imputarent. Paruit oppidanus, & abstinuit prorsus ab ijs, quae videre hostis, aut sentire posset. Cetera neque interdum, neque per noctem omisit, in conuehenda intus terra, & firmandis aggeribus fundamentis murorum, ac praeparandis lapidibus, & alio missilium genere ponere munimenta. Quantum spes potest in variandis mortalium animis? Modo visus solum hostis tantum ignavia integris iniecerat. Nunc quassatis undique muris, & nudati eoque presidij munimentorum parantur in hostem, & eo maioribus irarum stimulis exarsurum, quod fractam sibi fidem ultore gladio iure queat exposcere. Procurant tamen seduli per muros, per priuatas ades, ac publicas, & loca quaque eminentiora urbis, sicubi tam expeditum, & promissum sibi presidium conspiciant, si puluerem, si strepitum aliquem venientium notent. Omnis sexus, omnis aetas ad id maxime intenta. Plus assueto vident oculi, & ab ea tantum parte immoti haerent. Quicquid vel offeratur, vel per strepet sensibus, omnia Sebaliam, omnia Deos suos esse credunt. Eadem ipsa res, quae spei oppidanis, timoris nostris causa erat. Prospectant & hi solliciti cacumina locorum custodij suis assignata, an ramus, an ignis, an signum aliquod nunciet arma capienda, sternendos, frenandosque equos, quos neque stratos semper tenere poterant, neque ipsi stare armati, deficientibus penè corporibus propter anni tempus maximis caloribus

incom-

incommodum. Prius tamen hostilia signa, clamoresque, quam aliud quippiam vel videre, vel audiuerunt. Tanquam nauis quandoque in medio mari defixis in vexilla sua oculis, pinacula multi dicunt, iam pridem haerent, expectantes qua parte moueantur, quis ea ventus agat, ut vela, ut antennis expediant. Ceterum subita tempestas exorta, quam non nebula, non aequoris fremitus, non minime aliqua caelestes praecessere, nihil tale timentes obruit, disijcit vela, ac rudentes è manibus excutit, & properantes ad ministeria sua turmas, sat agentes hos, parantes illos nudo ordine opprimit, ac rebus tandem desperatis omnia ceterorum cura, priuatae salutis homines consulere cogit. Sic mirantibus nostris super capita quasi ipsa gladium extulit hostis. Curari aequè me cum illis non immerito me hercle subit, quomodo talis apparatus, & tam propinquus aduentus Barbari calatus eoque stare potuerit, ut non flumina, non lapides ipsi proderent. Ita forsitan volentibus Dijs, qui (ut inquit ille) ex altero dolio, continuum fortuna successum, interpellare voluerunt. Nullo fermè bello defuere transfuga exploratores, litera, & occulti nuncij ab amicis Scanderbegi, tunc omnia aequè desiderata, ni id forsitan fuisse causa dixerimus, quod parato iam pridem in Graecos, Asiaticos, & habito ad manum exercitus ea celeritate actam rem, ut non potuerit fama aliqua praertere venientes, sicut in parando, & conficiendo delectu, usu fieri consuevit. Litera praeterea & nuncij non sunt id negocij genus, ut semper possint rectè expediri. Et inuidere fortasse veteres amici gloriae viri, quem eoque extra auitos limites efferentem caput a quo animo ferre non potuerunt. Sed hac sicut incerta, ita non satis audacter confirmanda nobis. At recensenda tamen sunt, ut negligentia saltem aut tarditatis crimen euitemus. Nam si quid minus verum dictum fuerit, excusabit iustissime nos ea auctorum penuria, in qua paucis aut nullis extantibus scriptis vix aliud propius vero elici potuit. De custodia quoque illa, quae in opportuniore & clariore prospectu erat, & ex qua potissimum pendebant oculi nostrorum, variant homines. Alij enim corruptos promissis, & muneribus ab hoste illos dicunt, alij negligentius pererrantes quosdam per aemiora loci, quosdam dormientes ab antesignanis hostium oppressos, & sic occisos omnes, priusquam aliquid de constitutis signis facere potuissent. Quid credam ipse non satis indicare possum, nam perfidia sicut nullam causam, ita non facile adeo eam rem puto fuisse, nam quod facile forsitan fuisset in paucis, difficile profecto in eo numero existimandum videtur. Occisorum quoque nulla cadauera, nulla vestigia postea visa. Quamobrem non desunt, qui captos eos non iniqua ratione asserant. Alia custodia non eam partem obseruabant, unde periculum fuit, & quae obseruabant, non poterant venientes, nisi in propinquo aspicere hostem. Hi itaque aliquantulum spacij praeuere stationibus ad se instruendum. Non potuit

de more

Castriotus  
mittit nunci-  
um ad obses-  
sos.

Quantum spes  
possit in vari-  
andis morta-  
lium animis.

Marinae tem-  
pestatis descri-  
ptio.

Homer. Iliad.  
vlt. lib. scribit  
in Iouis limi-  
ne sita esse  
duo dolia,  
quorum alte-  
rum sit plenū  
tribibus, alte-  
rum latis.

Scanderbeg  
definitus ex-  
ploratoribus.

Præsidium montanum causa totius mali.

de more longius spectatores mittere Castriotus, neq; prospicere melius salutis suorum, ne incolarum insidijs, vel aperta etiam vi tollerentur, quum omnia ubique hostilia essent. Præsidium illud montanum, & vel negligentia ( ut diximus ) vel perfidia hominum causa totius mali fuit, ac decepit exercitum, ita ut Musachium, cuius viciniora ad accedentem hostem tentoria, & primum venientium impetum exceptura erant, iterantibus, & clamantibus custodijs, adesse Turcas, & pulverem fermè ostendentibus grauate credidisse dicant. Tamen hunc ipsum nonnulli alea ludentem cum contubernali quodam ex regijs, dormientem aliqui inuentum asseuerant, & imminente tandem hoste, quum ascendendi equi spes, atque copia præcisa foret, pedibus effusa fuga petijisse montem, sed mox oppressum. Nos & tempus licet angustissimum ad equum, ad arma capienda habuisse, & acriter dimicantem inter primos cecidisse accepimus, & illius interitum, principium fugæ fuisse. Nam quum apparere iam signa hostium, & procurfare antesignani viderentur, ipse instructus ( ut potuit ) copijs, dubius primo tam de pugna, quam de fuga fuit: sed quia propter nimiam hostium vicinitatem nihilo incruentior hac futura apparebat, præterea non ratus eam hostium multitudinem, nolens deniq; Scanderbegum cum cæteris, qui in monte erant, relinquere, excepit acerrime impetum venientium, ac integer animi, viriumq; aliquantisper oppetenda mox ultionem mortis sua ipse dextera sumere volebat. Sed ubi cadentibus undiq; socijs, nudari omni præsidio latus, & inanem virtutem suam, inanem pertinaciam vidit, citato equo sapius sequente milite fugere in montem conatus est. Nullus enim alius locus propè erat, ubi differri, nedum euitari id periculum posset. Occlusis tamen omnibus ab hoste itineribus, & velut circulo sæptus, tum demum virtute in rabiem versa, ipso audaciæ miraculo hostem deterruit, Tanusius Thopia licet ab altera parte & ipse vix minore arderet incendio, miseratus Patruelis casum omnium oblitus, ac velut amens dolore, aperire viam illi factò in hostem agmine pluries tentauit, sed ubi irrita omnia, & eam tantum pietatem præstari homini posse aduertit, ut socius illi caderet, saluare tum reliquos, & colligere circa se, ac hortari ad fugam cæpit. Idem Tanusius Ginachius ac cæteri fecere. Vix tamen quicquam periculi, vel sanguinis diminutum per fugam, nam partiti, & effusi undique hostes, hi circa Musachium, donec aliquid superesset reliquiarum, alij circa fugientium agmen cæptum semel victoria tenorem nusquam interpellabant. Scanderbegus, cuius remotiora castra aliquantum ab ea iniuria fuere, sapius descensurus ad socijs quoad poterat auxilium ferendum, vel cum eis gloriose cadendum sustulit signa, tamen rogatus à suis, ut occasionem aliquam captaret erumpendi, neque in tam apertum discrimen, & certam mortem rueret, infrendens dentibus, & ore iam dudum cruentato, nunc

Tanusij Thopia pietas in patruelem.

nunc huc, nunc illuc crebro ferebatur motu. Nam ferunt de eo illud quoque dignum memoratu, quum initurus prælium foret, vel in ipso etiam pugnandi ardore, præter cætera mirabilia mutati vultus signa, labrum inferius scindi solitum cum copia multa sanguinis, quod etiam nedum in bellicis rebus, sed ciuilibus quoque negocijs frequenter visum, quum præter modum excandisset. Barbarus Musachij copijs cum duce ipso concisis,

Mos Scanderbegi, labrum inferius scindendi, ut sanguis effluat.



Tanusium, cæterosq; fugientes effusissimo cursu sequebatur, modico subsidio post terga relicto. Hinc forsitan credi potest montanas copias nostras ab illo non curatas, seu partim occlusas, partim quæ expedita campestri victoria, facile intercipi possent, aut ita forsitan trahente ardore, & studio insequendi reliquam rei benegerenda occasionem amiserunt. Tum Castriotus ubi non multum periculi ponè vidit, dispositis, ut in eo tumultu, summo consilio copijs, ac pedite intermedio accepto, relictis omnibus, descendit in planum. Ex oppido nulla usquam eruptio vel instantem eum, vel discedentem facta. Quod satis mirandum est, quum eam ubiq; victoriam suorum, & tuta quasi omnia viderent obsessi. Timuere ( ut plerunque fit ) eos qui non minus timebant. Tamen Scanderbego discedente, mox aperta urbs, & multitudo ad diripienda castra discurrit, priusquam victor miles ad eam prædam aduolaret, rapta per ocium omnia, & tormenta multo clamore, læticiaq; tracta intra muros. Scanderbegus relicta Musachio cura, ubi ultione potius, quam auxilio villo opus erat, in insequentes maximo impetu delatus, simul lacerabat hostium terga, simul clamabat suis, ut sisterent gradum, & nouo auxilio vterentur. Agmina Turcarum, qua

Scanderbeg fugit cum reliquis copijs.

in subsidijs fuere, & cum Musachianis depugnauerant, omisis socijs, nostrisq; ad pradam hincinde & spolia legenda circumfusa, multum laxamenti praeuere Scanderbego ad deterrendum hostem, & inhibendam fugam suorum. Nam ubi eripi sibi victoriam à tergo, & instare Castriotum aduertit Sebalias, conuersis prius signis, & obnixo vultu aliquantum & accepit cladis, & intulit. Dehinc retracto ab una parte exercitu paulatim cedens firmavit aciem, donec dispersum hincinde, & inordinatum militem collegisset. Scanderbegus non multum infestus cedenti, cogere & ipse reliquias suas, ac unire procurauit. Nullum respirandi tempus permissum à Barbaro, licet & fessa, nec dum satis composita eius agmina essent. Irruit contemptu, ac derisu quodam in aduersos, finem iam iam Epirotica insolentia, ac supplicium rebellionis adesse minitans, absorbereq; se cum equis armisq; eam paucitatem crebro dictitans. Nam praeter alios qui apud Tanusium, & inter fugiendum ceciderant, tria millia amplius cum Musachio oppressa, duo peditem, reliqui equites. Scanderbegus velut intrepidus magister, collectis eius naufragij tabulis, ac vix resecta carina, ad nouam se tempestatem, maiore animo quam spe accingit, clamitans furibunda voce: Me me sequimini comilitonem, ad cadem, non ad pugnam, increpansq; suos, & singulos appellans: Quae socordia isthac vestra? Quis insolitus timor? Iacebunt ne inulta tot egregia sociorum corpora? Cadetis multi vos? Hostis vetus est, hostis inquam nil aliud, quam assuetam materiam gloriae vestrae. Ac inter ea dicta ad confertissimos quosque prouolans, necessitate iam etiam ipsa cogente ultima audere, Homericum illud ubique exactissime me verum esse probabat: Fortitudinem solam inter virtutes saepe furentes quosdam impetus habere, quare nunc cedentium, nunc resistentium caede & sanguine cuncta replebat. Inuictus semper, ac saelix bellator, sed tunc virtus eius maxime enituit, & priora omnia fortitudinis opera longe est supergressus. Catera quoque illius copiae furentes, desperatione, ac rabie velut caeci rucere in ferrum, & sequi in quencunq; euentum Ducem. Ceterum Georgij Thopia Tanusij fratris subitus casus, multum timoris reliquias intulit, quem humi collapsum, ac obrutum prope vix ex hostium faucibus eripuerunt nostri, ac imposuerunt in equum. Pedites nostri cauere melius vim hominum poterant, quam equorum, nam ab eis pluribus locis strati obterebantur. Quare summo ingenio atque celeritate equos occisorum, vel suos, vel hostiles, quos habere poterant, conscendebant. Ea res causa salutis multorum fuit, & totius etiam exercitus, quum velut duplicarentur eo modo vires hominibus. Scanderbegum perfracto quodam cuneo hostili, penetrantem ad vexilla, & stationem ipsam Ducis, ut inde victoriae auspiciam, & confessionis hostibus exprimeret, progressi ante alios duo viri, qui in caput eius olim iurauerant Tyranno, strictis gladijs excepere.

Triamillia cum  
Musachio oppres-  
sa.

Pulchrum simile de tabulis naufragij.

Fortitudo sola inter virtutes saepe furentes impetus habet.

Georgij Thopia casus.

excepere. Eo loci Musachus Angelina, dum patruo suppetias ferre cupit, vulneratus est in dextero humero. Idemdem cateri à fronte, à tergo, à lateribus pauci, à multis onerati vix respicere ad Castriotum poterant. Ita unus duobus velut sorte quadam relictus, omnium oculos in se conuertit, nam Barbari expellentes manu, voceq; socios, soli eam ferre laudem & praemia ab Ottomano proposita volebant. Circumeunt crebro virum, & citatis hincinde equis sine respectu sui discriminis inuisum caput, & ferocem spiritum petunt. Iniecta Castrioti virtus, ac experta totiens dexte-

Stratagemata  
Scanderbegi  
cum duobus  
Turcis.



ra, sollicitos suorum animos, & trepidas turmas solabatur, quippe quem toties & ex duobus, & pluribus victorem excepissent. Multa tamen timere facit timor & ferocia, ac audaces hostium insultationes. Impellunt ubique agmina opposita, & re adhuc integra, quod poterant auxilium, ferre Duci contendunt. Interim Scanderbegus hostibus cominus congressis ipsorum alteri, cui Barach nomen supra diximus, mediam faciem ense, qua sedes oculorum est, aperuit, alteri quum multiplices inter se ictus ambo sine ullo haustu sanguinis consumpsissent, gladius humi prolapsus. Tum impiger hostis acto propius equo, victorem utraque manu tenaciter amplexus, excussis stipendijs, & equo relicto, humeris eius toto corpore se suspendit, ut eadem illum ruina traheret ad terram secum. Tum circumfusi passim Turcae, ut commilitoni suo suppetias ferrent, celeriter conuolant. Sed statim praecisa pendentis ceruice, Epirotica liberum se accurrenti frustra hosti obtulit, aucti ex eo & cateris animi, ac sequentes victorem, inclinatos iam Barbaros multis confodiunt vulneribus, atque alios super alijs iacentibus

tibus addunt. Attulere multum & molestia inde, & solacii hinc ea victoria auspicia, ac mutata fortuna omen acceptum. Sed defatigatio nimia hauserat iam utrorumque vires, & parendum iam nocti erat. Prior Barbarus confessionem vel timoris eius, vel lassitudinis praebere coepit, ac hortantibus ducibus colligere se circa signa, & recipere in montem, priusquam tenebrae eos in planum operuissent. Castriotus & ipse immodico labore ac dolore confectus idem cum suis fecit, collemque proximum 15. ferme stadiis procul ab hoste conscendens, ibi usque ad secundam vigiliam noctis mansit. Ac tunc demum non somno, non cibo corporibus curatis, quum neque adesset quippiam, neque praemeditata optaretur, silenti admodum agmine discessit, Sebalias ea nocte oppidum non est ingressus, sed comportatis ab oppidanis cibarijs, per montem, & suburbia tentorijs fixis, multisque custodijs adhibitjs, eam victoriam celebravit: nam credidit nostros ibi diem expectaturos, & denuo velut insuetos vinci homines, & impatientes eius ignominia, postridie fortunam belli tentaturos. Quare luce orta instructis ad pugnam omnibus, descendens in planum, crebra agmina suorum hincinde dimisit, ad laceffendum hostem, si alicubi latitaret: licet enim sensisset secunda vigilia strepitum, & signa quadam discedentium, tamen ratus est, vel aliquo tutiore loco illos vel aptiore ad insidias contractos quiescere. Hac eadem quoque causa fuit, ne ad depopulandam, & devastandam provinciam exercitum duceret, veritus eam victoriam, ac rem tam suis inusitatam, casu aliquo deformare. Igitur neque fugam nostrorum, & sperata copiam pugna ablatam sibi, multum moleste tulit, parti eius insueti quasi decoris, & possessa semel fortuna nimio plus studiosus, id quod satis hesternae pugna ostendit, quum prior facietatem, vel defatigationem suam confessus receptui signum dedit. Confici enim tunc forsitan potuisse Epiroticum bellum non difficile crediderim, si plus animi Sebalias fuisset, quippe quum lassitudinis, & temporis par utrinque ratio, paria incommoda essent, immo virium autem plus, quo plures erant, & equites omnes. Quamobrem erupturos iam pridem fuisse nostros in fugam non dubito, si salutis quippiam deprehendissent in ea: sed quia tum tutior pugna pediti visa est, tum mali sui confessionem tumido hosti dare nolebant, ita forsitan statuentibus Dijs, qui & augere his, & illis minuere spiritum voluerunt, ac noctis demum tam opportuno beneficio desperatas iam res tutati sunt, ne tot olim armorum laudes, ac perfungenda gloria materia eo die clauderetur, ac pessimum iret Epiroticum imperium, priusquam ferme creuisset. Vbi itaque vacua circum omnia hoste visa, & libera victoribus relicta, tunc demum reliquum ira, odijque, quod in vivos non poterat, in iacentia passim cadavera insolens dextra explevit. Spirantes tamen adhuc multi inuenti, praesertim qui attriti ab equis perfractis cruribus inutiles tam ad fugam, quam ad

Sebalias victoria celebrat.

Sebalias pulchritudinis.

Odium Turcarum in iacentia corpora.

arma

arma ceciderant. Quorundam manibus praecisis, reliquum corpus inuisum spiritum seruabat. Aiunt etiam nonnullos vel multis laceratos vulneribus, vel ferreis hostium clavis deturbatos, ac relictos, per eam noctem tacite surgentes, per loca vicina latitasse, & postea Croiam peruenisse. Cafa sunt eo praelio nostrorum 5. millia, 3. peditum, reliqui equites, vulneratorum magnus numerus. Regium auxilium Apulorum totum ferme deletum, nam maior pars eorum cum Musachio fuit, praeter agmina quadam, qua Castriotus in monte secum habuit, & in re tam subita inutiles sclopi, & id genus armorum fuerat, quin ex nostris quoque plurimi inerme, & sterneutes equos, oppressi: vini octuaginta capti. Illud tamen foedisimum & teterrimum fuit, quod hostes cupientes testimonium aliquod privatae virtutis secum habere, discurrentes per stragem nostrorum, palpitantia adhuc cadavera, ubi ceteris rebus nudassent, capitibus quoque (ut eorum mos est) priuabant. Et quia tum propter longitudinem viae, tum calores aestiuos, eo quod subito putrescerent, incommodum id onus erat, excoriabant ea, & cutem tantum acceptam, qua formam oris seruaret, palea implebant. De multis hoc factum, illis praesertim, quos vulnus & habitus ipse, vel notiora nomina digniores eo odio fecerant. Musachij non caput tantum omni foeditati & iniuria destinatum, sed discerpta singula membra, & velut nefariorum grassatorum regionatim sparsa. Alij quoque trunci tracti per loca, & valles adiacentes, ne foetore vexarentur oppidani, & feris auibusque relictis. Licuit impunè omnia, & per securum ocium agere, nam Castriotus longè aberat, & addito ad eas reliquias recenti milite, loca quadam, & saltus obsederat, ne irrumperet hostis, & penetrare interiora provinciae posset. Sape libido incepsit nouum aliquod vitionis genus tentare (ita quandoque instare periculo impetus est nobis) sed nunc immodicus, & victor hostis, nunc longinquitas viae, & grauantia sociorum vulnera prohibebant. Impleuit subito fama eius cladis vicina circumquaque loca, ac provinciam omnem, quin & longius progressa merorem ubique, & lachrymas ingentes excitauit: nam dictum est a multis, exercitum nostrum omnem deletum, & Scanderbegum ibi casum, vel coiectantibus ita hominibus, vel astruente libenter (ut fit) vulgo praclarum aliquod, licet luctuosum mendacium. Alij eadem ipsa fortasse ratione abolitas copias omnes affirmabant, & solum eum pugnando prius egregie, deinde fuga seruatum. Plures (id quod & verum erat, & propius vero videbatur) magnum numerum nostrorum amissum, Scanderbegum vix credibilia diuini propè corporis, ac inuictae virtutis experimenta dedisse, & sola quasi sua dextera & animos & vires hostium fregisse, ac demum eius praelij laudem è manibus victorum extorxisse, & illasum, inuiolatamque cum reliquis esse non longe à Croia. Ceterum luctus & ululatus plena ubique omnia visabantur, sordidatæ matronæ,

Cafa Christianorum quinque milia.

Crudele incetta cadavera capitibus priuare. Cadavera excoriare, & cutem palea implere.

Vulgi mos praclarè mentiri.

matronæ,

Moses perfidus arma vertit in patriam.

trona, & domus omnes in lachrymis ac squalore, licet nihil adhuc certi haberent, quid dolerent, tamē funera iam iam sua, veluti si ante oculos essent, lugubriter expectabant. Mosi perfidiam, & occultam iam pridem rebellionem, prospera Scanderbegi fortuna, & res secunda suspensam & dubiam eouisque tenuere. Sed ubi audita exercitus clad es, & cognita calamitas eius, tum demum cupita iam diu occasione accepta, vertit & ipse scelerata arma in patriam, ac diripere cepit (ut aiunt) naufragij tabulas, quas & struxerat ipse olim, & se penumero seruauerat. Sed quia sordidum suapte natura factum eo fœdus Mosi videbatur, quo nullum eius negocij socium haberet, cupiens participes aliquos sceleris sui comparare, & multitudine quasi peccantium, infamiam suam minuere, atq; maiore aliqua auctoritate accedere ad Ottomanum, ne si solus velut transfuga isset, perinde ut vilis contemneretur. Seduxit quosdam ex suis magis intimos, & quorum satis peruias aures eiusmodi consilij credebat. Ac velut dolens primo vicem Scanderbegi, & calamitatem Epiri tacite, & Mahumetis in se animum, & qua ab eo multoties sibi oblata essent, illis aperuit, alliciens multis verbis ad se sequendum homines, & ad eam perfidiam completendam, mutatam fortunam Epiri, ac coactos tandem, si nunc respiciant qua proponantur sordida, & infœlicia omnia subituros inquiens. Et reflexa deniq; oratione, quid præterea semper se sub Scanderbegi auspicijs victuros? & sanguine, ac sudoribus suis alienam gloriam aucturos, cum alioquin tam certa imperij spes, & ingentis materia laudis detur a Tyranno, multisq; subinde confictis criminationibus in Castriotum inuectus, animos illorum ab eo abalienauit. Sollicitasset & alios fortasse Moses ad eam defectionem, & multitudinis, ac populorum ingenia conciliare Turcis procurasset, sed ita singulorum mētibus hærebant Castriotus, & tam infixum omnium pectoribus nomen, ac imperium viri, ut facilius (quod aiunt) Herculi clauam eripere potuisset, quam a vulgi affectibus Castrioti benevolentiam amoremq; demoliri, namq; unā cum corporibus ipsis, non cum vlla variatione fortuna & fides eorum expiratura apparebat. Quare non solum inanem eum laborem, sed etiam periculum aliquod sibi veritus Dibrensis, nihil ulterius tentauit. Sed coniuratis suis contentus, & ordinatis omnibus, dato per noctem signo, Sfetigradum eos duxit, ut inde literis à magistratu habitis, & libero per ignota hostium loca impetrato commeatu, Constantinopolim securus accederet. Neque quippiam frustra à Sfetigradensibus desiderauit, sed perbenigne ab omnibus acceptus, & literis adiutus est, & comitibus qui euntem ab iniurijs provincialium seruarent. Sebalias aliquot dies cum oppidanis commoratus est, donec munimenta quadam instaurasset, ac diffectos ab hoste muros aggeribus stipitibusq; solidasset, nam in ea celeritate non poterant apparari lapides, & alia ad renouanda mœnia demolita tormentis,

Herculi clauā extorquere. Ioui fulmē eripere. Proverbium natū ex Maronis Apophthegmate.

mentis, sed & hæc procurata, atque ante eius discessum summo studio parari cœpta, præter cetera tamen copiam ingentem frumenti, & reliquos affatim commeatus inuehi in urbem procurauit, quoniam ad vetus presidium septingenti amplius lectissimæ & fidelissimæ opera viri additi. Tormenta etiam qua ablata nostris fuere, omnia oppidanis concessa, præter machinas quasdam minores, scorpiones, & sclopos, qua cum ceteris occisorum spolijs ad ornandum triumphum sui spectaculum ad Regem ferenda reseruauit. Ita munita egregie urbe, ac obsidibus traditis Christianis, laudatisq; publice omnibus, mœstam admodum, & quasi trepidam ciuitatem lætissimus ipse reliquit. Sed neque illis etiam deerat causa dolendi, qua tam immodicam sui latitiam contunderet, & mancā redderet, licet insuetis vincere hominibus nihil ea victoria pulchrius, nihil præclarior videretur, nam relictæ ex ipsis quoque sub Belgrado tria paulominus occisorum milia. Illi præterea duo viri, quorum sanguine, satis redempti Musachij manes videbantur, merito cum felicitate illa compensari poterant: factis tamen militariter foueis, humati omnes, ne victi forsitan ad cladem recensendam, & funera sua accurrentes, per lacerationem inuisorum corporum vltionem, & nouam quandam satisfactionem quærerent. In Dibra orta luce, ubi nusquam visus Moses, magnus tumultus, & mœror simul excitatus, præsertim inter amicos, & cōiunctiores viri. Quæsitus est solcite multis locis, & expectatus usque ad noctem. Nonnulli occisum, quidam tacite ad explorandum aliquid profectum, & aut captum ab hoste, aut si id non esset, mox reuersurum credidere. Plures coniectantes pridiana eius consilia, & latentes seductiones quorundam, id quod in re erat, affirmabāt, qua sententia ideo maxime recipiebatur, quod & suspecti eius coniurationis nusquam apparebant. Quamobrem trepidatum est multum in Dibris, præsertim inter milites presidij, qui & adhuc hostem victorē in Epiro, & se sine duce esse sentiebant, proditumq; præsertim ab ijs quibus minime debebat Scanderbegum, dolebant. Tamen militaribus pro tempore suffragijs, ac consensu inter se (ut fit) mox & ducem, & reliqua qua opus erant summo studio statuerunt. Erant inter ceteros nobiliores eius loci, & principes iuuentutis duo fratres ex vetusta Berisiorum familia, Demetrius, & Nicolaus, quorum & præclara, & frequenti opera utebatur Scanderbegus: hi audientes tum fortunam exercitus nostri, & Belgradensis obsidionis euentum, tum defectionem ipsam, ac perfidiam Mosi, nihil tardati, mox ad presidium & imperij claustra aduolarunt, verentes ne vel timore aliquo, vel licentia solueretur illa custodia, & vacuus defensore locus relinqueretur, præsertim quod Sebalias adhuc in Epiro esse nunciabatur. Summa itaque ratione primum intentissima conquisitione habita, auxere id presidium, & formauere verbis, factisq; animos hominum, concilian-

Sebalias munit Sfetigradū

Moses fugit ex Epiro.

Demetrius & Nicolaus ex Berisiorum familia.

tes illis omnibus modis Scanderbegum, & eius fortunam commiserantes, ac perfidiam Mosi detestantes, quem fortasse profectum ad introducendum illic hostem, & mox affuturum dicebant. Credita facile omnia, ac redactus tutiore loco miles, & apparatus singula, quasi iamiam expectaretur hostis. His ordinatis Demetrius, matre ibi cum praesidio relicto, ipse cum nobilibus quibusdam Dibrensiis ad Scanderbegum magnis itineribus ire perrexit, ut illum admoneret, quo in statu in Dibris res essent. Interim Sebalia discessus à Belgrado ac tota Epiro certis auctoribus & exploratoribus nunciatur. Scanderbegus vel domestica calamitatis, vel ignominia forte quadam commotus, fugiens tam fœdum & luctuosum spectaculum, reuerti amplius ad inuisum locum ad mala sua spectanda, ac renouandas lachrymas noluit, & quos viuos saluare non potuerat, neque mortuos componere curabat. Sed quum fremerent passim milites, & consanguinei occisorum, non defraudanda saltem tumulto ossa suorum, & recentia adhuc cadauera feris, auiibusq; relinquenda, ne vulgi voluntatem offenderet, concessit illis omnia, inanem licet non ingratum eum sepulchri honorem appellans. Cæterum ne qui ad beneficium alijs præstandum contenderent, iniqui sibi ipsis forsitan essent, & augerent magis corporibus suis, quam detraherent funera, si vel pauci, vel inconditi irent, ex eis copijs quas secum habebat, 7. amplius lectissimorum hominum millia ad eam rem elegit, qui illos tutos redderent ab iniurijs hostium, & eruptionibus oppidanorum. Tanusio id ipsum cupide petenti hoc munus commissum, ac exercitus cura tradita, qui præter cætera sollicitus de corpore amici, & Musachij reliquijs, mox Scanderbego relicto Belgradum sine signis, sine ullo bellico ornamento conuertit iter. Castriotum Croiam cum cæteris euntem, Demetrius est in ipso quasi ingressu urbis affecutus. Effusa est passim ciuitas obuiam venientibus, & licet à varijs prius nuncijs, à saucijs præsertim, quos statim post acceptam cladem præmiserat Scanderbegus, mala sua didicissent, voluptas tamen quadam erat miseris accuratius singula de venientibus percontari, præsertim quod repugnantia multa, & incerta ab alijs dicta fuerant, vel quod mortuos etiam suscitari ad vitam, & restitui sibi per Scanderbegi præsentiam posse credebant. Fœmine, viri, senesq; nullo discrimine, hi vestes, alij dexteras militum per omnes gradus præstantes, miserabili voce fratres, viros, & chariora filiorum pignora reposebant, & ab inuitis alij luctus & doloris sui causam extorquebant. Alij insperato nuncio restituti, gaudia sua, ne cæterorum offenderent animos, celabant, & priuatam ac publicam mœsticiam imitabantur. Vix tamen ullus, nisi qui præsentia corpora suorum in oculis habebant, vero & stabili gaudio affectus est, nam reuersio illa ad Belgradi oppidum continui timoris & doloris causa erat. Conquesti sunt primum Dibrenses de

Christiani occisi à Turcis sepeliuntur.

Croienfes obuiam vadunt Scanderbego.

Catastrophe belli.

vicissitudine rerum, & varietate fortuna, nunc appositis verbis, lachrymisq; velut transferentes eius in se dolorem, nunc ingentibus animis conso-



lantes virum, & hoc documentum cuiusdam loco computantes Epiro. Statimq; in Mosen delapsa oratio, & tota circa eum consumpta, in eo præsertim, quod dubitabatur, ne ad Sebaliam accersendum, & instruendum de rebus Dibrensis iisset. Attonitus Castriotus primo, & vix compos sui, veluti immobilis aliquandiu stetit, mox interrogando libentius, quam credendo, nonnihil temporis consumpsit, magisq; tandem dolere de eo visus est, quam de tota Belgradensi clade. Cæterum regia, ut consueuerat, voce, parcere se inquit haud grauate Mosi, quod ea fortuna illum sibi abstulisset, quæ vel constantissimorum quorumcunq; animos mutare posset: adeo ut quum legati ipsi, itemq; cæteri qui aderant (sicut libenter & euentu iudicant, & interpretantur singula homines) veteris, & iamdiu cocta rebellionis illum accusarent, & criminarentur: ideo Sfetigradensem oppugnationem dissuasisse, ideo fugisse Belgradensem, ut hoc nefarium expleret consilium, velut indignatus plura de eo audire, silentium iusserit dicens: Vtinam cum Mose perfidia omnis, & mala fortuna migrauerit ex Epiro. Cætera qua de Sebalia introducendo non iniqua ratione dicebantur, non curata multum, quod egressum omnes Epirotici imperij fines, & nusquam interpellato itinere properare in Graciam audiuerat. Tamen quia res magni momenti erat, & sedari eum timorem, vel suspicionem hominum oportebat, ac confirmare dubiam aliquantulum, & mœstio rem prouinciam propter eam insuetam cladem, vix ea nocte ibi moratus, mane cum Amesa, & egregia

Scanderbeg doler Mosi vicem & excusat.

Scanderbeg  
ad Dibras co-  
cedit.Femina pro-  
gressa ad dif-  
quirenda sua  
funera.Terra terra  
reddita.Topiarabies  
in hostem.Confilia habi-  
tain Dibris.

equitum manu in Dibras concessit. Tanusius cum exercitu ab oppidanis visus, non nihil pristini timoris renouauerat, procursum in muros, & ad priora ministeria reditum ingenti festinatione, nam futura mox oppugnatione a multis credita, non id quod re ipsa erat. Sed postquam & paucitas ipsa, & inordinata agmina propius cognita, leuati metu animi, & sedata mentes, nostris ex foedissimo suorum aspectu, ignauis aequae, fortibusque vis ingens lachrymarum euocata, praesertim quod audio foeminas nonnullas ex locis vicinis Tanusium secutas, & ad disquirenda funera sua progressas. Vix tamen ullibi certas figere lachrymas, aut domesticum funus honorare alicui concessum est. Horum infames trunci, ac nuda cadauera illorum deformati, ac corrupti iam vultus, nedum certam illam & peculiarem, suisque cognitam, sed & humanam effigiem omnem amiserant. Multa etiam iam dealbata ossa a feris, vulturibusque. Flebant tamen miseri ad quodcunque oblatum cadauer, dum omnia sua esse credunt. Non foetor, non tabes ulla dimouere homines potuit ab amatis corporibus. Demum ubi satis perfuncti officio suo oculi, ac lachrymis exaturatus dolor, instante Tanusio, factis circum crebris velut tumultis, terra terra reddita, ac gemitus omnis repressus. Non potuit ulli melius hac cura quam Topia iniungi, nam ubi ea suis obsequia quam gratisime poterat, exoluit, ne ea tantum causa venisse videretur, & derisus perinde ab oppidanis abiret, quarens qua ratione rabiem suam expleret, & dolendi aliquam causam hostibus relinqueret: primum in subiectos hostium oculis agros, immisso milite ferroque simul, ignique, non vitibus, non arboribus, non rei ulli parcens, luctuosum inclusis spectaculum adidit. Deinde progressus pertinaciter ad muros, quod sine periculo potuit, nihil damni, nihil ignominia in hostes omisit. Exin dicunt nonnulli, & multorum opinione affirmata res est, erupisse maximo impetu regio, & iniectum in suburbia ignem, tum tormentis, tum oppositione corporum suorum arcuisse, ac utrinque acriter pugnatum fuisse, sed nostros facile victores, & illos compulsos in urbem, atque ita nihil ultra tentatum, verentemque Albanum, ne aliquis in se impetus ex locis vicinis appareret, si diutius ibi mansisset, scelerata loca & nostrorum clade infamia, multis detestationibus ac imprecationibus reliquisset. In Dibris crebra consilia, & conuocationes seniorum a Scanderbego facta. Et illud primum omnium quaesitum, ac perscrutatum summa ratione, an ullus alius ex coniuratis Mosi lateret in prouincia, & aliqua occulta perfidia sua vestigia reliquisset Dibrensis. Neque tacite tantum hac versata res, sed palam per pracones acta, ac premia ingentia delatoribus proposita. Nihil tamen non solum perfidia, sed ne suspicionis quidem inuentum. Tunc acta Dibrensibus gratia, & laudata honorifice fides, ac promissis, & munificentia etiam insigni pellecta, Mosi bona publica,

blicata, & in fiscum relata. Cateri qui cum eo defecerant, sicut non satis nota erant conditionis, ita tenuioris fortuna, quam ut id publice curaretur. Stipendia, quae Mosi iam pridem statuta a Castrio fuerant, post eius rebellionem fisco adiudicata, & inter privatos diuisa sunt. Dignitas vero ipsa ad neminem translata, neque ulli collata fuit, sed vacua atque extincta permansit, maximo consensu omnium, ac militum voluntate. Firmatis Dibrensiu rebus, ac praesidio ibi validissimo assignato, reuersum Croiam. Tanusius ibi cum exercitu inuentus, qui tradito Scanderbego milite, domum maestissimus ac inuitus quasi abiit. Noua ibi lachryma, nouus luctus ex aduentu eius renouatus, atque auctum magis hominibus Musachij desiderium. Camiz a conuocatis de more gentis multis matronis, exequias viri in longo squalore, ac lachrymis, non interpellatis diebus, noctibusque celebravit. Id Neniā appellasse antiquos non iniqua ratione putauerim, nam inter flendum non virtus defuncti solum, & sortia facta recenseri, sed patrum res gesta, & omnes auita imagines, ac vetusta familiae ornamenta interseri consueuerant. Quae res in tanto usu olim apud multos Orientis populos fuit, ut ad id munus conducerentur doctae foeminae, quae cantu gestuque flebili lachrymas inuitarent, sed nunc sicut cetera

Mosi bona in  
fiscum relata.Neniā carmē  
laudandi gra-  
tia apud vete-  
res in defun-  
ctorū funeribus  
cātari ad  
tybiam soliti-  
um. Est autē  
Neniā factici-  
um nomen, à  
similitudine  
voci eorum  
qui queruntur  
& dolent.

multa, paulatim lachryma quoque ipsa in desuetudinem abiit. Dimisso exercitu, Scanderbegus Apulos, qui ex clade superfuerant, mittere cum legatis ad regem decreuit, qui fortunam suam nunciarent, & excusarent. Sicque quamprimum per incommoda vulneratorum integrum fuit, culti officiosissime, ac impositi nauigijs sunt. His expeditis, ipse statim in Musachieniam ad sororem concessit, sedaturus priuatas & publicas lachrymas,

ac curam imperij in ea rerum maestitia, ac demissione animorum habiturus. Tanusius tutor nepotibus, & curator bonorum datus, qui ea fide ac diligentia per omne tempus res eorum administravit, ut maiorem diligentissimus quisq; paterfamilias adhibere non posset. Nomen & dignitas imperij apud matrem fuit. Hac ea moderatione, ac ingenij dexteritate in tractandis populorum animis usa est, ut vix concordia maior subditorum unquam fuerit in provincia, quod perraro contingit, obedientia incondita multitudinis, maxime tamen ex eo laudari praclarum quoddam huius feminae ingenium potest, quod in rebus agendis sociam consiliorum à Scanderbego adhibitam saepenumero audio. Vota alterius mariti, vel secundas nuptias nunquam appetijt, insigni pudicitia atq; castitate defunctum virum usq; ad extremos cineres in honore habuit. Id ipsum praeter insitam ingenio continentiam & gravitatem, illa etiam fortasse ratione, quod irreparabilis excelsi animi femina Musachij iactura videbatur. Fuit enim ille (ut proprias virorum virtutes taceam, quas satis praclarus exitus eius declaravit) adeo grata quadam morum indole, & ingenij iucunditate, ut nemo facilius, meliusq; singulorum animis illaberetur, pulchritudine praeterea (quod proprium mulierum spectaculum est) ac vultus, membrorumq; decore maxime ad ea animae ornamenta composito & accommodato. Verum enimvero dum tam solícite nostra curamus, & singulorum la-

Mulier socia  
consiliorum  
Scanderbego.

Musachij do-  
tes.



Triumphus  
Sebalia, quo  
venit Con-  
stantinopo-  
lim.

chrymas prosequimur, distulimus nimio plus fortasse Sebalia triumphum. Praeesserat iam fama euntem de rebus bene gestis in Epiro, ac multiplices nuncij regis animum inclinaverant aliquantisper ad credendum, nam  
inise-

insueti usque ad eam diem, & insperata res minuebat vera dicentibus fidem. Moses aduectus primum triumphispectaculum, ac delibatio laticiae tam publicae, quae priuatam fuit, maturius hic aliquot diebus Constantinopolim venit, quam Sebalias, quum & incommodior via à Belgrado venienti, & trahenti exercitum iter segruius agendum esset. Ab eo exactius exposita omnia, ac credita à rege sunt, neq; vix ulla gratior victoria Mahumeti, quam Moses praesentia, & mutata à Scanderbego voluntas fuit. Non occurrit sagacissimo Tyranno, quod eum res Epirotica aduersa ad se traxissent, easdemq; restitutas sibi auferre denuo posse. Sebaliam ingens festiuitas populi, ac multitudinis clamores excepere, maiorq; laticia hominum apparebat, quam expugnata nuper Gracia fuerat. Captivi vincitis post terga manibus primi oblatis cum hostilibus signis. Tum reliqua spolia, ac bellica ornamenta exposita, necnon capita occisorum, quae diximus, ubi vendita auro palea est, passim ad pedes vulgi proiecta, & iactata ioculariter à pueris sunt. Seruorum Italorum subhaestatio facta, ac venire plures, praeter paucos grauioris aetatis, ac iam emerita militia viros, qui cum ceteris Epiroticis aut pallis (praecuta fudes sunt) infixi, aut ferreis uncis in altum attracti, sociorum gloriosam sub Belgrado mortem laudabant, & ignauiam suam, ac foedam vitam cupiditatem sero detestabantur. De nostris deformiora quoque alia spectacula edita, vixq; ullus à crudeli hoste seruatus odio gentis & indignatione nimia fortasse, aut victoria insolentia. Vel potius, quod non maximopere Epiroticos seruos liceri solent Turcae, nulla enim gens, nullum captiuorum genus (ut audio) difficilius emptorem inuenit, quam Epirota, & Hungari, utpote quos minime seruitio aptos, & imperiosos nimis dicant, neq; unquam ex eis bonos Turcas fieri consueffe. Quae de Scanderbego narrata sunt, multum & admirationis, & doloris Tyranno extorsere, ita, ut victum exercitum eius, victorem eum diceret. Auctaq; magis ex eo praelio fama viri, ac nomen apud hostes ampliatum est, quam ulla alio imperij sui tempore. Diuinum omnes credere, dicereq; ac inuulnerabile corpus viri, & non ferro, non ulli humana iniuria obnoxium. Sebalia facta ingentibus premijs non defraudata, & solus aliquandiu in ore vulgi fuit, quod primus Scanderbegum vinci posse docuisset. Moses quoque multo decore verborum acceptus, ac decreta ei alimenta honorifica, stipendiaq; Poscenti tamen copias, & bellum aduersus Epirum negavit Mahumetes, causatus hyemem in proximo esse, aut ea ipsa ratione, aut fortasse (ut cauti quandoque iudices faciunt) non multum baptizato recenter Iudaeo credens. Ita nedum per Mosen quippiam aggrediendum, sed neque per alios quoque curauit, immunisq; à belli Epirotici cura traducere id tempus statuit. Ab Alphonso interim Castrioti legatio reuersa plenis (ut consueuerat) manibus, alijsq; regis legatis, qui  
introduciti

Tyranni vox  
de Scander-  
bego.

Ut tractatus  
Moses à Ty-  
ranno,

Castrioti lega-  
tio redit ab Al-  
phonso.



introdukti ad Scanderbegum, longa & apposita oratione eius dolorem lenire conati sunt, excusaruntq; iacturam suorum communi (ut fit) Marti fortuna, & vicissitudine rerum, usu id sepe numero euenire in belli discrimine dicentes, & maiora omnia, si opus foret, regis nomine offerentes. Castriotus gratijs actis, & insignibus donis regiam liberalitatem superare conatus, honorifice à se dimisit, opera eorum perinde atque sua, si res ferat, se usurum sine respectu dictitans. Non defuere ab alijs quoq; Italia principibus, & populis vicinis legationes cum praeclaris muneribus, promissisq; ne animus caderet, & eam iacturam immoderatus doleret, non laboribus, non sumptibus, non periculis ullis parsuros Christianos pro eius salute, dignitateq;. Miratus est Scanderbegus eius rei famam, & magis tunc cladem & ignominiam suam cognouit, quam fumantibus adhuc vulnerebus suorum senserat. Inuictus itaque animo, & praeclara voce negans eum esse pudorem, & ignauiam Epiri, quam homines concepissent, & sat suas vires fore sibi ad recuperandam fortunam, ac superandam etiam omnem priorem laudem inquiens, letissimos omnes domum remittebat. Partem eius hyemis ipse Croia, partem in Dibris, atque varijs prouincia locis consumpsit. Praesidium Dibrense minuit, & ad solitum numerum duum millium equitum, mille peditum redegit. Custodias crebras statuit, ac exploratores frequentes dimisit. Sed neque excursionibus ullis per id tempus laesit hostis, nam & quae in proximo stabat, corrupta iam pridem omnia erant, & inferre interius arma, neque immodica frigora, ac perennes quasi niues, neque Scanderbegus consulto permisit, moliens altius quippiam animo, & ad praeclarum ultionis genus sauos seruans spiritus. Ita segnia ea hyberna transacta, ac in summa quiete fuerunt. Iam ver appetebat, & omnia caelo terraq; temporis gratia mitescebant, quum Moses assiduus ante Tyranni fores stimulator, arma bellumq; cupidissime poscebat. Exigente tempore quoque ipso, Mahumetes ad eum totus versus, quae petijt, omnia propenso iam pridem animo concessit. Nam per id spacium temporis (quod plusquam semestre fuit) acta singula, atque consilia viri exactissime scrutatus, efficacia multa indicia constantia, & fidei pertinacissima, ac ab alienatissimi à Scanderbego animi deprehenderat. Virtus quoque quanta in pace potuit, conciliandi sibi regis causa, satis multis indicijs demonstrata, & robustissimi pleraque, idemq; audacissimi corporis documenta expressa, adeo quod interrogasse ferunt Mahumetem (id quod referente postea Mose pro palatum est) an plures tales viros haberet Scanderbegus. Respondisse illum innumeros huiusmodi apud eum esse: laudasseq; Regem modestiam eius sermonis, tum (ut fit plerunq;, quum laudare apertius nos detinet pudor, velut ex obliquo per alienum contemptum latenter quem alijs detrahimus locum, perstruimus nobis) paulatim

Legationes principum ad Scanderbegum.

De aduentu Moyses contra Scanderbegum, cum exercitu.

Mahumetes inquit Moyses de Scanderbego.

latim prius per gradus caterorum ad Scanderbegum ipsum dilapsum Dibrensem, atque multis modis conatum minuere famam viri. Et promississe post multa Tyranno, se omnino eo praelio, si copia adsit (id quod ex parte tentauit) periculum sui corporis cum illo facturum, fortunamq; tentaturum, militum amplio numerum noluit, quam quindecim millium equitum, quos ipse sua quasi manu delegisset, atque ordinasset. Ottomannus sicut curam exercitus illi tradiderat, ita omnia ad arbitrium eius referebat. Miles & si ea paucitate aditum Epiri abhorreret, ingens tamen fiducia viri bene feliciterq; interpretari singula cogebat. Magna praeterea Moysis auctoritas apud suos, & consanguinitas in prouincia, non iniqua ratione acuebat hominum animos, quod credebant ingentiora se auxilia ibi offensuros. Id quod & regi Dibrensis, & ipse fortasse sibi persuaferat, pollicitus colloquutum se cum senioribus Dibrarum, & principibus quibusdam loci, latereq; ibi multos socios, & adiutores coniurationis, qui mox se viso promptissima iuuentute conuolatueros, & arma versus in Scanderbegum. Sic omnibus paratis ad profectioem intercalario mense, quinto kalendas Martias Constantinopoli abiit, non qua Sebalias prius ierat, sed usitatori via per Thraciam, indeq; Macedoniam in Dibras dirigens iter, in patria conspectu, visceribusq; sceleratum ferrum stricturus expediuerat. Castrioto quoque iam pridem arma tum tempus ipsum, tum frequentes nuncij, & nihilo incertior fama, designatq; pluribus locis, ac velut ad manum habito milite, noui aduentum hostis mitiare, quam consueuerat, animo, & remissione aliquantisper odio expectabat. Quod vix adhuc credebat Mosalem hostilem in se animum induisse, & spectatam tot bellis annisq; fidem, tam leuissima rei momento tam cito mutatam. Illum forsitan veluti stratagemate hoc usum, ad praeclarum aliquod facinus graui hostium mina posteris testandum, etiam & si verus hostis patria veniret, tamen ex aspectu natalis soli, & praesentia sociorum paulatim subeuntem pietatem, iram omnem nominis, & nefarium propositum demolituram. Sed ut cunq; esset, parato ipse ad omnes casus exercitu, stabat armatus, omnino aut voluntatem amici accepturus, aut acri indignatione contra illam pugnaturus, neq; cura eum vlla incesit per fraudem quippiam agere, aut insidijs prauertere venientem, quod neq; immodicas copias eius audiebat, atque militem suum & virtute, & numero sat idoneum ad apertam vim iniuriamq; videbat. Vel quod difficile forsitan, & non satis tutum erat, artificem quondam earundem insidiarum, & familiarem (ut aiunt) hostem suis captare laqueis. Ita liber ubiq; Moses, nusquam interpellato itinere, Dibram inferiorem intrauit, iuxtaq; planiciem multis praelys, Mustaphea praesertim clade notissimam in Epiro confedit, nihil quicquam mouens vel ad sollicitandam, vel deuastandam prouinciam, nam &

Moses in patriam strugit ferrum.

Moses venit Dibram inferiorem.

p

exercitus

exercitus noster in propinquo esse nunciabatur, & cupienti singulari certamine pugna auspicia sumere, aperiore virtute, & collatis potius signis, quam tumultuarie dimicandum censebat. Non diu desideratus Scanderbegus, moxq; ordinata, ut operaprecium erat, acie, & stricto quasi ferro aduolauit, fremebat maxime vulgus, & infrendere dentibus miles audiebatur, vix præ vehemēti indignatione, & animi ardore continens se intra signa. Castriotus velut anxius pater, quum insolentem ob oculos filium conspicit, quem nefaria regnandi libido, & impatiens iugi adolescentia armavit, percunctatur singulos gradus, segnius promouet signa, & lenibus prius nequicquam verbis depugnare cum filio conatur, ac differt, quo impensius potest, chari supplicium capitis, & luctuosam proprii sanguinis victoriam. Non secus ipse armatum, & frementem iam Mosē aspiciens, urgente pietate, multifariam animum eius interpretabatur. Cupiebat cominus alloqui, & pertractare aliquantisper assuetum amici ingenium, libenter legatis, libenter pijs consilijs ageret, sed neque dignitas imperij, & rigor ipse militia, neq; militaris insolentia, & vibrantes iam gladios turme isthac fieri patiebantur, dum confessionem potius sceleris Deo, quam timoris hosti dare malunt. Alia Mosē voluntas, & diuersa maxime consilia erant, apparans namq; se ad promissum Tyranno spectaculum, militem iam ad Scanderbegum prouocandum ire iubebat: sed interpellauit, distulitq; ducis factum priuata virtus, & insignis Turcæ vnus animus, Ahemaze nomen erat, qui progressus ad Dibrensem: Liceat, inquit, nobis egregie Imperator prius viam tibi eam, quam dii dederint ad hanc præclarā gloriam aperire, quandoquidem indecorum nescio quid, & præter ius vsuq; militia videtur ad supremum aciei robur, & caput ipsum belli decurrere, priusquam leuiore opera auspicia pugna sint tentata. Acceptus militis animus, & permissum ut arma caperet, nunciusq; ab alia parte ad Scanderbegum missus, qui voluntatem eius sciscitaretur, an sinerent, ut priusquam ad iactandam totam aleam deueniretur, eo modo virtus vtrinq; & fortuna depromeretur. Viso nuncio Epiensis, mutatum (ut optabat) amici propositum putauit, sed audito demum, abire paulatim ex animo Mosēs cœpit. Qua petita tamen omnia concessa. Quin quosdam ex nostris militibus respondisse audio, paratos se libenter, si mallent, eo dimicationis genere exercitus totos periculo exsoluere. Itā simul & nuncius ad suos remeabat, & consurgens hinc impigre miles noster Zacharias Groppa, veritus fortasse, ne quis prior eam sortem ferret, ad Ducem ingenti animo, ac turmalium clamore pergebat. Amplexatus maxime ab eo est, & laudata virtus viri. Socij inter armandū non robur maius, non animū illi, non ferociorem dexteram, sed fortunā tantum Manesij à superis peroptabant. Solitum genus armorum acceptum, & alia superna ornamenta, qua hosti magis, quam ipsi


Castriotus cū  
Mosē, vti pater  
cum insolenti  
filio agit.

Ahemaze  
consilium.

Zacharias  
Groppa.

ipsi animos acuerent. Nulla re inferior Barbarus prior in medium prosiliens, quum vixdum inuentum sibi crederet hostem, & armatum, & infesta iam cuspidē in se properantem conspexit, tum altiore voce compellans virum, & satis temporis ad mortem properantibus fore inquiens, per amice ad colloquium inuitauit. Quumq; & nomen, & officium militis sciscitatus esset, demum certamini conditiones subnectere pergebat, non absimiles ab his, quas Paulus olim irriserat. Identidem Zacharias ea velut inania verba præciciens: Optare se ait plura capita, quo (si ita statuerit fortuna) animum eius cumulatius exaturare queat. His dictis frementes adinuicem, & toruis se metiti oculis diuersi abeunt, elongatq; aliquantum, ut concitari equorum cursus ad ictus acriores possent, conuersa vtrinq; cuspi-

Certamē Bar-  
bari, & Za-  
chariæ Groppæ  
Albani.



de effundunt habenas, equorumq; armos calcaribus fodiunt. Neutrū ictus fefellit, effectus tamen vtrinque inanis fuit: nam lanceæ amborum quum umbilicos ipsos scutorum, quos ferrea lamina tegunt, perstrinxissent, sine villo haustu cruoris sunt perfracta. Ipsi quoq; eo impetus tenore corporibus ad inuicem collisis, equi, viriq; corrūere. Mox illæsi bellatores equis relictis, strictis cominus gladijs acriorem ineunt pugnam. Ornare multifariam fortuna id spectaculum statuerat, non alteri iniquior magis quam alteri. Multis nequicquam sine cruore ingeminatis ictibus, ferrum ambobus è manibus collapsum est. Ensum id vitium fortasse, qui quum recurui, & graues, equitibus potius parati forent, incommodiores ad pedestrem pugnam erant, aut per lassitudinem forte, vel imprudentiam immodica ferendi cupiditate excussi sunt. Tum abiectis leua scutis, velut Athletæ iner-

mes, confertis manibus, quod supererat virium, exhauriunt. Spectant acies pari lance timoris speiq;. Vbi vero aliquandiu luctati, certamen interpellassent, neque alter alterum loco mouere aut sternere posset, ultimo conatu ad inuicem se tollentes, ambo eadem ruina corrüere. Barbarus subter resupinus, Albanus in os iacentis pronus incubuit, eductoq; impigre pugio- ne, iugulum rimatus confodit, resoluta tum paulatim manus morientis. Liberq; victor cum ingenti suorum clamore surgens latus, ense apprehen- so, qui iuxta iacebat, caput spirantis adhuc hostis abstulit, & simul eo, simul reliquis onustus spolijs, pedes ad progressos passim obuiam socios per- rexit, nam equi iam pridem initio ipso certaminis aufugerant, ambo ta- men in nostras stationes venerant, quod latis animis omen acceperat vulgus. Premia eadem Zacharias qua Manesius, à Scanderbego tulit, laudes tamen ab exercitu longe maiores, quod difficultas pugna, & varie- tas ipsa rei augere virtutem viri, & ornare magis victoria gloriam vi- debantur. Interea Moses, licet offendisset spectaculum feroces viri spi- ritus, & dehortarentur ab eare Ducem, pauentes iam ex socij euentu tur- na, citato ocius equo, in fumantem adhuc sanguine locum prouolans, com- pellato voce Scanderbego, prouocationis signum dedit. Obstupere nostri, ac horrore quodam inter homines orto, præ insolentia tam scelerati facti nemo ferme vocem emisit. Nondum omnis à Scanderbego abscesserat pietas, ac reluctatus paulisper secum, domestico sedare sanguine dexte- ram nolebat, sed ubi pertinacius instantem, & probra etiam immodice ingerentem vidit, explosum tum omne ius, fasq;, & frustra retinentibus suis, atque transferre in se eam ultionem volentibus, plenus irarum in ex- pectantem fertur. Aufugit extemplo Moses, & receptus ad suos, nihil præ verecundia locutus, mouere totius exercitus signa, & apparare ad ul- timam dimicationem exercitum cœpit. Scanderbegus cum magna laude, & militum gratulatione reuersus est in castra, neque ingrata omnino ei Moses fuga. Latatamen valde regijs fuit, quod impar em eum maxime Castrioto palam dicerent, crederentq;. Ego si initium & insolentiam pro- nocantis, contraq; fugientis ignauiam, ac exitum rei spectem, credere li- cet Dibrensem, vel promissionis illius pudore commotum, exolvere se eo velut alieno are voluisse, & presenti periculo deterritum terga dedisse, vel temeraria & inani quadam estimatione id fecisse, putantem non egressu- rum Scanderbegum, id quod ipse postea patria restitutus palam confes- sus est, Nostra quoque vexilla sine mora vlla promotâ, & clamor vndiq; qualis à victore exercitu solet, aditus. Castriotus licet & eximium militum robur (sex enim equitum, quatuor peditum millia fuere) & affuturam iam multiplici omine, ac certam quasi victoriam conspiceret, nihil tamen vel in distinguendis exactissima cura copijs, vel inflammandis ingenti ardo- re ad

Zacharias vi-  
ctor.Moses prouo-  
cat Scander-  
begum ad fin-  
gulare certa-  
men.

Moses fugit.

re ad pugnam militibus pratermisit. Orationem eius inter redeundum in castra ab inani Moses prouocatione, talem comperio fuisse:

Procedite vos quoque (quando exaturaturi adeousque hoc spectaculo statuit fortuna) ad aliud vtinam fortissimi milites. Traditum vobis fer- rum, & vltices poscenti patria expedite dexterâs, ac armatos sequimini deos. Expellamus iam ocius quæso, si nulla alia ratio, vel temporis, vel ho-

Oratio Scan-  
derbegi ad fu-  
os, ante con-  
gremium cum  
Barbaris, &  
eius victoria.

stilis impatientia studeat, ex oculis nostris tam nefarium, quam molestissi- mum spectaculum, ac paratiorem iam ad fugam, quam ad pugnam ho- minem, ex insontis, atque nihil huiusmodi merita patria conspectu, graui aliquo impostero documento tollamus. Ad audaciam, ad expectatio- nem totius victoria, signa satis præclara ostensa, dataq; sunt, dum pari vir- tute atque iustitia progressus hostis, alter miserabili cruore, ac capitis sui precio, alter sordidiore fuga expectata nobis hucusque victoria auspicia dederunt. Pugnauius satis pietate dum integrum fuit, inhibuimus pu- blice priuatimq; ardorem istum, ac iusto imperauimus ferro. Nunc sola hæc pietas relicta vobis, patriam, liberos, uxores, ac caput hoc (quid pro- loqui reformidat animus?) libertati nostra, ocio, quieti natum, dicatumq; defendere, fidem, delubra, sacra, deos ipsos, quæ omnia euertere, ac pristi- nas sordes inuehere in Epirum properat, insignis patriæ ciuis. Vtinam audire potuissetis, quæ promissa, quæ ignauia & ignominia vestra ple- na omnia præstiterit Tyranno. Nullum accommodatius hodie esset, nul- lum acrius adhortationis genus. An creditis quod alia ratione maiores copias neque petijt, neq; acceperit? nisi vel vires, & virtutem vestram con-

temnens, quum omnem pristinam fortunam Epirotici nominis in se tantum positam fuisse dixerit, vel perfidia vestra confidens, & sperans noua se hic auxilia, novos exercitus inuēturum? Et ob id ipsum Dibrā hanc fortasse, ac locum istum Dibrenses egregio facinori elegit, ut domestica saltem arma duci suo presto essent, & armatum sequeremini, quem inermem sequi nolulistis. Sequendus scilicet nunc maxime fortibus viris, quū ad perfidia, ad rebellionis notam, fuga quoque ignominia addita, contemnunt fugientem Dibrenses. Abominantur inuisum dijs, hominibusq; proditoris caput. At sequendus tamen, & persequendus totis signis, animisq;. Et aut scelerata vestigia penitus ab hoc solo abolenda, aut ingrata ossa victrici patrie, & oppugnato nequicquam natali solo mature reddenda.

In maximo tumultu, & clamore militum, & cepta quasi & expleta est oratio, moxq; à concione itum est in hostem nihilo segnius obviam prodeuntem. Exercitus noster in cornua diuisus fuit, ex quibus alterum Musachius Angelina nuncupatus, alterum Ciuriza Vladieni obtinuit. Scanderbegus assuetum locum medium non mutauit. Cum ita ibi acies hastatorum robore, & quorundam equitum Italorum, sagittarij per cornua in fronte cum scorpionarijs, & reliquis id genus militibus distincti. Sicq; pedatus & equitatus tam circa signa ad primos impetus, quam in postremis agminibus ad solita subsidia, & variationem fortuna distributus. Moses vnica tantum fronte in amplitudinem deducta, quatuor ferme millia suorum sub ipsis vexillis locauit, ac apposuit hosti. Totidē pone millia, iuxtaq; hos lectissimorum virorum corpora, ac nobilissimorum quorumcumque assignata, qui & timorem fugientium, oppositione corporum suorum arcerent, & subuenirent fessis, ac furorem hostilem reprimerent, donec subsidiarijs, & Mosi ipsi, cuius statio non longe aberat, aut ad inuadendum hostem, & restituendam, si opus esset, fortunam, aut ad cōsulendum, si quid durius incideret de fuga, spacij aliquid esset. Dibrensem ex maiori parte equites Epirotici generis cingebant, ac latus ipse suum eorum robore firmauerat. Quod lingua, & mores hominum notiores, consilia aptiora, & dare, & accipere posse videbantur. Multiq; ex ijs ab eo ductores agminum constituti, atque varia munia eius prelij commissa viris, ceteris nihil recusantibus, vel moleste ferentibus, quum libera rerum omnium potestas Mosi data fuisset à Tyranno. Ceterum congressis utrinq; maximo ardore ijs, qui in prima fuerant acie collocati, nostrisq; validam impressionem facientibus, iam primum hostium agmen pellebatur, & retrocedentibus sensim signis, nostri mediam aciem pari timore atque periculo onerabant, frustra minantibus socijs, ac reuocantibus fugientes, quum equi viriq; immisis maxime sclopis, ingenti pauore perculsi repeterent castra, & passim sternebantur. Nusquam ociosus Dibrensis, nunc hac, nunc illac maximo periculi, ac vita

ac vita contemptu obequitabat, verbis, factisq; animans viros, & restituens praestantia sua multis locis certamen, ac instaurans ordines suorum turbatos. Secundana acies nondum satis dissipata, vel loco pulsa fuerat, propter robur virorum (quod diximus) pone ad custodiam assignatū. Instante tamen sine intermissione Scāderbego, deficiebant vires, animiq; hominibus, & via ad postremū agmen ac cardinem ipsum pugna aperiebatur nostris. Quum non diutius moratus Moses, impulso, quem iuxta habebat signifero, cum promptissimorum quorumcumq; manu illuc accurrit, cruentioremq; aliquantulum nostris non incertiolem fecit victoriam, nam secuta Scanderbegum reliqua turma, ac cornua utraq; ibi circumfusa, obsederant quasi vndiq; pugnantes. Fugientium nemo curam habuit, donec Moses quoque verteretur in fugam, qui acri aliquādiu pertinacia, & indefessa dextera, licet magna suorum pernicie sustinuit hostem. Scanderbego viso, atq; in se irruenti, nusquam est congregi ausus, sed vitabat quo magis poterat, aspectum omnem, & viri congressum, vim tamen omnem, ac robur suorum in illū vrgens, atq; impellens, si quo modo sine periculo suo caderet, sine quo res Albana cadere non poterat. Nostris circa Turcarū latera, & ceruices intenti, non prius ad ducem conuertēre animos, quam primam legionem omnem sustulissent, & perfrēgissent secundam multis signis ablati, occisisq; quibusdam ductoribus exercitus. Tum eorum capita à vulgo (ut fit) lanceis fixa, satis latum timorem reliquis incussere. Nullus tamen memorem fuga Dibrensem conspexit, antequam omni presidio latus eius nudatum, & irreparabilis fortuna belli perito duci visa fuit. Sed colligens ardentissime circa se palantes, ac ignauiam hominum increpitans, renouabat per omnes gradus sudorem hosti, victoriaq; exitum anceps longumq; faciebat. Miratus Scanderbegus tantam pertinaciam, ac rabiem potius quandam pugnantis: vix se inquit prouenti ante oculos patria, & tractis ob ora filijs pari odio fuisse decertaturum, sequentemq; Tanusio, Amesa, & amobus Strefijs nepotibus integro animi ardore impetit virum, compellantibus nostris quibusdam illum nomine, ut Epiroticum diadema paratū sibi expectaret. Sed neque mina, neq; aspectus venientium perterruit ferocem hominis animum. Verum succedente circa eum postremo, ac subsidiario agmine primum nostrorum impetum egregie & sustinuit & repressit. Hic Barbarus quidam vir pari animo atq; virtute procedentē Scanderbegum conspicatus, effusus habenis, & cuspide directa ita venientem excepit, ut resupinum sterneret super dorsum equi, clamoremq; suorum excitaret occisum credentium. Ea res tardioris aliquantisper fuga, & maioris sanguinis causa fuit, nam & animi creuere ceteris. Et firmatum super equo Castriotum felix semel dextera viri tanquam sibi debitum poposcit. Non passus est egregius dux ultionem ignominie suae ab alio sibi, quam à se ipso

Moses non au-  
det congregi  
Scanderbego.

Scanderbeg  
sternitur à  
Barbaro.

ipso exolui, ac velut insuetum cum pudorem a quo animo ferre non posset, fremens, frementi stricto gladio occurrit, illasusq; penitus ipse, multis vul-



neribus confectum hostem deiecit ex equo. Tunc vero clamore ruentem humi profectus est Albanus, & furor omnis in Mosen versus, qui profecto pro gloria saltem, si nō pro victoria stetit, nisi socij & dies simul deseruissent pugnantem. Tunc sicut belli, ita ducem etiam fugae miles est consecutus. Epirotica inuentus per quinque amplius stadia vestigia fugientis non reliquit, si quo modo viuum, aut saltem mortuum habere possent, vel quod optare summopere nouerant Scanderbegum. Casi multi ex postremis sunt, ipse integer omnino manus eorum effugit, ac peritus locorum cum infamibus reliquijs, vix quatuor hominum millibus, pariter labore atq; fame confectus, mox in tutum euasit, refectis ibi corporibus diem expectaturus. Nostrorum minus quam centum occisi, vulnerati 80. qui non labore, non vulneribus, non tenebris tardati, per noctem & tentoria, & spolia iacentium auidissime diripuere. Captorum nemo notioris conditionis fuit, praeter unum, qui multis deformatus vulneribus Zacharias se tradiderat. Hic solus seruatus, & redemptus postea est pulcherrimis pro eo missis donis. Cateri partim ignorante, partim etiam non prohibente Scanderbego, varijs supplicijs ab exacerbatis Belgradensem cladem hominibus destinati, sicq; publice & priuatim ira exatiata, ac compensata ( prout potuit ) prior iactura. Ita expedita victoria, ac tam suis, quam hostilibus vasis collectis, in antiqua castra reditum, ordinatq; solito praesidio, paucos ibi moratum est dies, ac pridie nonas Aprile reuersum cum insigni triumpho Croiam. Tunc dolor ille, quem tempus iam ipsum ( vt solet ) paulatim mitigauerat,

Moses vt bell  
ica & fuga  
dux.

Victoria Scā  
derbegi & tri  
umphus.

tigauerat, penitus fermè obliteratus, & animi hominum noua hac laticia restituti, atq; erecti. In Dibris longiore festiuitate, atque excellentioribus ludis eius victoriae laus celebrata, quam vlllo alio belli successu, & habito ex hoste triumpho aliàs factum fuerit. Quod ignominiam velut quandam suam aliena contractam culpa expurgasse, & certiora pignora ac documenta suspecta prius aliquantisper fidei sua Castrio dedisse viderentur. In Apuliam legatio missa cum insignibus nouae victoriae spolijs, quibus & Belgradensis ignominia, & domestica perfidia vltio cupidissimo regi testata redderetur. Accepta est & remissa ab Alphonso honoratior longe, & quam accesserat opulentior eadem legatio, licet & ipse recenti Florentino bello, ac irrita Plumbini oppidi obsidione, & pecunijs, & viribus exhaustus maxime foret. Sub idem tempus Moses cum socijs non longe ab Epiro per aliquot vagatus dies, haud satis animi certus erat, quo verteret iter: nanque tanta ignominia, cladeq; accepta, Constantinopolis aditum, & Tyranni conspectum abhorrebat, moliri aliud contra hostem, ad excusandum saltem, si non expurgandum fortuna prioris euentum, neq; paucitas copiarum, neq; demissi militum animi patiebantur. Tentare tamen apud suos eam rem, quum ingentes sibi spiritus non deficerent, statuit omnino. Exorsusq; furore, & casu quodam multa interdum perfici solere, qua nulla ratione aut virtute effici posse sint credita, ac vnicam tantum illam salutem relictam victis, vt nulla deinceps nisi vicerint, sperare possint, aut vita celebri, aut gloriosa morte quarendam fortibus viris tanta abolitionem ignominiae, sat multis verbis in hanc sententiam disseruit, pollicitus praeterea se propter peritiam locorum, & regionis illius, vel die, vel nocte malint, vsq; ad ipsa hostium castra incruentus ducturum, quum exercitum nostrum mox Croiam redisse affirmaret, & praesidium ad custodiam prouinciae relictum, minime sibi vel virtute, vel numero militum parem. Nihil persuasum hominibus, sed clamoribus & crepitu ipso armorum exhibita sententia Mosi, arripereq; iam in Graciam iter, damnato sine variatione ducis consilio coepit miles. Neceffe fuit omnium voluntati parere Dibrensem, suppressaq; reliqua voce, pari silentio atque mero- re tanquam ad supplicium aliquod raperetur, quam semel voluntaria perfidia deseruerat, denuo cogere fortuna, tacitis nequicquam suspirijs, dulcem infelix patriam reliquit. Inter discessum eius ex Byzantio, & reditum, duo paulominus menses intercessere. Quare nihil certi affirmante fama, multa secus ac erant Tyrannum tam diutina absentia eius credere cogebat. Nunc cum toto exercitu internecione casum, nunc saluum illum & proditos suos putauit: aut ipso singulari certamine ( vt praefixerat ) Scanderbego congresso, & illius manibus occiso, reliquas copias eandem fortunam subiisse, vel praetere timore dedisse se hosti ( nunc id quod quum maxime optare-

Moses post  
cladem à Ca-  
strio acci-  
pta, in cōtem-  
ptu ab Otto-  
mano habi-  
tus, poenitē-  
tia ductus, ad  
Epiroensem  
rediit.

Sententia va-  
ria Tyranni  
de Mose.

Laceratus ta-  
cite Moses.

Dotes Mosi.

Discrimē Tur-  
carum in ca-  
ptiuos.Moses cōtem-  
ptissimus a-  
pud Tyrann-  
num.

optaretur, hominum more magis ad animum transibat) victorem ex eo bello Dibrensem, in reliqua provincia deuastatione captiuitate ire procliuem, victoriam persequi, & promissum sibi sceptrum apparare, libenter credidit. Sed ab similibus ab omni expectatione aduentus, & sordidissimum venientium spectaculum, nedum subirati animus regis, sed populi quoque oculos summopere offendit, laceratusq; tacite Moses est. Quod eum hominum florem vel perfidia sua, vel imprudenti audacia amisisset, & iacentes hostium animos ex Belgradensi clade tam propere erexisset. Albanus tam fortuna calamitate, quam fuga illius sua pudore atq; memoria, non linguas, non oculos hominum ferre poterat. Conciliabant tamen illum multorum animis, infamiam simul propriam propulsantes non ingrata militum voces. Quum in praelio & militis & Imperatoris officio functum exactissime dicerent, neminemq; illo pertinacius instaurare iam concidentem belli fortunam contendisse, & prouocationis illius ignominiam, inuicta Scanderbegi virtute, ac humana fragilitatis obtentu excusarent. Ita sibi militaria studia comitas, & populare ingenium viri, sed magis instigantis dextera, ac prestans bello virtus deuinxerat, qua precipue ornamenta amare in hoste quoq; consueuere Turca, adeo, ut quum (velut fit) captiuum sibi fortem virum sors belli tradit, plerumq; aliquid de solitis supplicijs remittant, seueriores longe ignauis, quos velut ali indignos, & consumendis frugibus tantum obnoxios perire utile quasi ducunt. Tyrannus nulla satis ratione adduci potuit, ut eius iactura, & doloris sui ultionem ab infonte & afflicto aliquo modo non exigeret, non aures, non animum regium veniam poscenti, & culpam omnem eius facti in se reijcienti prabere usquam voluit. Quin fatiscens insolentissimi odium Tyranni (licet nihil ferè in eo prater fortunam reprehendi posset) in caput ipsum, & supplicium viri erupisset, nisi purpurati quidam, & magis intimi, pœnam eius alienationem caterorum omnium imposteriorum fore dicentes, sanioribus consilijs regis iram demoliti essent. Sic venia Mosi exorata, & quæstio omnis de capite eius abolita, tamen in eo contemptu relictus adeo despectui habitus, ut vix alimentorum illius ratio à Tyranno haberetur. Eodem ad omnia vultu Dibrensis dissimulabat singula, lacerans intus varijs curis animum, & non cibi, non somni capax, quum hinc periculi, inde infamie sua magnitudinem non iniquus pristini erroris iudex sedula accusatione metiretur, inops quid ageret, quo verteret studia, quam degenda vita eligeret rationem: tandem in optimum longe in ea re consilij genus non inanis cogitatio euasit, Machumete relicto, qui ex euentu, non ex consilio iudicare nosset, offensa adeousq; patrie denuo se tradere, & quam male promeruerat fidem suorum sequi, dulce piurnq; desiderium infedit. Ita & scelus suum saltē, si non infamiam sceleris ea se pœnitentia aboliturum, & alio-

& alioquin de ingrato Tyranno ultionem sumpturum se sperans, præsertim quod clementiam Scanderbegi longo interuallo delicti sui magnitudinem vincere sciebat. Sedato itaque ea deliberatione animo, indies modum aliquem & facultatem fugiendi captabat, nox maxime fuit ad eam rem (prout factum est) adhibenda. Sic egressus in exitu diei ignaris custodijs, integram noctem cum die sequente (nusquam ferè interpellata progressus contentione) itineri adiecit, donec eam regionem Thracia, qua Macedones contingit, intravit. Tum tranquilliore animo reliquam viam est prosequutus, sicq; paucis diebus ingressus Epirum, recta ad presidium in claustris imperij nostri positum perrexit, inde ad Scanderbegum transiturus. Caterum viso eo Dibrenses, demolitis sola quasi aspectus mœstitia animis, desiderium veteris ducis cum pristina consuetudinis cura incesit, oblitte-ratoq; quod patria, quod sociorum & sanguinis sui proditor, fas, iusq; omne generis humani prauertisset, non sine lachrymis illum excepere, & sic inter longos militum amplexus, magnam partem eius diei consumpsit. Admonitusq; ab his Scanderbegum non longe abesse, mutato proposito Croiam eundi, ad illum ire perrexit. Secuti sunt plures ex presidio hominem, ut honoratior iret, & facilius veniam promeretur. Parum restabat diei, quum cingulo de more gentis circa collum conuoluto progressus, obambulantem ante tentoria Scanderbegum inuenit, atque mœstissimus ante eius genua prouolutus, supplex, ut non aliquo eius merito, sed ipse sua liberalitate, animiq; humanitate ignosceret sibi, incolumemq; vellet profusis lachrymis poposcit. Non abstinuere eo officio cateri qui cum illo erant. Castriotus manu prehensum hominē surgere illico iussit, & non segnis ad ignoscendum, perbenigne allocutus, multiplici amplexu, osculoq; reconciliatum illi animum suum satis aperte ostendit. Non multum admiror in Scanderbego, quod Mosi pœnitentiam tam cito admiserit, licet & id quoque non sine summa esset admiratione pensitandum, quum tot publica & priuata odia, iniuriasq; in eum euoluisset, in caput ipsius, in libertatem patrie tam nefaria coniu-rasset. Sed quod tam cito, tam facile ignouerit, ut vix visum, vix auditum adeo insigni liberalitate, & diuina quadam verius quam humana clementia sibi ipse conciliaret, quum nondum nuper occisorum dolor, nondū sparsus suorum cruor, & recentia vulnera coaluissent viris. Neq; multos post dies, que ablata Mosi, aut sisco adiudicata, aut diuisa inter priuatos fuerant, reddi omnia curauit. Pristinamq; dignitatem viro, secundo vulgi favore in integrum restituit, eaq; animi moderatione & sibi gloriam ingentem peperit, & culpam illius, infamiamq; leuauit, atq; omnem flagitij memoriam de hominum mentibus aboleuit.

Moses cogitat  
de patria ad-  
unda.Moses gētis cir-  
gulo circa col-  
lum cōuolu-  
to.Moses redit  
in gratiam cū  
Scanderbego.Clemētia quæ-  
dam diuina  
Scanderbegi  
in Mosē.

# MARINI BARLETII SCODRENSIS SACERDOTIS, DE VITA ET GESTIS SCANDERBEGI EPIROTARVM PRINCIPIS, Liber Nonus.



Quantū Epirus in Moseos reditū in patriam letata est, tantum Mahumetes fugillius excanduit.

**S**IMVL & hinc immemor iniuriarum patria ducis sui modestiam imitata, vario gratulationum genere restitutum sibi Mosen gaudebat. Edicto etiam per Scanderbegū lato, ne quis eius facti mentionem vel publice vel priuatim moueret. Et inde ereptum sibi hominem Tyrannus acrius excandescens, non sine molestia maxima ferebat, praesertim posteaquam rediisse denuo in Epirum audiuit, atque tunc demum non fortunam hominis in illo pralio, & clade suorum, sed perfidiam tantum accusans, fugam eius & defectionem illam tam impudenter à se creditam, Scanderbegi stratagemam fuisse dictitabat. Ceterum de ratione gerendi belli, seq. vlciscendi, & rebus Epiroticis, ex multis sententijs illa praualuit, quae abstinentium omnino ab armis per eum annum censebat. Et aut occasionem aliquam expectandam, aut totis Turcarum viribus cum ea gente bellandum. Recepta eo libentius ea sententia, quod non satis belli rumores ex Asia & Perside nunciabantur. Nihil tamen praesidium ad finium custodiam, licet non satis validum, quod à populationibus assuetis nostrorum saltem insolentiam compefceret. Et si opus foret Sfetigraden-  
bus, &

bus, & locis vicinis vsui esse posset. Castriotus quoque cognitis tum ex Mose, tum recentibus exploratoribus consilijs Tyranni, belli curam, & ipse paulisper remisit. Audito tamen aduentu noui praesidij, contracta haud satis ampla manu suorum, in insidijs per aliquot latuit dies, sed regijs iuxta Albriam consedentibus, inanis expectatio eius fuit. Quamobrem multis procuratis, ac relicto ibi Mose, ipse ad locum quendam maritimum qui Redoni dicebatur, ad reliquum aestatis cum uxore transigendum concessit, ibiq. venationibus, atque alijs id genus studijs magnam autumnum partem consumpsit. Non tacebo hoc loco de eo, quod maxime in claris ducibus exigere solitus est, Imperatorum omnium facile Imperator Scipio Africanus, continentiam certe admirabilem, nedum in alterius foemina, sed propria quoque uxoris nimia frequentia vitanda, quum nullum maiorem hostem & animi, & corporis viribus, quam foeminam esse diceret. Sicq. proprio exemplo & milites suos crebro domos reuisentes damnabat, assiduis vigilijs, ac duris laborum thoris castigandum corpus inquiens, ad omnes libidinum aestus facile extinguendos. Non scorta militaria, non aliquod (ut fit) eius lasciuiae vestigium in castris unquam Scanderbegi visum, sed vetus quaedam disciplina inter homines, ac religio verbis, factisq. mirum in modum conseruata. His forte arte artibus seruatum est, & auctum per tot annos tanta gloria atque felicitate imperium. His conciliati superi & animos & gladios hominum tantopere acuebant. Interea temporis Mose intentus maxime, quatenus & ignominia sua maculam recenti aliquo facinore astergeret. & Tyranni simul ingratitudem plecteret, aucto praesidio, ac duplicato ferè numero militum, totos dies in deuastandis hostium agris, ad laceffendas nouas Turcarum custodias consumebat, nunc interdum cum paucis, nunc per noctem latenter sequente multitudine progressus, occisus aliquis vel exceptus inter pabulandum, vel in eiusmodi ministerijs, tamen non audentibus progredi regijs nihil dignum memoratu gestum. Hinc Dibrensis ad infamiam suam abolendam manibus, pedibusq. (ut aiunt) acriter contendebat. Inde Amesam velut tanta perfidia heredem, nescio quis demon, & fata sua depromebant. Multa scribentem, hoc loco deterrent, & ad silentium quasi me inuitant, quod ea domestica scelera, ac ingratitude mortaliū sicut meminisse, ita referre horret animus. Illud vero magis, quod nihil certi affert fama de hominis fuga. Varij varia interserunt mendacia, & plura ferè absq. similitudine aliqua veri. Quare ea tanquam neque vtilia ad historiam, neq. legentibus placitura, instar pictoris penicillo oblinito contegam. Pristinam tantum rationem illam in Amesae defectione secutus, quam in Mose quoque sollicitando corrumpendoq. adhibitam retulimus, per nuncios scilicet, & magistratus vicinos locorum, praesertim quod non difficile colloqui sapius cum  
9 3 Amesae

Laus Scanderbegi à continentia exemplo Scipionis Africani.

Castra Scanderbegi à corruptione immunia.

Mose studiū, ignominia in suam indignitatem aliquo facto abstergere.

De fuga Amesae ad Turcā.

Amesa hosti erat, & occultis agere nuncijs. nam regionem quandam Epiri non ignobilem ad Turcarum fines vergentem, patrii beneficio possidebat, & referentis, quod tandem apud se priuatus ageret. Tyrannum vero (ut diximus) Asiaticis rebus occupatum, illa quoque non imprudens ratio de homine sollicitando & accersendo mouit. Quod quum & de principum sanguine esset, & gratia ingenti polleret apud populorum animos, admissuros longe facilius imperium eius Epirotas, si vel parua periculi vis urgeat, quam in Mose facturum fuissent, non ab re credidit. Et hac eadem cum Amesa per nuncios agitata, multumq; ad fidem promerendam valere. Ita nedum perfidos, sed credulos plus nimio homines regnandi vesana cupiditas facit. Sed callidi vir ingenij, utpote quem aliena fortuna euentus satis de omnibus instruxerat, ne cum aliqua perfidia suspitione, & capitis sui periculo iret ad Ottomanum, uxorem quoque, & paruulos liberos secum eius sceleris socios duxit, traditurus hosti velut non inefficax fidei sua pignus, & vinculum. Maximum in provincia tumultum, & stuporem quendam hominum, fuga eius excitauit, mirantibus singulis, & sciscitantibus causam rebellionis, quum ad id quod nepos Scanderbegi, socius etiam, ac collega quasi imperij esset. Patrius re audita maxime & referens, atque ingemiscens: Hoc, inquit, deerat mihi ad tot labores molestiasq; ut domesticis etiam, & intestinis armis oppugnarer. Ita ne inuisum hoc caput? Ita male merita patria? An tam preciosum potius Epirotici diadematis decus? Inuidit Amesa Mose, inuidebit iterum, si me Di, si ius, fasq; generis humani, si virtus, & fides vestra non fallit. Intrauerat iam hyems, & nuda pabulis tellus, ac temporum incommoda satis per se hostium apparatus, atque aduentum prohibitura videbantur. Quare Scanderbegus non inani ratione credens Amesam ad noua consilia vernam temperiem expectaturum, reducta Croiam familia, neq; ad delectum habendum, neq; ad vllum bellicum apparatus per id temporis animum intendit, solum crebro Dibrense presidium reuisens, & custodijs, ac exploratoribus assuetis preparans se, ad satisfacta pericula hyemem transmisit. Ottomanum non tam visus Amesa quam auditus postea mouit, quum verbis, atq; prudentia, & grauitate consiliorum virtus, & peritia viri in rebus bellicis satis cognita & perspecta fuit. nam breui statura fuit, & non ea membrorum, ac oris veneratione, quod idoneum esset ad occulta animi bona, & latentes intus virtutes indicium. Ingentis vero supra modum animi, & tam callidi, quam excelsi ingenij, oculi vnus impatientissimus, & qui primi, ad gloriam, ac conciliandos mortalium animos cupidus imperij viris gradus esse solent, humanitate, atq; liberalitate pari. Quicquid vel dextera ipse sua, & sorte belli, vel patrii beneficio habuisset, militibus, & amicis erogabat. Facilis ad alloquium & officiosus, neque ineptus simulator, dissimulatoq; ubi res

Statura Ame-  
sa & dentes.

res poscebat. Ita ijs artibus multum sibi auctoritatis, & benevolentia pepererat apud omnium animos, ut primus à Scanderbego in amore & veneratione populi esset. Neque desunt qui dicant, ut suspectum id viri ingenium haberet, patrio quosdam ex suis multotiens insinuasse, sed sicut non credita, ita minime curata res: tamen quum rebellio demum, & fuga eius nunciata fuisset, facilius credidisse Scanderbegum audio, quam de Mose fecerat, non immemor ingenij prudentius ab alijs quam à se cogniti. Caterum non ille inanibus pollicitis, & insolenti audacia Mosis exemplo regias aures impleuit, sed vnica ferme ratione defectionem suam excusans, ut neque leuis, neque conficta notaretur oratio, sic loquutus fertur:

Si veterum in vos iniuriarum, & antiqui erroris nostri memoriam repetere licet Mahumetes, ad supplicium potius nunc ad te, quam ad vllam vel gloria, vel imperij spem venisse videremur. Quid enim grauius

Oratio Ame-  
sa, qua defectionem suam excusat apud Ottomanum.



in Ottomanum imperium committi potuit, quam à nobis olim Hungarici belli tempore, sedo magis & scelerato, quam hostili animo commissum vidistis? quum eodem perfidiae tenore, me consiliorum omnium adiutore & socio (neque enim defensio est vlla nobis, sed penitentia quarenda) & proditus apud Morauam exercitus vester, & Epirus tam nefaria fraude è manibus ablata, atque tot inde malorum, tanti cruoris causa exorta. Sed vanus hic profecto timor, inanis suspicio apud prudentissimum & clementissimum Regem, praesertim quod & atas me tunc forsitan, ac prona in malum suum adolescentia, neque satis proprijs subsistens consilijs



consilij animus decepit. Credidimus patruo, multa etiam ignari credidimus, atque allecti (qui proprius est eius atatis morbus) regnandi libidine, vobis relictis nimio plus creduli fidem illius sumus secuti. Cognouimus paulatim crescente cum annis consilio, & patruum tacitam perfidiam, & defectionem illam meam à vobis iniquiorem ipsi mihi, quam alij cuiquam fuisse. Recuperavit, auxit imperium Scanderbegus non sine multo labore & opera nostra. Expectauimus diu, si non auiti, & paterni iuris, portionem saltem ut mercedem aliquam sudoris, & periculorum tantorum nobis daret. Ducta est non multo post uxor illi, quasitus, & susceptus nouus haeres, nouus imperij successor. Nobis pra pudore quodam hominum, ne priuati omnino degeremus, assignatus vilis quidam Epiri angulus, vbi (illo cetera obtinente) infamem traheremus vitam. Vix poteram animo imperare, neque vnquam satis eam concoquere ignominiam. Coegit tamen temporis ratio, & insolens ingenium viri calare omnia, dissimulareq; ne suspicionem aliquam causatus me circumueniret, ut nuper Georgio Strefio sororis suae filio fecit, quem confictis criminationibus insimulatum omni ferme imperio nudauit. Confugissem libenter ad te, reliquissem ingratum patruum cum infamis sordibus imperij, sed pristina illius rebellionis, & tot iniuriarum memoria deterrebat, donec nunc tandem agentibus Dijs, promissa, & fidem tuam secutus, latissimus accessi. Vix inuisti, vix inuitasti quod iam diu ad id ipsum intentus, effusissimo cursu aduolauim. Non tardauim, non expectauim, vel aduersas Scanderbegi res, vel tuas secundas, veluti nuper Moses, ut pra timore aliquo, vel vicinitate periculi mihi ipsi potius consulere, quam voluntatem tuam amplexari merito videri possim. Ceterum neque vel suspicioni apud te locum ullum, vel reuertendi causam reliquimus in Epiro. Adsunt satis valida animi nostri vincula, & perpetua pignora fidei. En nostrum habes Mahumetes, quicquid charum, incundumq; hominibus natura in vniuersa vita dare potuit. Hac ad te attulimus, quae auferri debuerunt ab hoste, & quibus dubia aliquantisper fides obstringenda fuit. Reliquum nihil aduentum, neque enim in ea celeritate rei, & tam occulta fuga, sarcinularum ratio vlla haberi potuit à nobis, & si colligere omnia per securum ocium licuisset. Turpe tamen nescio quid putassemus vllas veteris fortunae sordes ad te praesertim tam opulentissimum regem deferre. Fides tantum praestanda tibi est, maius aliud quippiam certe non possumus. Et si certius aliquod cupis vinculum à nobis, nihil recusò quod statuas, quod decernas ipse, non enim leges huc daturi venimus, sed accepturi, non debellare cum patruo, & Epiroticam frangere insolentiam quindecim hominum millibus pollicemur. Documento est tum Alybassa, tum ceterorum fortuna, & Sebalis nuper rara, neque incruentae victoria. In nobis certe diligentem, & fidelem operam non deside-

Georgius  
Strefius sororis  
Scanderbegi filius.

desiderabis. De ceteris quae ad euentum huius rei, & vltionem tuarum iniuriarum attinent, neque princeps à seruo, neque solertissimus belli artifex ab imperito homine consilium expectes.

Non potuit simulata Amesa oratio videri Ottomano, quae & vera multa dicerentur, & re ipsa dictorum fides diluceret, adducta in conspectu Tyranni cum ignaris filijs uxore. Quidam deceptam eam dicunt à marito, & inuitam tractam ex Epiro, quidam voluntariam se comitem fugienti addixisse, quum promissum sibi Epiroticum imperium à Tyranno, clam aperuisset. Ita communis est vtriusq; sexus regnandi libido. Quare accepta, & laudata hominis voluntate Barbarus, primum omnium honorifica illi alimenta decreuit. De belli ratione nihil tum responsum, donec adhibitis purpuratis ea res de more decerneretur: nam recens Belgradensis ruina, multum fregerat & animos, & vires hominum. Mahumetis quoque ex nulla vnquam clade par maestitia visa, quum & vltionis cupiditate dies, noctesq; insolens spiritus vexaretur, & semel male tentatam fortunam anxius timeret. Facile itaque omnium sententijs ab Hungaricis rebus superseffum, et eius ignominiae vltionem ex Epiro querendam decretum, nam neque simul vtriusq; belli ratio haberi poterat, quum & hinc insigni exercitu opus esse Amesa diceret, & inde Hungarica vires, ac experta totiens populorum ferocia, ingentes exigeret apparatus, neque differenda occasio ab Amesa data videbatur. Eo ipso igitur omnium ferme consiliorum socio, ac moderatore adhibito, latum & propalatum edictum de quinquaginta equitum millibus cogendis. Non negasset etiam plures Ottomanus si petiti fuissent, cupiens aliquando vel vlcisci tot suas, & suorum iniurias, vel Epiroticis rebus aliquem finem imponere. In eo apparatu ver abijt, & iam aestiui calores militum corpora laxaturi properabant: quum paratis omnibus Tyrannus & Amesa assidue instante, multis allectos promissis homines, & consilij instructos à se dimisit. Bassa noua Roma, cui Isaac nomen erat, praecipua exercitus cura, ac summa rei demandata nihil moleste ferente Amesa. Huic tamen ne sine aliqua dignitate & imperio iret, quinque hominum millia ex eo numero assignata. Non sine molestia quadam, & trepidatione nostrorum, praesertim praesidij Dibrensis, fama eius apparatus fuit, multisq; militaribus (ut fit) consilij versata res. Quae ratione vel expectandus, vel coercendus tantus hostis esset? An insidijs, an collatis signis? An per ludificationem aliquam eius belli euentus querendus foret? Augebat & illud magis timorem, quod & rumorem inde magis quotidie increbrescere, & hinc à suis non exercitum adhuc, non auxilij quippiam ad tam fatiscens malum, ac proximum quasi periculum apparari videbant. Scanderbegum nanque non satis primo ea fama mouit, illa potissimum ratione, quod nunquam conuerso in Epirum odio, Hungaricam ignominiam

Communis  
regnandi libi  
do vtriusque  
sexus.

Edictum de  
cogendis quin-  
quaginta equi-  
tum millibus

Bassa Isaac fir-  
matus exerci-  
tus Turcicus

r  
omissu-

omissurum credidit Mahumetem, tamen sollicitus exploratoribus immisis-  
 veritate, quam in eo rerum tumultu poterat elicere ad noua consilia mu-  
 tanda diligentissime procurabat. Ubi vero multis modis, aduentu præser-  
 tim transfugarum affirmata, ac propalata res, & de numero, & qualitate  
 venientium nunciatum, illudq; imprimis Amesam cum eo exercitu esse, &  
 commendatum honorifice à Tyranno Isaac Bassa, ut eum Epirotici impe-  
 rij fascibus insigniret, nihil moratus amplius egregium hincinde militē ve-  
 lut dato signo aduocauit. Accersiti sunt eo ipso ex omnibus locis purpurati  
 armorum socij, optimates, Dibrenses quidam & adiutores consiliorum.  
 Conuenere omnes in Dibra inferiore in solitis castris. Ibi quoq; Moses cum  
 quibusdam optimatibus & nobilioribus presidij affuit, ut decretum eius rei  
 audiret. Accurrebant & alij plerique voluntarij, atq; iuuentus armata  
 ex omnibus locis solo præda (ut assolet) studio, atq; sic confectus extemplo  
 est non ignobilis exercitus, par fortasse hostili, si virtutem, impar si nume-  
 rum spectes. Jamq; audax vulgus, & inania militum desideria deuicto ho-  
 ste inter se laudem simul, ac prædam diuidebant, atque palam quisque vir-  
 tutem & fidem suam extollere, polliceri, dolere nimis tardare hostem, dice-  
 req; mouenda signa, & aduentum illorum acriter præueniendum. Non mi-  
 litum numerus, & fama venientium, non formidandum Bassa nomen de-  
 terrebat. Exciderat Sebalias, euauerant vix adhuc coalita cicatrices vi-  
 ris. Ita aut recens nuper de Mose victoria, aut (quod magis crediderim)  
 illorum apud Belgradum Hungaricum nunquam reticenda clades, ac ig-  
 nomina hominum animos erexerat, alterumq; Belgradum alterum ob-  
 litterauerat. Pendere tamen omnes ab ore, & consilio Ducis, qui cobiben-  
 dum omnino ratus ardorem illum suorum, defixis aliquatulum humi ocu-  
 lis, & pleraque vultu ipso simulans, velut altum quippiam moliretur ani-  
 mo, consilium simul & vires ipse suas, & periculi magnitudinem ante ocu-  
 los hominum in hanc sententiam proposuit.

Inter cetera omnia, qua ad vexandos, & angendos mortaliū animos  
 in tanta rerum humanarum varietate reliquere Dij, duo hac maxima  
 cernimus milites, spem, & timorem, latius illud, ac excelsioris cuiusdam, ne  
 dicam leuioris ingenij. Prudentius hoc, & incruentius, quod & si protra-  
 here aliquantisper desideria hominum, curare tamen demum, & condire  
 pulcherrime solet. Hinc audire licet veteres imperatores magis vincere se  
 consuesse omnia timentes, quam qui nihil timerent. Hinc Pannus ille  
 Quintum Fabium segnem suis, & nimio plus timidum visum grauem si-  
 bi hostem, Terentium Varronem grauiorem patriæ, & populo Roma-  
 no appellabat. Sed quorsum tam insolenter, & tam sordide timorem tunc  
 cupauimus, quod proprio consilij nomine appellare debueramus? At  
 quoquo modo vocitetis ipsi, haud in magno discrimine pono. Vnum il-  
 lud ne-

Comitia Scan-  
 derbegi, &  
 purpuratorū  
 in D. brainfe-  
 riore.

Oratio Scan-  
 derbegi ad cō-  
 gregatum ex-  
 ercitus.

Ab exemplo  
 veterū Imp.

lud negare nemo poterit, inde veteres disciplinas, inde antiquum militiæ  
 rigorem emanasse. Hoc spem quoq; ipsam fouet, alitq; nihil perperam agit,



afrente, à tergo, à lateribus gerit oculos, & pari lance futura, ac presentia  
 metitur. Jam satis intelligere potestis, quo tendat tam castigata & tam  
 apposita oratio nostra. Volui prius colloqui vobiscum, & disquirere vo-  
 luntatem singulorum, quam aliquid de belli huius ratione innouarem: ut  
 aut ipse in vestram, aut vos in meam (quæ semper omnium patientia fuit)  
 sententiam iretis. Auditis, auditis iam auribus vestris, qui rerum, qui bel-  
 lorum motus parentur in nos quotidie. Pulsat en fores Bassa noua Roma  
 cum omni Europa flore, & robore Ottomani imperij. Non deest animus  
 mihi (ut neque unquam defuit) fortunam omnem cum eo, neque inglorijs  
 vobis experiri. Sed prudentia magis, consilioq; aduersus tantum hostem  
 utendum, quam solito impetu, & ardore animorum satius duco. Suadet  
 memorabilis illa Alybassa clades, suadent tot insignes ad hunc usque diem  
 victoriarum cumuli, tot rebus secundis parta, & confirmata audacia, pa-  
 res ad vim apertam, & animos, & vires adesse nobis. Sed instabiles bello-  
 rum vices, & nusquam satis cognitum ingenium fortuna, omnia hac pru-  
 dentes viros cum obliuisci, tum etiam timere facit. Nulli peculiare, nulli  
 hereditarium fuit semper vincere, semper ad noua consilia, noua ratione  
 est opus. Neque quod viceris heri, ideo captiua spolia hodie spondeas tibi.  
 Hospes est victoria, huc & illuc vergit, nullum proprium domicilium ha-  
 bens. Licet virtute, consilioq; maxime & paratur, & retineatur, plerunq;  
 tamen vbi diligenter omnia, prudenterq; egeris, multum adhuc mo-

Fortuna inge-  
 nium nun-  
 quant satis  
 cognitum.

Hospes est vi-  
 ctoria.

menti fortuna, multum casus quidam sibi vendicare solēt. Exigebam (me-  
mini) virtutem solam in militibus, spreta omni extranea causa, & cuncta  
fortuna obsequia, si vos feroces animos promississetis, vobis constantissime  
omnia pollicebar. Sed clades illa nostra Belgradensis, cuius memoriam sem-  
per horret, & horrebit animus, multum cogitatus meos mutauit, & alium  
longe aestimatorem rerum humanarum, ac varietatis fortuna fecit. Quid  
si aut longior ille dies, aut magis animi Sebalia fuisset, an nō funditus euer-  
ti res Epirotica potuit? Saluati sumus magis a superis, quam nos ipsi nos-  
met tunc saluauimus. Dissipati, vulnerati, fessi, fama etiam, & siti nouis-  
sima confecti eramus. Quid supererat aliud, nisi vt segnes victori vincien-  
das dexteras traderemus? Tutata est nox, tutatus in primis deus, qui &  
mentem illis, ac vires abstulit, & nobis copiā ad effugiū, ac respirandū con-  
cessit. Opportuna iniuriarum erat multis locis provincia, ac passim sparsi  
agrestes ignari fortuna nostra. Expectabat ferme prada victorē, nihil ab-  
stulit, nihil abduxit, nimio plus parti decoris studiosus, & timens forsitan  
eos, à quibus maxime timebatur. Nō refero idcirco hæc, vt quempiam ve-  
strum deterream, sed admoneam potius, & consultem vobiscum, quomodo  
sint nobis tanti conatus vel eludendi, vel conterendi, quomodo quærenda  
insignis aliqua sine precio sanguinis, & rerum vestrarū victoria. Hostium  
ingens est numerus, atq; nunquam ad hunc vsq; diem, nisi urbium oppu-  
gnatio sit quaesita, maior visus nobis in Epiro. Si fixis signis apertis in cam-  
pis expectetur, dubius est euentus belli. Age age feliciter nobis, & ex voto  
res cedat. Cadetis profecto, cadetis multi (utinam falsus sim vates) prius  
quam vel terga, vel inermes dexteras, & supremā vobis confessionem tan-  
tus exercitus tradat. Mixta cum lachrymis victoria, & non multū dispar  
victoris, ac victi mæstitia erit. An pauci apud Belgradum cecidimus? Ita-  
ne ea iactura refarcienda? Quāta ibi militaris atas vix multis recuperan-  
da annis? quot fortissimorum virorum corpora caesa? Euacuetur cito Epirus, si  
tam audaci proposito, gloriosas solum victorias queramus necesse est? Belli-  
gerandū igitur ita est nobis hodie, vt cras etiam belligerare possimus. Neq;  
par est hac in re nostri & hostiū ratio, minor est iactura Tyrāno, minus  
aestimatur caesa quadraginta & quinquaginta millia, quā mibi centū ex vo-  
bis. Pauci sumus, idcirco maximo studio seruandi. Et si causa nostra id nō  
facere curaremus, vxorū saltē & liberorum faciamus, quorum salus &  
libertas omnis à solo spiritu vestro pendet. Nosco numerum, nosco vultus  
vestros, & nomina singulorum. Hoc quoque magis studiosum facit, magis  
anxium salutis vestrae, non tamen negarem ipse fortunam omnem huius  
certaminis apertissime subeundam, si depugnare cum Ottomanis hoc solo  
prelio possemus. Si finem aliquem laborum in posterum, & erumnarum  
sperarem, exponerem libenter caput ipse meum cum corporibus vestris  
ad per-

Iactura apud  
Belgradum.

ad perpetuam quietem, & pacem posteris parandam. Sed nouus semper  
hostis exoritur, noua semper bella nos manent. Isaac exitum, alter subito  
Isaac excipiet, fatigabimur semper recentibus armis, circundabimur re-  
centibus periculis. Ad hoc destinata est (vt videre videor mihi) Epirus,  
ad hoc natae ceruices, & capita nostra. Colligendi itaq; cogitatus, dispen-  
sanda vires, partiendum ita patrimonium, vt quotidie emergentibus credi-  
toribus soluendo esse possimus. Dabit tamen Deus his quoque finem, neque bo-  
na, neq; mala diuturna homini esse possunt. Respirabitis aliquando & ipsi,  
exaturabitur hostis tot vanis conatibus, atq; deponet tandem perpetua  
odia ista, iuuabitq; olim vos tot laborum, tot periculorum memoria. Nunc  
(quod ad rem attinet) reliquam sententiam meam sequor. Dixi victoriae  
incommoda, damnaq;. Quid si vincimur? Vbi reliqua praesidij spes? Vbi au-  
xilij erit modus? An cruentus hostis, & victoria tumens expectabit, do-  
nec vires instauremus, & noua illi occurramus acie? Instabit, urgebit, do-  
nec quippiam supererit reliquiarum, & nobis expugnatis in oppida de-  
mum nostra, & patentem iniuriae provinciam reliquum furoris sui pro-  
fundet. Insidijs excipiendum aduentum illorum, non aperto Marte quispi-  
am vestrum forsitan dicet, nostra quoque non dispar omnino sententia est. De  
tempore tamen dissentio à vobis, fallendos tunc puto, quum falli se non cre-  
derit, quum in possessione quadam victoriae lasciuientibus praesentia ani-  
mis, fraudem nullam metuent. Nunc tot alienis documentis, tot suis ex-  
emplis instructi, hac assidua suspitione, & intentis iam pridem oculis ex Cō-  
stantinopoli veniunt. Habent praeterea secum sceleratum nepotem, & do-  
mesticam pestem nostram, qui quas nobiscum olim struxit insidias, prauide-  
re, & cauere peropportune docebit. Euadendum igitur est in arcem ingen-  
tis alicuius ac supremi consilij. Qualiter & extra periculum provinciam  
seruemus, & insigni aliqua, simul ac incruenta (quod raro contingit) vi-  
ctoria, veterem gloriam, & tantam ad hunc vsq; diem famam tot rerū ge-  
starum retineamus, ampliusq;. Dabit tamen tempus diesq;, ac visus ocu-  
lis hostis consilium hoc. Nunc (vt perueniat tandem quo nostra tendit ora-  
tio) primū omnium tollenda est omnis materia scuitis ac victoriae hosti, re-  
ducenda omnis atas sexusq; ex campis in loca tuta. Praesidijs etiam comca-  
tuq;, ad omnem variationē fortune munienda oppida. Quis scit praeterea  
occulta Tyranni consilia? An ipse quoque iam pridē huiusce vltionis, & Epi-  
rotici sanguinis avidus Bassa iter sequatur? Credo fortasse, & timeo plura,  
quam par est. Bonū est timere omnia, vt nihil timeamus. Si hoc modo pro-  
vincia curabitur à nobis, si nihil erit in campis, in oppidis quod ditet, alar,  
quod formidet hostem, quod curam, & animos nostros ab huiusce contem-  
platione rei auocet, victores proculdubio erimus, & per securum post hac  
ocium, si ad voluntatem meam consilia, & arma vestra accommodabitis, ca-  
dendum

Quando fal-  
lendus hostis.

Occulta tyrā-  
ni consilia.

Bonum est ti-  
mere omnia,  
vt nihil timea-  
mus.

dendum vobis hostem in manibus tradam, & formidabilis, iuvantibus dijs, hodie Turcarum genti nomen, atq; ingenium Epiroticum efficiam, quam vlla forsan auorum nostrorum memoria sit auditum. Non fallo ipse me, non fallo vos. Si polliceri quippiam potest in rebus humanis, isthac pollicor, & in me recipio. Melius tamen fieri hac, quam dici volo. Interim ne tempus cupiditate ista loquendi, & inanibus fabulis conteramus, qua nulla maior iactura militi, singuli singula, munienda provincia, ac hostis expectandi munia capiamus, nihil impero ipse alijs, quod mihi ipsi non imperem. Nihil recusato, vel sordidum duco, quod est dignitate & utilitate omnium censeatur futurum.

Procurata  
per vniuersam  
provinciam:

Hanc orationem maximo omnium silentio, atque attentione peroratum, Tanusius & Vranacantes iam pridem intenti assurgentes, summis publice laudibus excepere, ita rerum singularum exactissimam rationem habitam a Scanderbego dicentes, ita diuinum hominis ingenium, prudentiamq; omnia exhausisse, ut neque cogitandi, neque tentandi quippiam, quod ad publicum vel priuatum commodum spectaret, locus alicui esset relictus. Vulgi quoque ardor omnis resedit, & ab audacia animi ad cautum quendam timorem traducti. Postulare nonnulli palam, & obsecrare ducem, ut consilia sua aperiret, qua ratione debellare cum eo hoste statuisset. Contra subridere ille, dicereq; sat sibi esse si ei crederent, se vna cum eis in eadem causa esse, neque valere sponsonem suam vllam in tanto fortuna iure, atq; potestate. Interim partita provincia, diuisisq; ministerijs purpurati, decernente Scanderbego, hac illac maximo studio atque celeritate discurrunt. Nunc presidia tradita sibi disponentes per oppida, nunc conuehentes commeatum, & alimenta viris. Ea res causa morae cuiusdam fuit, quod nondum totum frumentum demessum in campis erat. Igitur ingruente indies fama de hostium aduentu, quum res precipiti quadam festinatione indigerent, agrestes promiscue, militesq; ad id negocium transmissi, partim demessum & expurgatum, partim cum aristas & palea ipsa conduxere omne intra murorum munimenta. Ita prouisum ubique commodissime, & de propugnatoribus, & de multorum mensum annona. Scanderbegus Mose ad custodiam reliqui exercitus relicto, triduum amplius Croia in rerum diuersarum procuratione consumpsit, praesertim in reducenda a Petralba uxore, familiaq;. Inde Dibram reuersus, erectis (ut aiunt) auribus, curaq; peruigili hostium aduentum expectare dies, noctesq; coepit. Caterum superata maxima parte Macedonia, iam Epirum hostilis intrabat exercitus, praeventibus undique exploratoribus, ac scrutantibus singula, ne insidijs solitis apparatus ab hoste, incautus miles circumueniretur, ac turbaretur exercitus. Quin audio hac consilij ratione Amesam semper ferè nocturnum iter prohibuisse, dicentem patrum nunquam vel luce, vel vi

De annona  
multorum mensum:

Exercitus  
Turcicus.

aperta tantum hostem expectaturum, sed noctis simul, fraudisq; auxilio afuetum belli genus tentaturum. Scanderbegus licet parasset iam pridem omnia (si ex re sibi videretur) ad fugam, tamen pedem non mouit inde, priusquam satis propinquum hostem audisset, & strepitum quasi ac puluere non



tasset venientium. Tunc conuersis signis, omnibusq; collectis, cessit hosti, ita ut conspici quasi terga cedentium a sequentibus possent. Abstinet ab insequendo Barbarus propter difficultatem ac laborem viae, & insidiarum metum, tamen missi nonnulli equites, qui & illos infestarent, & quantum fieri posset, illorum iter obseruarent. Ingressus itaq; Dibram superiorem exercitus, per viam Alchriae perustrare adhuc eodem tenore cuncta, ac longa indagine perscrutari curauit. Ubi tuta omnia, & sine aduersario inuenta, ingenti festiuitate circumlata sunt hinc inde signa, & inani insultatione vacua defensore loca possessa. Sed quantum incruentae id victoriae genus letis animis tumidus miles accepit, tantum cupidus indoluit, nulla praeda in campis, nulla re ad exaturandam libidinem, auariciamq; reperta. Quinta erat hora diei, quare tum ut equites suos Scanderbegum sequutos expectarent, & ab illis iter eius noscerent, tum ut suas reficerent vires, longis simul laboribus & caloribus defectas, leniter mouentes agmen non procul ab Oronicheo (loci id est nomen) in eadem Dibra confedere prope locum, qui castrorum alias nostrorum esse consuevit, ibiq; erectis tentorijs consultabundi, quod per reditum exploratorum licuit, temporis transigere, cibi capiendi, & curandorum corporum haud multa viris cura incepsit: nam in ortu ipso aurora eius rei ratio egregie habita fuerat, & pransi

Scanderbegus  
cedit hosti.

Oronicheo,  
locus in Di-  
bra.

pransi omnes commodissime fuerant, consilio Imperatoris verentis, ne si decertandum cum hoste eo mane esset, differens in longum ( ut fieri interdum solet ) contentionem fortuna belli cum fame etiam fessis decertandum esset. Fuiat interim curiosos militum animos inuisere loca castrorum, & assuetas hostium stationes, atque hincinde perequirare, sed non sine metu aliquo, & periculi respectu, nusquam arma deponentibus viris, nusquam custodias omittentibus, ac maior ferme pars militum circa tentoria disposita in equis stetit. Ita dua paulo minus hora in pari quiete & suspitione abiere, donec explorator reuersus, qua viderat, ducibus aperuit, Scanderbegum maritimam oram a regione, qua Lyssum oppidum iacet, cum omnibus copijs petiuisse. De copiarum numero interrogati dixere, estimare se vix vniam militum legionem adimplere. Tamen noster exercitus vndecim ( ut audio ) hominum millia excessit, sex equitum, reliqui pedites erant. Sed inde ( ut arbitror ) processit error, quod nostri quum essent in Dibris, peditatum omnem cum impedimentis leni incessu pramisere, verentes, ne si expectaretur in propinquo hostis, & ad celeriore premeret fugam, ad expeditum citumq; usque ad tuta iter non sufficerent. Postea eques paulatim ( ut dictum est ) in ipso quasi conspectu hostium est secutus, ideo prima peditum agmina a spectatoribus ( ut par est ) non fuere visa. Quæret quispiam hic studiosus rerum, qua ratio, qua utilitas propositi huius Castrioti fuerit, ut tum demum hosti cesserit, quum illum quasi afflantem sibi terga vidisset, & magis Lyssum versus, quam alia loca: sed quo genere rationis satis mihi facio ipse, non verebor alienis quoque auribus pro virili satisfacere, præsertim quod nec diuersa in hoc sententia illorum est, quorum maxime diligentiam & fidem in totius contextu operis probauimus, & libenter sumus secuti. Et ipsi quoque effectus rerum si diligenter ad inuicem conferantur, istuc ipsum haud dubie ostendere possunt. Castrioti primum stratagema in expectando tam propè hoste fuisse, simulantis congregiendi animo se expectasse, sed multitudine visa, & præsentis magnitudine periculi perterritum, tum demum cogitasse de fuga, ut animi simul & licentia aliquid inijceret Barbaris, interpretatus eius est timor, quod sine suspitione ingenti fieri haud quaquam potuisset, si plus spacij inter fugam horum, & illorum aduentum intercessisset. Lyssum vero versus potius, quam alio inclinata fuga, tum quod pauorem simulantis hominibus tanquam aptior ea via, quia tutior erat, electa videretur, ne si inter assuetos saltus, & confragosa montium aufugisset, & metum suum minorem indicaret, & latentium suspitionem insidiarum inijceret hosti. Tum illo fortasse eleganti proposito ( quod effectus postea non inefficax testis, expectato successu propalauit ) ut credulum, ac ignarum hostem eo pacto deciperet, adorireturq; ab ea parte, quam neque fu-

Quæstio de  
Scanderbegi  
cessione.

Stratagema  
Castrioti.

ga ve-

ga vestigia, neque ratio ipsa locorum spectatam vllatenus faciebat. Non enim vel ab inani, vel imprudenti ratione, tam prudentissimorum ducum consilia illa inita fateri licet. Amesa quoque non dissimilis omnino interpretis eius rei fuisse dicitur: nam quum Bassa fluctuatus aliquantum animo ex insuetata, atq; tam pertinaci fuga viri, mentem illius sciscitaretur: Mosis, inquit, copias expectabat patruus, ideo solito & tumultuario agmine collecto, veterem vincendi spem eouig; aluit, donec inani opinione frustratus, & visis tam crebris ac ingentibus signis, coactus demum est veram ad fugam, neque tutam sibi moram vllam ad resistendum nobis in prouincia sua cognoscens, Lyssum ad petenda a vicinis atque Venetis auxilia confugit. Probabilis maxime ratio accepta, neq; alia vllius sententia fuit. Licet altius descendentes ingenijs, atq; consilijs ( ut par erat ) collectis, præceps saltem si non vana Amesa interpretatio videri potuerit, nam non eam paucitate hominum, qualis cum Mose venerat, a Scanderbego creditam, neque non cognitam, atq; formidatam, eam vim periculi illud summopere augebat, quod procurata omnia per Dibras, sicut in regio aduentu consueuere apparebant. Non preciosi quippiam, non vllum animantis genus relictum in campis, satis apertum præcipui cuiusdam timoris, atq; elaborati consilij indicium. Nisi fortuna, fataq; vbi semel funestum aliquid miseris mortalibus destinauere, mentem quoq; ac sensum, quasi ipsum corporis robur & columen adimerent. Suberat oculis ipsis tam promptum hostilium consiliorum documentum, neque cernebatur, nisi fortasse in ipso statim apparatu fuga. Procuratum de hoc quoque agrestium, & prouincialium statu in Dibris putauit Barbarus. Sed agedum, quando in Aemathiam superato Tumenisto monte descendentes, ac Croienses ferme campos præterlati, parem ubique rationem prouisionis inuenere, cur ab ea credulitate non discessum est? In viri præterea fama, nonne multum momenti ponendum fuit? ut nunquam tam supinum crederent Scanderbegum, quod eum apparatus, & magnitudinem copiarum non senserit. Nolo tamen diutius hanc hominum credulitate accusare, qua tam insignis victoria nobis, & perpetua materiam gloria tribuit. Regius itaq; vbi per fugam nostrorum, negatam sibi eo die bellicam laudem omnem cognouit, collectis optimatibus, ac principibus exercitus, post cibum lautè captum, ad consilia non satis opportuno tempore delabatur. Illud vnum multis sententijs versatum, an eo die mouenda inde castra essent, & hostis quibus locis, quibus rationibus persequendus, expectaturus, an ibi quod de illo certiora scirent, est morandum. Amesa, & pauci nihil innouandum, sed diem sequentem ibi expectandum dixere. Tamen maior pars meliorem vicit, & illorū præualuit sententia, qui affirmantes ad eos apparatus querendi subsidij, & reditum Scanderbego quadriduum vix sufficere. Tem-

Sententia A-  
mesæ de Scan-  
derbego vana

Consilium de  
mouendis ca-  
stris.

porc

pore interim atque occasione utendum dicebant. Progrediendum in devastanda, & depopulanda reliqua provincia, neque expectandum, donec omnis colonus, & multitudo agrestis ea fama territa fugiens in loca tuta, nudam tantum tellurem, inanesque casas, ac vacua ouilia tarde progressus militibus relinquat. Signum itaque datum à duce, ut exercitus omnis illico in procinctu esset ad se sequendum, propalataque ea sententia est in vulgus, atque aperta ratio novorum consiliorum. Paruit impiger miles eo nuncio supra modum erectus, & clamore (quo cetera solet) eam rem maxime approbavit, extulitque. Proinde dicto citius tentorijs, ac vasis collectis, stetit parata acies, atque omnia ad manum fuere. Amesa quoque ipse vultu ad omnia hilari, libenter passus est in eam sententiam se trahi, non negans & ille tutos se ea die, & sequenti etiam fortasse à Scanderbegi incursum fore, tamen sibi in rebus bellicis timidiora, cautioraque consilia semper placuisse, ita in minimo errore multum esse momenti. Ideoque monere Bassam, ut maximo ordine, prudentiaque in ea re ageret, ne propter immodicam libidinem militarem, sordida praeda sibi & suis etiam luctuosa efficiatur, horum nihil omissum. Partita igitur egregie agmina, ac gravi edicto disposita, ne quis ordinem & assignatum locum inconsulto Imperatore mutaret, etiam si omnis Epirotica gazia ante pedes obijceretur, quum tempus fuerit permissurum se libenter qua illis usui forent, pollicitus & praeda & ceterarum rerum hostilium sat uberem copiam, nihil tunc negatum à milite, donec oculis subiecta, qua prohibebantur, aspectu ipso avidas manus inuitassent. Priusquam tamen moverentur signa, atque incedere cœpissent agmina, Bassa Deos precatus, ut se Epirotica insolentia domitorem facerent, atque Scanderbegi tot annorum triumphos, & fasces victoriarum sibi donarent accitum ad se Amesam agentem curam suorum, laudatumque publicè multo decore verborum salutarum (ut fit) militari voce in Epiroticum regem fecit, Scanderbegi omnia longa, sed inani detestatione infectatus. Accepit omen nepos. Quare promptior ad omnia, latiorque obire diligentius singula, & ambire verbis factisque impensius favorem popularem cœpit. Inter hac agenda mota sunt signa, exploratoribus tamen longe lateque pramissis, & impedimentis partim precedentibus, partim sequentibus. Petita est primum (Amesa ducente) ea regio Epiri, qua ab Oriente Croiam respicit, & 80. millia passuum ab ea distat, quod quum magis deserta esset viris, cultior, & aptior ad prædam videbatur. Præterea paulatim appropinquantibus copijs ad muros non deerat animus, si occasio daretur, urbe quoque potiundi. Desinentibus tamen immodicis caloribus per exiguum itineris eo die emensum, nullo etiam tam parvi laboris premio in campis inuento, sic deserta omnia, ac vasta ubique apparebat solitudo. Augebat ea res magis timorem, ac suspicionem Barbaro, & plus exinde Scanderbegi

In rebus bellicis timidiora & cautiora consilia probantur.

Amesa fit rex Epiroticus per Bassam.

derbegi ingenium, atque insidia timebantur. Molestum præterea id erat cupido laudis homini, quod si ille vel absentia, vel assiduis ludificationibus



copiam sui non fecisset, reuertendum sibi in glorio omnino Constantinopolim esset. Nam neque præda materia ulla, qua in parte victoria computari consuevit, neque modus aderat sine operibus per oppugnationem urbium laudis ullius quaerenda. Devastatio vero segetum, arborum incisiones, & villarum incendia, atque cetera id genus in ultimo odio differri consuevere, quum furorem, ac rabiem verius quam quandam, quam ultionis commodum vllum ostendant. Præferim quod alebat spes nescio qua homines debellandi cum Scanderbego posse, si manus conseruisset, & totius provincie extorquenda. Ideo forsitan aliquantisper ab ea seuitia desitum est. Contractis iam paulatim radijs vergente ad occasum sole, succedens tacite multis locis umbra, fessa itinere & calore, atque perennibus exhausta sudoribus, militum corpora cœperat instaurare. Quum propter eam copiam respirandi accelerantes iter homines, & inferentes promptius signa Bassa sistere iussit, veritus progredi ulterius propter vicinitatem noctis, atque Amesa prius cum nonnullis equitibus ad contemplandam commoditatem loci pramisso, collem quendam proximum, qui à sinistro latere imminebat cum parte copiarum conscendit ipse. Pars in valle supposita, & alijs, quibus tutius potuit locis, collocata est, custodijs tam per patentem campos, quam vicinorum montium cacumina summa ratione dispositis, ab ea præcipue parte, qua periculum à Lyssso timebat. Ita nocte ibi transacta. Aemathia crasti-

Devastatio segetum, incendium & c. rabies verius, quam ultionis commodum.

Capitulum  
confilia Scan-  
derbegi aper-  
uerunt.

no itineri omnium sententijs destinata. Interferunt hic quidam captos nonnullos ex nostris colonis, dum incauti ex salibus vicinis descendentes, fuissent oppressi, metu mortis, atque suppliciorum adactos multa hostibus Castrioti consilia aperuisse. Sunt enim quidam montes Epirotici adeo saltuosi, atque difficilis accessus, ut tutiorem se penè ibi, quam in munitissimis oppidis esse confidat habitator, neque ulla satis hostium et periculi magnitudine ea loca deserat. Addunt illud quoque, transfugas hac ipsa nocte esse ad Scanderbegum, interceptosque à quibusdam custodijs nostris exploratores creditos in ea incertitudine noctis occisos. Vnum casu seruatum, missumque ad Castriotum accingentem se crastinis laboribus, multaque ab eodem consilia illum didicisse, et eius victoriae nostrorum quae mox sequuta est, precipuum hunc auctorem, et adiutorem fuisse, non difficile creditum id est. Nobis tamen sine probatione aliqua veri, vel impugnatione mendacij isthuc sit retulisse satis, praesertim quod res nostra iam pridem in hostium aduentu ipso relicta, me ad se solite accersunt et reuocant. Ceterum Scanderbegi fuga illa Lyssum versus non eiusmodi fuit, ut credidit hostis. Sed ubi multis millibus passuum ex oculis illorum euentus deuenit in loca quadam in limitibus ipsis sui imperij, unde multa in prouinciam via ad hostem ex improviso inuadendum patebant, fixis signis castra per eum diem ibi metatus est. Et ipse usque ad occasum ferme solis cum exercitu mansit, tunc demum copijs ibi relictis cum paucis admodum equitibus in montes quosdam peruenit. Unde non iniquus erat in Aemathiam prospectus, atque per iuga, et summitates (non aspernatus ea, quae à transfuga illo audierat) custodias cum solitis fasciculis disposuit, admonitos prius ut erectos illos tenerent, et qua parte confedentem viderent hostem, ab eadem velut in praecipuum eosdem fasciculos darent. Hoc tantum diurnum signum ordinatum, de ignibus, ceterisque custodijs nocturnis nihil procuratum inuenio. Relicti tamen ad eam custodiam sunt milites, ex toto ferme exercitu maxime insignis et fidelis operae, unaque cum eis Peicus Emanuel, pari vir consilio atque audacia, nam totius rei momentum in ea custodia erat. His sic procuratis intempesta nocte redijt in castra, et maiore eius parte ibi per quietem transacta, silenti admodum agmine sustulit signa, atque non diu oberrans in valle quadam non procul à custodijs, quas diximus, latuit, pedem inde non moturus, donec per fasciculorum indicia agendorum consilia accepisset. Lux vix exorta, Bassam cum omni exercitu e castris eduxit cupientem ante meridianos calores interiora Aemathiae penetrare, ubi residuorum aliquid ad praedam relictum, et minus timoris, ac negligentia magis audiebat. Itum igitur nusquam interpellato itinere. Et madentibus adhuc rore matutino herbis, celebres Romano quondam sanguine campi, ac infamis tellus noui iam cruoris auida infelici pressa pede. Et ne sine praesagio (ut assolet) aliquo tan-

Peicus Ema-  
nuel.

ta res transfiret, affirmant multi, signiferum maceria quadam diruta, offenso equo (ut multa sunt eius generis apud nos fines terminata praediorum) humi precipitem cum vexillo corruisse, ac exanimatum ferè sublatum manibus sociorum impositum equo. Rem tamen minime curatam ab hominibus, signum tantummodo acceptum, ut cautius ceteri irent, et vitarent eum locum, id quod et nobis fortasse magis credere licet, quam vanissima eius casus indicia in mera arbitrij libertate, ac tantis fidei Christiana documentis sequi. Sed in alieno, nescio qua ratione dissentiam à ceteris, quod per eos dies vulturum, ac ceterarum id genus volucrum, quae sordes cadauerum appetunt, tantam multitudinem in ea loca velut praesagam futuri cruoris aduolasse narrant, ut operiri caelum videretur. An et illud contemni debuit? quod hoc ipso anno in exitu veris sanguinem pluuisse à multis qui viderunt, propalatum oblitum miseramus, quorum neutrum hominis factum illo processit, neque aliquid in prudentia, aut consilio nostro fuit momenti, ut praevideri, vel praecaveri posset. Fluunt multa ignavis mortalibus occultis quibusdam rerum causis, et mala bonaque agentibus astris nobis saepenumero patent, sed dum obseruare piget, omnia casum facimus, neque prudentia ministerio, et industria consiliorum, vel propensa numina inuitamus, vel minantis rabiem poli excludimus. Cur namque vel eos auium volatus, vel caelestem sanguinem, magis hostium, quam nostram cladem portendisse dicamus? nisi longis ducis consilijs, ingenijque dexteritate, et expugnata astra, et exorata à superis tanta victoria fuisset. Potuit (nisi fallor) vulturum fames eludi: potuit solo sanguine caelesti exaturari tellus, si trahentia fata pertinax humanorum prudentia pectorum ad se traxisset. Si enim nihil momenti est in nobis, nihil iuris habemus in his, quae agimus, et necessarius ea indicia effectus sequitur. Quid frustra monere et iubere arma, si inanis omnis tutela nostra est futura? Quid saltem adeo usque onerare genus humanum, et tam longas miseris mortalibus velut condicere lachrymas? aspectatores mali sui tantum non affuturi facere oculos. Latiores profecto abiremus alente spe animos usque ad ultimum vitam spiritum, quae mortem quoque ipsam minus formidatam condiret. Licet illud sit in ore ferè omnium, prauius mala lenius offendere consueisse. Fatebimur fortasse in eo genere malorum, quae praeparare animos non demittere solent, sed nulla quidem funestior cogitatio, quam quae vita ac mortis tempus aqua vi lachrymarum, ac rabie doloris aspergit. Veruntamen dum Philosophum nescio quem ago, nimio plus fortasse historicum exui, hostium ingressum in ea loca statim crepitus tormentorum ex castellis vicinis excepit, reuocantium quosdam ex suis, qui pabulatum cum armentis exiuerant. Nemo tardatus propius periculum expectauit, quin studio fuge qui longius progressi fuerant, incommoditate agendi gregis pauxil-

Signifer cum  
equo colla-  
pius.

Sanguinem  
pluit.

Astra patent  
bona malaque  
agentibus.

Iacula praui-  
sa minus feri-  
unt.

Autor philo-  
sophatur.

lum prade hosti reliquere. Simul & fasciculi nostri ex montibus excussi, Scanderbegi ocium excussere. Qui optima ratione facile coniectatus quò tenderet Barbarus, custodijs reuocatis, & iunctis ordinibus latenter per secretas valles, & montium secessus mouens agmen, ignarum hostem à longe est secutus. Et quum satis itineris emensum visum est, ratione custodiarum ibi quoque exactissime disposita, iuxta collem quendam, quem Tumenistolum accolæ dicunt, usque ad occasum solis cum omni ferè exercitu quieuit. Regius interim non primam solum partem diei, sed integram ferè eam lucem in quarenda prada, & excursionibus assidujs consumpsit, contemptu quodam, ac licentia paulatim inter homines orta, quum nihil usquam obstaculi appareret. Non latuit quippiam Scanderbegum, sed neq; cum ea paucitate suorum per latam planiciem insequi palâtes, aut cum aliquo discrimine pugnare decreuerat, & crescere magis licentiam illorum volebat. Eodem igitur tenore per totam noctem illos sequutus, à castris eorum abstinuit, cum propter incommoda locorum, quod vix duci agmen in tenebris per eos inuios saltus poterat, tum quia animum intendisset ad conceptum iam pridem stratagemam illud de tubicinibus, cornicinibusq; (de quo suo loco dicemus) ad diuinum se certamen seruabat. Transiegit itaq; id noctis Barbarus multa festiuitate, atq; militaribus iocis: Amesa quoq; nihil recusans, circumlatus per castra, manibus sociorum, atq; inconditis vulgi carminibus velut iam totius dominium Epiri nactus esset, nimium prapostere celebratus est. Non quod liberi iam forent à suspitione, timoreq; animi hominum, sed quia desiderium nostrum sepe numero fidem quoq; ipsam secum trahit, ut quum ita velimus, ita credamus, & triduana ea cessatio velut victoria quadam, inanem profecto licentiam mentibus iniecerat. Inde omnia ad negligentiam proniora, & ministeria custodiarum segnius procurata, ab ea tantum parte vigilantes dispositi, qua hostium iter & reditus à Lyssso timebatur. Ita nocte superata, dies quoque adueniens excursionibus designatus. Sublata igitur cum luce signa, & quod supererat locorum ingenti impetu atque insultatione peragratum. Castra etiam mota cum omnibus impedimentis, & in planicie quadam inter Cathiam fluum, & aquas, quas Albulas accolæ appellant, translata, non dissimili serie custodiarum Lysssum versus ordinata, & ad radices Tumenisti montis, qui patentes campos ab Occidente spectabat, armati quidam custodiam habere iussi, ceteris rebus stationes egregie munita, ac dimidium ferè exercitus ibi retentum. Nam Bassam cum multis purpuratis in eis mansisse inuenio: Amesam tamen ut peritum regionis, copias ad deuastandam prouinciam ductit asse. Procursum igitur eodem tenore usque ad suffadas maritimas, & littorales partes. Colonos obnoxia iniurie quadam reliquit, præsertim quod non satis credidit Scanderbegum tam diutinam eorum licentiam

Amesa celebratur rex Epiri.

Mathia fluius & Albulas aqua.

centiam passurum. Potuit omnino tunc quoque egregium aliquid nauare Epirensis, si impetum in castra diuisis sic viribus hostilibus fecisset, sed non adhuc ita in propinquo surreperat, ut in procinctu ea aggressura esset, & expediretur antequam reliquus populator reuocatus medios intercluderet homines. Reditum est in castra, reuocante fame, caloribusq; ac infamis prada inter milites diuisa, qua famem inuitaret magis, quam pelleret. Subdlexerat interim nostri copias, ac insidias omnes, & ardentia ora, gladijq; iam stringebantur in hostem. Castriotus velut sollicitus hospes, quum præclarum aliquod conuiuium, & lautiores solito epulas parat, non familiarium, non seruorum, nõ fidens manibus uxoris, & experto ingenio fidens, omnia ipse ordinat, omnia disponit, disquirat singula anxius, & in omni parte mensa in cunctis cibarijs pallidus hæret, præsertim si propter tenuiorem fortunam viri parcior apparatus est, quam pro numero conuiuuarum. Ampliat quoq; docta artificis manus ad oculos saltem accumbentium fallendos, si manus & dentes non potest. Sic pererrans ille per montes & colles vicinos, nusquam quiescit, hinc Mosen, hinc Tanusium, hinc Stresios, ceterosq; singulos singulis ministerijs addicit, monet, instituit, nullius tamen satis ingenio in tanto rerum molimine fretus, nunc prait, nunc sequitur viros, ubique testes suos ipse oculos, testes manus adhibet, versat, reuoluit cuncta, simul & loca hominibus, & homines locis assignans. Partitur ita ordines, viresq; suorum, ne violet, ne exhauriat, formidandum undique ignaro hosti spectaculum parans, nam singulis agminibus tubicines, cornicinesq;, ac cetera id genus bellica instrumenta, qua numerosiora solito apparauerat, summa ratione locauit. Peditem vero, equitemq;, prout qualitas locorum patiebatur, & numerus copiarum disposuit, nam maiorem exercitus partem, quatuor equitum, totidem peditum millia sibi seruauit. Atque nihil moratus Tumenistum raptim conscendens occupauit. Regij præsertim qui à populando fessi redierant, ad quietem suam equorumq; dilapsi se toto passim sparserant campo, equis non stratis, non inscenis habitis, paucis etiam ad arma, & ordines relictis. Pars sub umbra cruenta vescentes prada, pars sumpto cibo somno etiam strati, quidam lusibus varijs, lasciuiaq; militari vix agra corpora sustinebant: nam & anni, & diei intemperatissimum tempus erat, propter flagrantissimos Julij calores, ac stationem ipsam solis, vix medium cælum relinquentis. Quapropter & ceterarum custodiarum non absimilis ferè negligentia fuit. Ibi quoque ad ocium & corpora curanda versa multitudo, non armis, non equis ad manus habitis, cum timore ipso rationem ordinum ex magna parte abiecerat. Bassa tamen cum purpuratis & Amesa consultore, cuius præcipue res agebatur, sub tentorijs peruigilantibus cura angebatur, quo iam vertendum iter: unde quarenda materia aliqua

De caede Barbarorum, & triumpho Castrioti Epirensiumq;.

Pulcherrimum simile de illustre tutore belli & conuiuij.

Tubicines, cornicines, bellica instrumenta.

Scanderbeg Tumenistum occupat.

Amesa angitur.

las d'is



Consultatio  
cōstans dua-  
bus sententijs.

laudis foret. Duabus (ut debebat) sententijs ea consultatio constasse dicitur. Altera ferro, igniq; per omnem prouinciam immisso, & absumptis casis, arboribus, segetibusq;, ac omnibus solo & aquatis, ea saltem victorum vestigia relinquenda censebat. Altera Amesa auctore Croiam eundem, & tentandos oppidanorum animos, an nepotis imperium admitterent, & dedere se vellent. Subijciendumq; id ad terrorem hominum, ni postulata ex aequo acciperent, sordidissimum iugum omnino coactos subituros prater perpetuam obsidionē, & calamitatem, ac ruinam prouincie, neq; seruum Scanderbegi auxilium expectarent, inania consilia hominum, qui vel sibi, vel alijs diuturniorem absentiam viri suadere poterant. Facile tamen hac sententia recepta de altera superseffum est. Id tantum ad mouenda castra, donec astus ille, & lassitudo corporum resedisset, expectabatur. Sed non expectauit Castriotus iam pridem ex Tumenisto, eo spectaculo pascens simul, & instruens oculos, atq; animans, & componens militem, qua ratione se sequeretur, qua perterrefaceret, & qua parte premeret hostem. Tamē primum omnium contemplatus custodiam illam ad radices montis, sensim ab altero latere descendens, ipse ante alios cum octo non amplius equitibus dormientes nonnullos, alios ex improviso oppressos trucidauit, prater unum, quem



Castriotus  
prouisos ob-  
ruit.

fuga, equusq; saluauit. Eoq; modo reliqua agmina nostra decurrere in planum ignaro hoste, quum subita eius custodia oppressio signum ullum dare prohibuisset. Caterum ille effuso cursu perlatu in castra horribili clamore cuncta repleuit, Scanderbegum adesse, trucidatos custodes, uniuersas hostium copias mox affuturas. Haud credita quasi res foret, ni satis certa indica,

cia, & pauoris ipse sui, & sanguinis sociorum dedissent. Nam neque periculum ab ea parte, neque tam improuisus aduentus eorum timebatur. Amesa facile omnia credita, quare confestim prouolans ad suos, & arma omnibus, & magnos ad vincendum animos suadere conatur. Somnum multis partim socij, partim hostes aduenientes excussere. Nam Castriotus ubi proditas iam aperto campo insidias suas uidit, peditibus quantum accelerare possent, sequi iussis, effusissimis habenis accingentes se ad praelium turmas inuadit, clamore ab omnibus ex composito sublato, ac tubarum clangore adito, ut & magni exercitus existimatione perterrerent hostem, & signum montanis, ac circum dispositis insidijs darent. Primum impetum illorum Amesa, cum milite suo, ac custodijs quibusdā fortiter excepit. Pedites quoque multi occurrere, quum in ea celeritate fulcēdorum tam cito equorum facultas non adesset. Trepidatio, ac tumultus ingens omnibus locis exorta, cadentibus quasi maxima consternatione ad aspectum hostium uiris. Bassa è statione sua neq; pedem, neque signum mouit, donec instructam egregie multitudinem uidisset, & latus undecunq; triplicato robore armatorum cinxisset. Sed inter hac apparanda iam cœlum undiq;, & terra misceri uisa, propter novos inexpectatosq; tumultus, & horrendos latentium insidiarum clangores & strepitus. Resonare passim colles, uallesq; uicina, nunc clamoribus humanis, nunc tubarum sonitu, augentibus pauorem animis simul & auribus innumeris sclopis. Quare exanimati regij credentes totius Epiri, & Dalmatie insuper uicina uires adesse, priusquam Moses cum socijs descendisset in planiciem, arripere iam ex omni parte quam poterant fugam cœpere, qua etiam haud quaquam tuta uidebatur, obfesso undique quasi omni aditu ab hoste. Equi etiam ipsi territi multis locis, excussis & abruptis uinculis, è manibus sternentium fugiebant. Sed Amesa non ignarus fraudis, & coniectatus facile patru ingenium, vociferans passim nihil timendos eos inanes tumultus, talia esse solere paucitatis prasidia, atque artes, & congressus hostium cominus expectandos, nō uanos clamores, & tintinitus aris, non appositas timidorum uoces, & imbelles latratu usque adeo formidandos, multos per singulos gradus reuocabat pari incertitudine fuga, atq; certaminis, nam neq; illa stante Imperatore, & integris quasi omnibus honesta apparebat. Neq; ad hoc sufficiebant uires percussis in re subita tanta cōsternatione animis, ut uix restitui in integrum per longum interuallum possent. Bassa quoq; agmine suorum stipatus, eductis multo impetu signis, pugnam non detrectauit. Properantem ad ferendum Amesa auxilium, & opprimendum aduentu suo Scanderbegum Moses, ac deinde ceteri subsequentes in planum facile reuocarunt. Sed effundere multum habenas equitem non est passus Dibrensis, donec Tanusius, & Emanuel, qui peditum, ac scloporum agmen trahebant, ad primos peruenissent. His succeden-

Amesa animat fugientes.

Fuga inhonesta stante Imperatore.

Tellus sanguinis  
profluuijs  
humida.

Moses fortissime  
exhortatur  
suos.

Amesa, nepos  
Scanderbegi,  
capitur viuis

cedentibus furor cuius suus permissus, ac equestris procella ab omni latere non tardata ruebat. Quare compulsus est quasi iterum in tentoria Bassa, & peditatus noster abiectis post terga arcubus sclopijs, gladio commodius in propinquos ac inconditos passim & inordinatos hostes agere cepit. Multa clades per omnes stationes edita, multus & fugientium, & resistentium cruor effusus. Sed alia mali species, alia funestissima fortuna spectacula ab alia parte fiebant. Alijs sanguinis profluuijs humectebatur tellus, qua Scanderbegus cum copijs ingruerat, nam & maior inde numerus nostrorum ingentiora poterat adere opera, & hostes magis incauti, ac inermes ferè, & strati somno multi oppressi, patèntiora iniuria corpora, ac expeditorem ferro viam præbebant. Hic quoque peditatus non absimili modo vsu sagittarum, ac ceterorum id genus missilium abiecto, strictis tantum ensibus, & verutis, ac spiculis Epiroticis nunc timidorum ac fugientium terga feriebant, nunc confodientes equorum ilia, seiores passim humi præcipientes deturbabant. Fuga hominum, & audacia omnis ab Amesa manifesto pendebat, qui obnixiore semper vultu sustinebat hostem, & nunc voce, nunc gladio socios compellabat, ut adessent tantum, sustinerentque, dum primi Epirotici impetus frangerentur, expeditam postea victoriam, ac incruentam sibi futuram. Paucitatem nihil præter primum furorem habere, simul cum eo & vires cadere, & animos, & sic non iniqua ratione protraherat certamen, donec reliqua agmina, quæ sparsa late per campos erant, concurrissent ad arma. Tamen inerior semper eius auxilij expectatio erat, nam multi ab immisso equite nostro obruti, dum arma expediunt, multi inter veniendum intercepti, reliquis fugam suaserat timor. Ita paucis Turcarum copijs legitime concursum, ac maior pars iumentorum more trucidata. Moses ea occasione cupidissime ad abolendam veterem ignominiam accepta, cum robore suorum Bassam nusquam respirare patiebatur, clamans (ut impatientis ingenij erat) ad omnes ictus & motus oculorum: Adeste, inferte gradum socij, non insignis castrorum forma, non vos ingentia Bassa nomina deterreant, infames reliquæ sunt Belgradensis Hungaricæ cladis, timore præterea, somno, ac recentibus crapulis obruti, urgete, impellite inanes custodias, exaturate sanguine dexteræ, postea præclara præda, ac ingentibus spolijs exaturaturi. Novebant facile cum hac dicta viros, tum illud multo magis, quod tam præciosa victoriæ præmia oculis quasi ipsis cernebantur. Tamen circumfusa undique Turcarum agmina, peditum etiam quorundam non contemnenda manus, penetrari se non patiebantur. Scanderbegus interim nepotem, quum occidere prohibuisset, conuersum in fugam, ac equite post terga fugientis immisso viuum cæperat, & expedita ab ea parte victoria, ad stationem Bassa cum mille ferè peditibus, & paucis equitibus properabat. Nam ceteri cæptam semel victoriam neque in fuga hostium

stium intermisere. Sed & ibi perfractum robur omne castrorum fuerat, immixtis à Mosesclopijs, ac Imperator cum omnibus conuersus in fugam. Pedites qui ibi fuerunt, nisi quis in eo tumultu raptim equum vel suum, vel alienum conscendens, se subduxisset, omnes cæsi, & viui in potestatem venerunt. Scanderbegus Bassa iter ac vestigia nusquam reliquit, donec ille in tutum peruenit, seruauit namque dominum pernicitas equi. Capti tamen ex comitibus eius fuga plures, & inter ceteros Sanzachus vnus, cui Messis nomen erat. Dibrensis quoque ac ceteri, dum carpendi & lacerandi terga facultas fuit, nunquam præda memores fuere. Sponte se deditum ubique fessa, ac ignaua agmina vinciebantur. Pugnatum est tamdiu hoc modo, donec dies quasi ipse cum hoste deseruisset victores. Non ingens lassitudo, non properantes tenebra ab assuetis laborum, & victoriæ præmijs militares manus detinere. Palpitantia adhuc cadauera expoliata, & multi etiam tunc occisi, in quibus reliquum adhuc sanguinis inuisum spiritum seruabat. Signa militaria præcipua magnitudinis & formæ viginti capta, homines viui mille quingenti, equorum ac reliquarum rerum incredibilis præda fuit. De numero occisorum varia afferuntur: qui enim plus, triginta millia casa referunt, qui verò minus, viginti commemorant. De nostris sexaginta solummodo, aut paulominus desideratos fuisse narrant. Tam amplam victoriam sic exiguo precio stetisse, sed nec ipse mirabilem nego, dummodo audientium aures (rara hæc res) omnino non offendat. At si vetera multa Romana, exteraque eius generis exempla inspiciamus, facile hoc ipsum quoque credulitatem inueniet. Tentoria multa erecta inuenta sunt, à suis locis per eam noctem non mota, sed destinata passim victoribus, quibus fessa, humentiaque mixto sudore ac sanguine corpora à cælo nocturno defenderentur, ubi etiam accensis circum ignibus eam læticiam celebrarent. O lepidos fortuna lusus, & ridiculum rerum humanarum statum. Bassa prætorium Scanderbegus obtinet, atque alij demum alias non ea mente paratas possident stationes, stratas inueniunt multis locis mensas, atque sparsis passim abutuntur cibis. Credere exin veteri proverbio satis licet: *Μὴ cultis* (ut sic dicam) *millibus passuum os ab offa distare.* Equi plures strati, ac infrenati reperti, qui dum ascensorem dominum velut expectarent, casum sub oculis, ac pedibus ipsis ignari conspiciabant. Amesa tamen præcipuum eius rei spectaculum, ac documentum varietatis humana cernebatur, modo insolens Aemathiam percurrebat, nunc momentaneus Rex, erectis (ut aiunt) cristis militum manibus, clamoribusque circumferebatur per castra, victis post terga manibus, sine voce, sine vultu ad patrium trahitur, & accurrenti undique multitudini, ac turba victrici offertur, pietatem ferè omnibus, lachrymas etiam quibusdam eliciens. Adueniente die Scanderbegus veritus ne tot

Bassa pernicitate equi au-  
fugit.

Olepidos for-  
tunæ lusus.

Proverb. latinum à cibo apud Gellium, ex oratione quadam Catonis, inter os & offam, sicut illud Græcæ nicum à potu. *ωσπὴν μετα-  
ξὺ πιδῶν καὶ  
λίχου ἢ χε-  
λεῖ ἔσθῃ.*  
Multæ cadunt inter calicem supremæque labra.

simul cadauera eis praesertim caloribus corrupta faetore suo aërem corrumperent, qua ultima tribui poterat, pietatem hostibus, sed non voluntariam impendit. Humati sunt equi simul, dominiq; pluribus locis, ac instrumentorum, & hominum cadauera confusa. Plura ad ripas vicinorum fluviorum, & Albularum inuenta, prout fuga homines, timorq; passim incertos tulerat. Licet potuerint satis eo die propter tantam sparsionem, & inundationem sanguinis Albula mutare nomen. Aemathys campis ad veterem famam multum quoq; nominis & celebritatis est additum. Consumpta est in eo opere, atque agendie foueis magna pars diei. Ita vulturum, de quo supra retulimus, inanis aduentus, & expectatio fuit. Expeditis omnibus (nam neque onustis praeda viris depopulandi alia cura incessit, quum & ager hostilis procul esset) neque integri omnes eo pralio excefferant, Croiam versus conuersa signa. Caterum in mouendis tentorijs rixa quadam inter duos turmales orta, distulit aliquantisper discessum Castrioti. Hic quum superiori pralio contracta societate totius fortuna, atque praeda, multa accumulassent hostium spolia, in diuidendis demum eis rebus, dissensio (ut solet) orta est, atque eò mutuis iurgijs & conuiuijs protracta, ut gladijs etiam arreptis prouocantes se ad inuicem ferro decernere uellent, uter dominus eorum appareret, qua dissidij causam dederant. Castriotus re audita, uocatos ad se homines, quum interrogasset an pransi essent, & pransos se respondissent, subridens (ut faceret, & popularis erat ingenij) Bacchus, inquit, litem excitauit, Bacchus dirimat, non Mars, vel ullus alius Deorum, hominumq;. Deinde obiurgatos seuerius homines à se dimisit, Uranaconte supposito, qui eos motus sedaret, & rem ad aequalitatem redigeret. Euntibus Croiam nostris, multitudo ubique agrestium, & caterorum, qui usque ad exitum eius rei per saltus uicinos latitauerant, & oppidanorum etiam occurrit, atque tanta festiuitate, clamoribusq; hominum simul & instrumentorum uentum ad orbem, ut uix speciosior triumphus, uel pompa maior omnium rerum esse potuerit, nam integris copijs structum exercitum sequi se ad ornandum magis id spectaculum usque in suburbia Castriotus fecit. Nemo ferme erat, qui equum captiuum ingentibus spolijs atque praeda onustum ante se non ageret. Captiui etiam longo ordine uinctis post terga manibus, Scanderbegum praecuntes augebant magis id spectaculum, praesertim quod signa capta quibusdam ex illis ferenda fuerant tradita ad egregiam quandam uictoriae confessionem. Uelamenta Bassae tentorij, quippe qua color ipse purpureus mirum in modum ornabat, à nonnullis militibus nostris ex composito diffusa, ac erecta quasi ferebantur non nihil addentia cateris rebus decoris. Amesa patrum quum enixe rogasset, ne se tam sordida, & miserabili specie seruitutis, Croiam duceret, cum

Sanzachus

Inundatio sanguinis Albulae nomen mutauit.

Rixa inter duos milites propter praedam.

Bacchus litem excitauit, Bacchus dirimat.

Triumphus Castrioti euntis Croiam.

Sanzachus illo captiuo liber, & habitu cultiori, quam captiuum deceret, sequebatur. Ibi itaque ante portas ipsas Croienses soluti, ordines & milia domum latissimus dimissus. Praeter praedam, equos, & spolia omnis



generis, captiui etiam multi, prout petierant inter illos priuatim diuisi. Signa militaria, & caetera publica ornamenta, qua Scanderbego cesserant, ab accurrente multitudine, populoq; lata pulchris clamoribus intramuros. Sanzachus, Amesaq; custodiri iussi, donec iudicium de eis ferretur. Laticiam Epiroticam, & eius uictoriae celebritatem per multos dies non intermissam, ad externa conuertens animum, auresq; haud grauate omittam. Tanta fama eius rei omnes uicinas regiones, & interiora etiam Italia, atque caeteros Christianos principatus peruasit, quanta uix de uicto Amurathe, aut alia uilla feliciter gesta re excitari potuisset, & ingenium uiri iugi ab omnibus admiratione prosecutum. Id quod hodie quoque illa res non inani documento ostendit, quod inter praclaras ueterum res gestas, & maiorum laudes, qua canis à nostris in conuiuijs ex more antiquo & non contemnendo fortasse consueuere, hoc maxime facinus non ingrata posteritas studiosissime inseruit. Gratulationes, munera undique, & conuiuijs frequentes, ac perennes epulae quasi de consuetudine gentis non defuerunt. Oblitterauerat iam Alybassam, & tot Mustaphaeas clades, ac omnes uetustas, & recentes laudes praesens uictoria. Belgradenses clades tanta uirtione compensata exhilarauerant cunctorum animos, ac squalor omnis ex ea maestitia contractus, & sordida uestes deposita. Iuuat notos ignotosq; procurfare passim in uictoricos campos, ac

t 3 spuman-

spumantem adhuc sanguine tellurem inuisere. *Juuat perlustrare, & sciscitari singula, quo quisque latuisset loco, qua parte inuasisset hostem. Ceterum neque Mahumetes ipse eam rem minore admiratione excoluit, atque Epiroticam victoriam sordidissima timoris sui confessione paulopost approbavit: nam quum fractas eousq; copias suas vidisset, & seriem omnem pugnandi, ac rationem cladis à Bassa audiuisset, licet multa essent fortasse in quibus & Imperator, & exercitus reprehendi merito possent, tamen non ulteriori accusatione fortunam hominum insectatus, inueto & mæsto admodum silentio dolorem suum suppressit. Procurandum erat de captiuis redimendis, Sanzacho presertim, cuius seruitus dolorem maximum, & pudorem quendam omnibus iniecerat, propter & dignitatem summam, & virtutem viri. Decretum itaque de eius redemptione & nobiliorum quorundam, ceterorum iactura non curata, atque pecunia ad id à consanguineis, & ex publico etiam (ut solet) parata. Illud tantum expectabatur, ut summa ratio aliqua statueretur à Scanderbego, & nuncius veniret ex Epiro, qui tutum ituris iter polliceretur. Aduenerunt duo ex magis intimis Sanzachi à Castrioto, eodem postulante dimissi, atq; quindecim aureorum millia pro eius libertate, & quadraginta ferè cate-*

De aduentu legatorū ex Constantinopoli ad Scanderbegum pro Sanzacho, ceterisq; captiuis redimendis.



rorum petita, neque negata. Priusquam tamen ea velut legatio isset in Epirum, Ottomanus fractus magis tot cladibus, quam castigatus, multis nequicquam curis agrum animum sollicitabat, distrabentibus etiam hinc inde mentem auidam consiliorum varijs purpuratorum sententijs. Super sedendum quidam de omni ratione belli Epirotici censebant, donec Tyrannus

rannus ipse cum solitis viribus & robore imperij ad euerfionem eius gentis ab omnibus alijs liber & expeditus ire potuisset, nam tunc propter recentiores Hungaricas iniurias, & novos ex Mysia tumultus ut id facere posset integrum illi non erat. Alij ab hac sententia non discedentes, mittendum tamen ad fines imperij validum presidium suadebant, quod nunquam vel sponte sua, vel laceffitum innouaret aliquid contra hostem, tantum finium tutandorū curam ageret. Multis eadem ratione externorum bellorum inducias aliquot annorum petendas esse à Scanderbego non ab re visum est. Interim & respiraturum aliquantis per tot incommodis imperium, & meliorem forte occasionem affore ad iugum homini imponendum, nam secundo loco dicta sententia ea de causa non recipiebatur, quod minime tutum futurum presidium apud eas presertim insidias & ingentia hostium dicebatur, si modicum mitteretur. Magnum autem in tot bellorum motibus, & tanta rerum nouitate, nisi incommodissime mitti non posse. Vtilis ratio licet inhonestior & sordida aliquantum nimis multos ad se traherebat. Ceterum Tyranni aures quamuis id non mediocriter offenderet, fugientis diu tantam ignauia confessionem, quia tamen omnia stantibus tot hostibus expediri commode non poterant, nihil pudendum, nihil sordidum in ea presertim ratione rerum insolentissimo Regi visum. Quare accito ad se uno ex his, qui pecunias pro redemptione sociorum acceperant, animum suum omnem homini aperuit, & mandauit, ut Sanzacho captiuo id oneris nomine suo imponeret, qui postea referret ad Scanderbegum. Literis quoque regijs de hoc ipso actum cum Sanzacho, qua in manus nostrorum postea venire, ut in conciliando sibi hoste, & eo federe querendo, maximam rationem regij decoris, & honoris imperij haberet, ne si multum enixè, & sordida quadam demissione id genus pacis posceretur, postulata cum penitentibus ipsis ab elato hoste perinde contemnerentur. Latior longe nuncius hoc mandato discessit, quam spe illa, quam propter acceptam pecuniam redimendi sanguinis sui & sociorum habebat. Quod sublatum iam sibi per aliquod tempus Epiroticum hostem, & respiraturos aliquantis per à tot cladibus Turcas credidit, tamen sefellit facile spes hominem, & Tyrannum etiam ipsum, ut & eundem olim, atq; Amurathem patrem sefellerat. Nam quum Messit allatis ex Constantinopoli pecunijs, inter numerandum ferè multa interseruisset Scanderbego de mandatis, & voluntate Tyranni, ille quidem pecunias libenter accepit, cetera verò postulata ita respuit, ut praecidens his verbis sermonem hominis minime diutiorum eius orationem expectarit.

Non ea, inquit, ratione toties aduersis etiam meis rebus fœdera à vobis petita contempsi, ut nunc secundis acciperem. Sed neq; ita oblitum me conditionis humanae, ac inconstantiae suae hac qualiscunque est, prospera

Scanderbeg respuit pacem cum Turca,

certè

certè fortuna mea eò prouexit, ac inanes tanta spe inflauit spiritus, ut vel perpetuam eius possessionem spondere audeam mihi, vel tam insolentem amicitia vestra contemptorem futurum semper confidam. Mutare poterit hac fallaces vultus, & petitores nos forsàn sordidioris apud vos pacis efficere. Tamen quicquid occulta rerum semina, & abstrusus fatorum ordo homini paret, non ideo quicquam hodie ex pristina pertinacia animorum mutamus. Fœdissimum omne amicitia genus vobiscum reputamus stantibus tam undique Christianorum iniurijs, tot cladibus, ac sanguine adhuc recenti, quo Græcia iam omnis ac Hungaricum solum madet. Sic ne Peloponnesiaci imperij iacturam hodierna pace compensabimus? Sic & nouam Belgradensem victoriam, ac Hungaricam gloriam, ignauis vobiscum inducys dehonestabimus? Habeat quæ potest ipse Nabumetes fœdera, nos armis, ferroq; captam semel pacem, & ocium quæremus, præsertim quod non solæ nos iniuria, ac perfidia vestra, sed natura potius quadam hostes vobis fecit, sempiternisq; contra se inuicem armavit odijs. Gentiles vobiscum ipse, ac hereditarias quasi inimicitias exerceo, & domesticus potius sanguinis, ac mea simul & Epirotica seruitutis volutionem, quam nouam gloriam vllam de vobis quero, nunquam satis finem laboribus hisce, & periculis facturum, donec vel pristinum ciuibus meis statum, vel inuisum vobis spiritum tradam. Non destitit ideo Sanzachus, sed multis callide consilijs & precibus admixtis, familiaritate quadam trahere ad se animum hominis conabatur, commemorans vices bellorum, & subiiciens multa eius generis per omnia secula exempla. Non defuturum postea tempus ad arma, si tantum momenti in bello ponat. Interim (decennales enim inducia petebantur) reparari melius vires Epiroticas, animosq; ad nouam gloriam & vindictam posse. Vincebatur paulatim Scanderbegus, & descendens aliquantum ab arce illius sententia leuiorès aures postulatist hostium præbere videbatur, tamen nunquam adduci potuit ab homine, ut vel menstruas inducias faceret, nisi Sfetigradum, & Belgradum in premium eius rei accepisset. Fita re infecta, Messit cum socijs abijt ex provincia, impetrata tamen pace à Scanderbego, donec ipse retulisset ad regem, quæ ab illo pro inducys fiendis conditiones petebantur. Dimissi sunt & alij plures cum Sanzacho, præter illos 40. quibus Scanderbegus gratis, & magni animi affectu quodam libertatem simul, & patriam concessit. Cæteri quoque soluti vinculis, quidam novos, & Christianos homines induentes, domicilium fixere in Epiro. Cæteri ad varios, & omnes ferè passim Christianorum reges destinati, tum Hispania, tum regi Gallorum præter captiuorum sat magnum numerum, equi & spolia omnis generis missa, atque ad alios identidem alia. Vrbs Roma ferè sicut fama, ita ornamentis eius victoria repleta. Ita statuerat pro virili Scanderbegus totum penè orbem

Conditiones induciarum referendari ad regem.

Spolia omnis generis missa regibus Christianis.

berem eleganti ea liberalitate sibi deuincire. Adiunxit præterea his donis legatos, & frequentes adhortationes ad cõcordiam, ac preces sedulas, ut iam ex diutino somno expergiscerentur, & libertatem tandem Christianam è tot sordibus, ac imperio Turcarum emergere facerent, atq; crescentem sibi in visceribus pestem, paulatim ad cor ipsum subire non paterentur. Dona in Apuliam (ut neq; hoc omittamus) ad suum Alphonsum decreta, speciosi triumpho cuiusdam formam præ se tulere. Amesa etiam Neapolim ductus in carceribus iussu patris in magna custodia habendus, nam neq; de eius redemptione curatum à Tyranno est, neq; si petitus fuisset, Scanderbegus vllò satis auri argentiue pondere hominem erat dimissurus, perpetuis vinculis illi ad perpetuam infamiam, & supplicium decretis & constitutis. Relatum est interea ad Ottomanum de voluntate Scanderbegi, & conditionibus induciarum, qui licet ingentibus undiq; curis premeretur, tum propter recentes Hungaricas iniurias, cum illa re maxime, quod Christianorum conciliabula contra se quotidie fieri agente Romanorum Pontifice audiebat, tamen (ut magni erat animi) rem minime responso dignam ratus, presidium insigne decernit in Epirum ad custodiam provinciam, id quod nuper varijs sententijs actum retulimus. Hamur, & Sinam, duobus peritis militia viris ea res demandata, atque decem equitum, quatuor pedatum millia cuique eorum ad id muneris assignata. Sat idoneus visus est numerus, qui arma Epirotica fatigaret, & nonnihil terroris victori etiam, ac fortissimo hosti adueheret. Tamen æquè prohibitus uterq; moliri quippiam contra hostem, etiam si egregia occasio affulisset, nisi pro finium, & assignati sibi loci tutela. Aestate omni in eis vitro citroq; rebus consumpta. Dimidium ferè autumnus erat, quum ex Constantinopoli his copijs discessum, & fama simul eius rei iter hominum præcedens ad Scanderbegum peruenit, ignarum omnium, quod Sanzachi fidem secutus, expectabat audire de ratione induciarum, quid scilicet de postulatis suis spretum fuisset, quid acceptum. Quamobrem Croia subito relicta, atq; ingenti festinatione peruolatam in Dibras. Collectus ibi exercitus, ac copijs momento temporis renovatis, expectatus auidissime hostis. Qui non diu tardatus, paucis post diebus aduenit, sed decem amplius millibus passuum procul à stationibus Castrioti, fixis signis, nostrorum fines non est ingressus. Epiroensis nihil mouit, sed quum appropinquare audisset, ordinatis, & habitis solum ad signum expectandum legionibus, in castris se continuit. Nam quum ea multitudo hostium aduentare diceretur, credidit in ea loca, & ad se opprimendum facile transgressuros. Sed ubi per custodias montanas, & id spectatorum genus, fixisse sub Alchria tentoria, & omnibus impedimentis ibi collocatis refedisse cognouit, ratus die sequenti refocillatis corporibus castra moturos, & prodituros ad bellum. Per noctem

Amesa iussu patris ad Alphonsum in carcerem sub arca custodia habendus mittitur.

Tentoria sub Alchria.

magno

magno silentio saltus quosdam, & valles vicinas implevit armatis, ut medios occluderet, & improvisos eis exciperet insidijs, si ibi res gesta fuisset, & collata (ut putabat) signa. Mansum in ea inani expectatione duobus



Castriotus  
mouet signa  
in hostem.

Consilium au-  
gendi exerci-  
tus Scander-  
begi.

penè diebus, noctibusq; integris, sed nusquam miles visus, aut tumultus aliquis auditus. Scanderbegus itaq; impatiens mora, die sequente mouere in eos signa, & petere ultro hostem statuit. Quum nunciatum est exercitum in duas partes diuisum, & Hamur cum dimidio copiarum ibi remansisse, Sinam cum reliquis campestris pologi Mocreas versus petiisse, unde aditus in Dibram superiorem atq; Modrissam erat: nam Alchria, quam Hamur obtinuerat, Dibram inferiorem, atq; Sfetigradu oppidum ipsum quoque hostile spectat. Ita summo consilio partiti sunt Dibras, ut perenni custodia hoste utring; sollicitum tenerent, 30. amplius millia passuum inter ea presidia interiacebant, nam à Sfetigrado ad Modrissam totidem computantur. Epirensis itaque collectis extemplo, & reuocatis insidijs, quas hincinde sparserat, ac reductis omnibus in castra, nouum consilium cepit augendi exercitus, ut commode ubique partiri, & prospici ad utrumq; periculum possent. Procurata recte sunt omnia, & mira celeritate ampliata copia, mille quingentis fermè peditibus additis, nam eques non ita facile comparari poterat. Mox & hic miles diuisus, sed non æquis partibus, Tanusius, & unus ex Stresijs nepotibus, atque Peicus Emanuel in Dibram inferiorem cum tertia non amplius militum parte missi ad Synam, impetus, si opus foret, excipiendos: nam minus inde periculi, & difficilior ingressus in fines nostrorum erat propter difficultatem locorum naturali muni-

munimento, & Mocreas valles crebris undiq; montibus determinatas, quæ cum Dibra ipsa superiore censentur, tamen Epiroticum imperium ab hostium agris distinguunt. Sed mandatum Tanusio, socijsq; ne pedem extra assignatos limites efferrent, vel quippiam nisi pro sui suorumq; defensione molirentur. Ipse reliquas copias cum Mose in Dibra superiore retinuit. Idcirco maiore militum, præsertim equitum numero sibi seruato, quod & liberior aditus hosti in prouinciam, atq; patentiora omnia ab ea parte erant. Et laceßere ipse ad certamen viros, atq; fortunam belli experiri statuerat, neq; diu segnes dies noctesue in ea deliberatione consumpsit, præsertim quod hyems iam bellis inimica in procinctu quasi erat, sed pulsus vix ea die tenebris, relictis castris, ipse cum mille amplius equitibus Alchriam petijt, ducto cautissime per saltus quosdam & incommoda locorum milite, ne ab hoste medius inter Sfetigradum & stationes eorum occludi posset. Et quum aliquantum itineris intempesta nocte emensus esset, non multis millibus passuum procul ab oppido, disposito hincinde atq; abscondito in insidijs milite, reuersus est in castra. Ibi nullo interuallo ad quietem dato, quum in ortu diei esset, expediri signa, & copias omnes cum cibarijs tantum eius diei iubet. Nam impedimenta, & tentoria ipsa (ut erecta stabant) inde non mota, sed egregia (ut consueuerat) armatorum manus ad custodiam eorum relictæ. Totum fermè matutinum tempus in ea expeditione, & in ipso itinere abiit, donec deuentum mille paulominus passibus propè loca insidiarum, quum & corporibus consulendum erat, & noua ratio aliqua ordiendi certaminis, atq; euocandi hostis capienda. Illud facile, & pari ab omnibus peritia expeditum. Ad hoc magis erat ingenij, consilijq; adhibendum. Moxi id ultro petenti munus non negatum, & vix cuiquam ex nostris ad laceßendum, & fallendum hostem aptior inueniri eo homine poterat. Sexcentos equites accepit, ne si cum paucioribus isset, procliuior foret hostibus suspicio fraudis. Tamen æquè frustra tentata res, & cõsumpta inani ludificatione magna parte eius diei, reditum ad Scanderbegum. Vix noui consilij quippiam restabat, nam ire vniuersis copijs vsq; ad stationes hostiles, & difficultates locorum, & supereminens vrbs, sub qua castrametatus fuerat Hamur, ingentis certitudine periculi prohibebant. Tamen deductis in colle quodã vicino copijs, ibi expectata nox, & per noctem datum insidijs signum, ut ad socios se reciperent. Mane cum omni exercitu, procurationibus, quo magis fieri potuit, vastatum id agri, quod ab ea parte iacebat, ut id saltem spectaculum rei indignitate moueret hostem, sed modice rei periculosam tutelam eodem tenore aspernatus regius, tenuit se intra stationes. Audio tamen, quum factus finis eius excursionis esset, & vasa iam colligerentur à nostris, nuncium à Barbaro ad Castriotum missum, declarantem voluntatem Tyranni, & dicentem insuper, ne hostem, ne se

Moses aptissimus  
ad fallendos  
hostes.

Nuncius Bar-  
bari ad Castri-  
otum.

ipsum inutiles eo ultionis genere fatigaret, sua se potius quam aliena deua-  
stare, quippe qua ipse indefensa relinquat. Respondisse Epirenses, differri  
fortunam eorum posse, tolli non posse. Decreuisse se omnino ad bellum homi-  
nes pedibus si oporteat trahere, atque ita utrinque discessum. Nam instan-  
tibus iam frigoribus, differri in aliud tempus ea consilia visum est. Quare  
Mose ad custodiam provinciae cum solito robore militum dimisso, et reli-  
quo exercitu ex maiore parte soluto, ipse cum paucis Dibram inferiorem,  
quam Tanusius obtinebat, inuisit. Inde quoque renouatis insidijs aucupa-  
tus hostis, et frustra tentata re, uno ex Stresijs cum modico presidio ibi re-  
lieto, Croiam ipse cum ceteris in hyberna reuersus est. Moses interea in-  
quietam hostibus hyemem fecit, sed magis oculos hominum mouit, quam  
arma. Id quoque tum ipse, tum Modrius presidium saepe frustra ten-  
tatum iussu Scanderbegi omisit, praesertim quod nuncijs actum inuenio a  
regijs ( ut antea fecerant ) orantibus, ne se hostes tam pertinaciter quare-  
re uellent, quos habere nequirent. Sic neque negando satis, neque conce-  
dendo quippiam, res in uernum tempus protrahita. Collecto tum exerci-  
tu Castriotus, ad euocanda perenni ludificatione hostium arma perrexit.  
Illatisque multa audacia signis, quum die quodam percurrere interiora  
agri Alchriensis usque ad ipsa Barbarorum statua uellet, opposito illo-  
rum robore facile prohibitus est, quum in locis etiam ipsis multum ad de-  
fensionem momenti esset. Epirensis licet eo proposito per eam diem frustra-  
tus, non tamen destitutus animo, augere vires, et numerum militum ad  
eam rem exactius tentandam statuit, sed segnius id procuratum, quum  
minimum commodi, laudisque speraretur, et id ipsum non sine periculo a-  
liquo. Illa tantum ratione, ne assueti armis, uelut proprio aliquo opere  
viri ocio marcescerent, cura eius rei non omissa. Dum ea utrinque frigi-  
de ageret Hamur, non utile solum provincialibus, sed laudi quoque sibi  
apud regem fore ratus, si Scanderbegum aliquo modo allecctum abstra-  
xisset ab armis, impetrata per nuncios ab eo colloquij facultate, in Di-  
bram ad illum in tentorijs commorantem venit pulcherrimis donis ad-  
uectis, orsusque a commodis pacis, et his, qua antea egerat, longiore ser-  
mone expugnare hominis ingenium conatus est, non solum priuata cum  
eo amicitia desiderium suum aperiens, sed et publici cum Mahumete  
foederis mentionem insinuans. Accepit dona Castriotus, et liberalita-  
tem viri amplexus, mox alijs muneribus illa nihilo humiliore animo re-  
compensauit. Ad ea uero, qua de foederibus Tyranni narrata fuerant, ue-  
lut ira accensus:

Castriotus re-  
spuit Tyranni  
foedera.

Non ea inquit Mahumetis uel fides, uel officia in nos sunt, ut audi-  
re quippiam de amicitia eius a quis auribus possimus. Accepta est a nobis  
nuper legatio, postulata eius audita, et quibus visum est mihi conditioni-  
bus pro

bus pro honore, et utilitate Epirotici imperij appositis, ad eum remissa.  
Responsum expectauimus ( neque enim quod ad alia attinet ) cogi cuius-  
quam uoluntas potest. Arma interea deposuimus, quousque ea quaesita hinc-  
inde foedera in suspensio starent, sed contempti ita ab illo fuimus, ut neque re-  
sponso saltem, quale hostem oporteret, dignos esse censuerit. Quare quo ad  
publica concordia iura, nihil diutius te referente sumus audituri, tibi, si quid  
in tot communibus odijs polliceri hosti potest, fides a nobis, qualem ipse pro-  
merueris, non est defutura. Tamen quod pertinet ad comescendam lasciu-  
iam militarem, et assuetas provincialium nostrorum incursiones, nihil  
ipse polliceor tibi, uel rei ullius periculum in me suscipio. Neque enim genus  
ullum publici foederis uobiscum, quod semel contemptus contempsi, admit-  
tit animus. Ardor duntaxat ille ultionis tui comitate ingenij ferme re-  
strinctus resedit. Publico odio nihil adimitur, tibi priuata hac necessitudo,  
si quid forte uel temporum, uel fortuna uarietas parauerit, multum est et  
decoris fortasse, et commodi allatura.

Hamur eo responso neque letus, neque maestus omnino, osculata de mo-  
re gentis simul hostis, simul amici manu, discessit. Fidem fere blanditijs et  
Synam pergenti ad eam partem Scanderbegi occurrit, neque difficiliore  
aures uiri postulatis suis inuenit: nam et uulgus ipsum, ac maior pars mi-  
litum nostrorum tam diu quaesitam pacem, et tot hostium uota non asper-  
nati haud egre ascensuri uoluntati illorum uidebantur. Quare paulatim  
traiectis ad ocium animis, et presidia nostra utrinque aliquantum dimi-  
nuta, et quicquid ea aestiua, uel segnia magis transiere. Scanderbegum ad  
ciuilia munera, et reliqua id genus ornamenta provinciae conuersum, Al-  
phonfi regis molestissima mors per eam aetatem nunciata ita rebus singu-  
lis publicis, et priuatis auertit, ac dolore penes confecit, ut recentis victo-  
riae memoria penitus obliterata, ac hostium cura omissa, eam iacturam  
publico maerore ac squalore per multos dies prosequeretur. Et fuit profe-  
cto non indignus Alphonsus, qui nedum Epiri, et sociorum, sed totius  
orbis terrarum longas querelas, atque apertas lachrymas secum ferret. Ma-  
estissimum aequae omne cum eruditorum, tum militarium uirorum genus  
reliquit optimus optimorum omnium Maecenas. Extincta aequae cum eo  
sunt sua literis, sua armis premia, ac studiorum cunctorum ornamenta  
uix longo fortasse postliminio reuersura. Ita nullus ( pace omnium po-  
steritatis praesertim dictum sit ) illo melior uel uirtutis, uel meriti humani  
aestimato multo seculis effulsit. Regiam praeterea comitatem, ac tantum  
in rebus faceret, quantum in grauibus ingenij, et omnium ( ut ita dixe-  
rim ) horarum iudicium uiri quis non appositissimis semper praconijs  
excoluerit? Variante fortuna, et nunc secunda ( ut fit ) nunc aduersa ma-  
xima ubique gloria parta. Adhuc in tanta clementia et liberalitate uix ul-

Colloquium  
Scanderbegi  
cum Hamur  
& Synam.

De morte Al-  
phonfi regis  
Arragenum,  
optimorum  
nium Maeco-  
natis.

Alphonfus se-  
nex moritur.

lus regum eius etatis tantas opes, & adeo locupletes thesauros reliquisse narratur. Debit itaque non iniuria flere Epirensis tam fidum & potentem defunctum amicum, ex quo illi, si vel fortunam inspexisses, vel voluntatem, licebat omnia ad honestatem aequae, ac utilitatem, tanquam ex the-

Ameſa in Epi-  
rum remitti-  
tur.

sauro quopiam peculiari depromere. Illud tantum aliquantisper mœrentis molestiam minuebat, quod senex iam admodum Alphonſus, ereptus sibi non iniquo iure naturæ videbatur. Quod supererat in eare officij & pietatis, summa celeritate, atq; prudentia persolutum. Legati ad Ferdinandum filium novum Regem missi, & patris casum deploraturi, & de novi auspicijs regni de more congratulaturi, ac commemoratione paternorum officiorum, & Epiroticæ amicitia deuincturi, aucturiq; animum adolescentis. Ornauere munera quoq; solita eam legationem, & commissum legatis, ut Ameſam ducerent in Epirum, conantem tamdiu tum propriæ fortune misericordia, auctoritate, & gratia amicorum, patrum sibi reconciliare, qui adhuc in carceribus sub custodia erat: nam licet in ea mutatione rerum, & nouæ Ferdinandi fastigio fortunæ mutata multa essent, & soluta fermè vincula cunctorum in tam publica laticia fuissent, Ameſa tamen ne animus Scanderbegi in eo liberando offenderetur, semper eodem custodia tenore tanquam certum patruo depositum seruari iussus est. Suscepta est, prout potuit magis honorifice legatio nostra, in eo presertim tumultu rerum, quum confusa undique omnia, & nihil adhuc pacati in nouo regno esset, turbata maxime propter mortem Alphonſi pace Italia. Ameſa Croiam ductus, iterum à patruo sub custodia habendus statuitur, sed minus duris car-

ris carceribus. Hoc quoq; ipsum quod supererat seueritatis & odij, paulatim assidua nepotis querela, & mixta precibus lachryma expugnarunt, atque paterno animo Scanderbegus mox vitam homini cum libertate atque dignitate omni donauit. Sed Ameſa non immemor pignoris, quod apud Ottomanum reliquerat, & timens uxori, liberisq;, si ea libertate & clementia patrum vteretur, actis illi maxima veneratione gratijs:

Salutis tu, inquit, nostra rationem, nullo meo merito, sed sola patientia tua habuisti, æquum est me quoque vitam parcere aliorum, ne dum nimio salutis & dignitatis meæ studio liberalitatem amplector tuam, hodie hoc beneficio tuo illos perdam omnino, quos satis olim perfidia mea perdididi. Est infelix atque innoxia uxor apud Mahumetem, sunt paruuli, atque ignari liberi nostri, viuunt tamdiu hi, viuuntq;, donec suum me apud te vincere Tyrannus credet, quum ab alienatum tibi presenti beneficio, & vitæ liberalitatisq; munere sentiet. Discindet protinus, distrahet ferus creditor inane fidei nostra pignus, & dabit innocens sanguis paterni sceleris pœnas. Fallendus est igitur arte aliqua Ottomanus nobis, ut seruem interim id pignus, donec redimere prorsus postea oblata occasione possim. Arripiam fugam ego hac nocte ex Croia, velut fractis, te inuito atque ignaro, carceribus, confugiamq; ad Mahumetem omni simulatione, atque dissimulatione veteris in eum animi, fideiq;, nihil omittere vel in audiendo, vel in dicendo de tuis rebus apud credulum Regem, qua antea meliore nostra apud eum fortuna consueueram, ut adempta illi omni suspitione, si quam propter captiuitatem meam, & diuturniorem apud te moram contraxisset, aufugere denique ab eo cum tota familia possim. Adiuuabis tu quoque multum hanc rem, si grauem molestiam quandam ex ea fuga nostra publice ostendes, atque culpam eius, custodibus carcerum, ( ut solet ) apposita criminatione obijcies. Interea tamen temporis donec apud Tyrannum stabimus in expectanda reditus nostri occasione, exploratoris, spectatoris loco erimus tibi, nihil molietur, nihil apparabit aduersus te hostis scientibus nobis, quod aures, quod iudicium tuum lateat.

Nihil negauit patruus, sed quum vitam, inquit, & reliqua vitam ornantia concefferimus Ameſa tibi, nihil prohibemus, qua utiliore possis eam ratione accipere, atque seruare simul eos, qui te salutis, ac libertatis suæ debitorem non iniuria possunt per omnia secula poscere. Ito, perge, accipe tempus, rationemq;, qua potior videtur tibi, & corrige te ipsum tandem, donec satis & ad emendandum & corrigendum superest temporis. Nos omnia credimus tibi, & probamus hoc consilij genus, neminem falles Ameſa, decipies neminem præter te ipsum, si Barbari fidem & consuetudinem diutius sequeris, quum par ibi discrimen corporis, & anima tua, & tuo-

Sermo Amefæ  
ad Scanderbegum,  
de uxore & liberis.Consilium de  
liberanda uxore  
& liberis.Scanderbeg  
annuit Ameſæ.



MARINI BARLETII SCODRENSIS SACERDOTIS DE VITA ET GESTIS SCANDERBEGI EPIROTARVM PRINCIPIS, Liber Decimus.

rum versetur. *Quandocumq; venies, gratius es nihil factururus, & idem erit apud nos tibi fortuna & dignitatis locus.*

De Aemese profectione ad Otomanum annuente patruo.

*Facta eque omnia ac dicta, pari quoque ferme celeritate eadem nocte Aemese procurante tacite patruo, à carceribus simul & Croia abiit. Mane fuga eius propalata, & castigata multis verbis ignavia custodum, ille ad Tyrannum ea simulatione, atque rumore fuga per latus facile qua proposuerat, & maiora alia persuasit homini. Dignitas tamen pristina ei non fidei suspicione, sed fortuna potius fortasse culpa non usquequaque restituta. De reditu suo in Epirum aut non curauerit, aut fugiendi facultas illi non affulserit, inanis pollicitatio omnis fuit, quin parum post temporis mortuum in Constantinopoli narrant, relicta ibi uxore, liberisq;. Et multi à Mahumete veneno sublato credunt indignitate, eum velut authorem quendam memorabilis illius Aemathia cladis diutius ob oculos versari sibi. Ita unde minime timebat, ultorem perfidia sua inuenit. Et is finis viri fuit non indigni sanè memoratu, si temperatior spiritus ad regnandi libidinem ingentibus animis infereret natura. Scanderbegus per id tempus nusquam turbata Hamur, & Sinam pace, nisi quid inconsulto eo priuati militaris licentia innouasset, nunc Dibras, nunc reliqua prouincia loca inuisens, multa & ad utilitatem, & ornamenta prouincialium construxit, ampliauitq;, in Aemathia praesertim, ubi multa veterum monumenta restauranda iacebant. Non destitit interea Ottomanus per Hamur & Synam tentatam toties frustra rem cum Scanderbego agere, spe concepta reconciliati sibi animi, propter id ocium nostrorum. Tamen nihil unquam exoratum quoad publicum fœdus. Priuata amicitia cum regis seruata.*

Aemese Constantinopoli veneno sublatus.

Pax inter Turcam & Scanderbegum.

*Et sic paulatim allectis eo ocio populorum animis, hostilia utrinque odia resederant, ac prater nomen solum effectus omnis publica pacis vigebat.*

MARINI



*V*M is esset rerum Epiroticarum status, Scanderbegum interim fata ad nouam gloriam, & nouum hostem in Apuliam euocabant. Quae regio Italia iamdiu maximum porro exemplum rerum humanarum, ac inconstantia fortuna documentum, nullius satis imperio tuta, ab externis semper armis, atq; ducibus vexabatur. Venerat eo namq; sub id tempus ex Gallia Johannes dux, Renati Regis filius, cum ingenti exercitu, quod id regnum hereditario quodam ad se iure deuolui poscebat. Recenti itaq; excitato bello, eoq; fortuna fauore usus, breui cuncta ferme armis vendicauerat, quum ius omne penè uniuersum, ac spem omnem imperij Ferdinando Regi turpiter obfesso, e manibus extorsisset. Sed ne in obscuro sit eius belli initium, & ratio tot simultatum, quae & suspensam aliquandiu Italiam, & maximos Christianorum Principes per multos annos sollicitos habuerit, altius est hoc loco exordiendum mihi, & res ab ovo quodammodo repetenda.

Varij rerum motus & successus, diuersiq; bellicum euentus, atq; mutationes status regni Neapolitani.

Iohannes dux Renati filius.

Tempore quo Urbanus sextus Pontifex summus cathedram & sedem beati

Schisma Vrba  
ni sexti & Cle-  
mentis Papa: beati Petri regerat, Johanna quadam huius nominis prima ( ut fertur ) natione Epirotica, patria Dyrrachina, Neapolitanum regnum possidebat. Que Clementis pseudopapa, qui neq. Catholice, neq. rite ad summum Sacerdotium electus fuerat, ex quo schisma in Ecclesia Dei maximum ortum, partes secuta, plurimum ei prestabat fauorem. Quamobrem Urbanus contra eam Carolum Hungaria Regem cum copijs in auxilium accersuit, qui valido exercitu in Italiam traiciens, Johannam regno, vitæque privauit. Quo facta, Carolum firmato Apostolica sibi autoritate, pacatoq. eo regno, in Hungariam mox reuersum, veneno perijisse ferunt. Cui Vladislaus eius filius armis clarus atq. strenuus in regnum successit. Qui postquam in Hungaria atque imperio paterno pedem fixit, in Apulia regnum cum exercitu transuolauit. Quo obtento, diu quiete pacificeq. vixit, atque regnavit. Sed ut est mens hominum vacua atque mutabilis, elatus fortuna afflatu, non contentus eo tantum regno, & statu ( erat enim imperij valde cupidus ) ad altiora mente prouolauit. Proposuerat namque sibi atq. decreuerat, Roma, totiusq. Italia imperium occupare. Ex quo primo Seditio popu-  
li Romani cõ-  
tra Bonifacium  
nonum Pont. populum Romanum ad seditionem contra Bonifacium nonum vrbis Præsulem excitauit. Qui ex vrbe fugatus, Viterbium se recepit, sed tamen non propterea tunc urbem ingredi, nec ea ( ut iam animo conceperat ) potiri valuit, quoniam maior populi pars ei aduersata est. Verum postea tempore Gregorij XII. per Pontificis absentiam maiori vsus populi fauore, facta in urbem impetu, eam occupauit. Mox ulterius progressus, Florentiam subiugare contendens, Florentini, qui in libertate viuere soliti erant, nec seruitutis iugum vllatenus pati volebant, procuratore cuiusdam virginis, & adolescentula, cum qua ipse rex Vladislaus consuetudinem habebat, veneno illum de medio sustulerunt, ex quo seipsos, & Italiam omnem à metu & tyrannide liberarunt. Vladislaus itaque rege, qui & Lancilagus vulgo dictus est, sine liberis vita functo, qui per annos 29. in regno Apulia imperit arat, Johanna soror succedens post mortem eius, regnum obtinuit. Que Principum quorundam consilijs, & adhortationibus amicorum impulsæ, Jacobo Picenno comiti nupsit. Is quum minime ex eius voluntate regni curam ageret, repudiatus ab ea, atque regno est deiectus. Susceptum itaq. regni onus ipsa aliquandiu tenuit, donec Principes idem, & duces regni, utpote quibus iniquum muliebrem imperium, & indignum videbatur sine rege esse, maximo studio orantes petunt, eligeret virum aliquem, quem à Republica censeret, & cuius eos imperij pœnitere non posset, filiumq. sibi adoptaret. Aliorum vota ad Alphonsum Arragonia regem id rei deferebant, ab alijs Ludouicus Andagauensium dux, non minori fauore excipiebatur. Dum hac iactantur, interea & in quasung. sententias trahuntur ea diuersitate animorum, Alphonsus vir summus quidem ingenio,

ingenio, & nominatissimus ea atate Princeps, re præterea cognita ad id maxime edoctus instructusq., prior in Apuliam aduolat, priori enim ( ut aiunt ) potior solet esse conditio, sicq. sine vlllo certamine à regina adoptatur. Veruntamen vergente tempore ( ut est rerum humanarum status inquietus ) simultates primum inter eos oriri cœpta, eò deinceps creuerunt, ut maioribus indies odijs inter se certantes, maximos astus, atque motus excitarent. Alphonsus tamen, utpote quem tum ira iustior, tum maior populi fauor armabant, quum tot indignitates ferre nequisset, obsedit tandem eam in Neapolitana vrbe. Regina cum in eo statu res suas videret, ut appareret victi finem imperij, & summa rerum adesse, legatos repente cum literis in Galliam mittit, ad accersendum Renatum Regem, Ludouici fratrem, ut maximis itineribus cum copijs ad eam obsidionem soluendam properaret, cui etiam adoptionis iure Apulia imperium promittebat. Facto igitur ingenti exercitu & maximis Gallorum copijs, confestim Renatus in Siciliam & Apuliam irrupit, regina facile ab obsidione defensa. Mox ab ea ( Alphonso tamen prius tanquam ingrato è familia deiecto ) adoptatus est, & vniuersi regni hæres institutus. Non multo post temporis, quum Alphonsus & reginam mortuam, & Renatum regno se immiscuisse aduerteret, ingens bellum, quod annorum quatuor spacio deductu est, aduersus eum excitauit, quem tandem eadem variante fortuna vicit, regnoq. exiuit. In quo quum ipse postea per duos & viginti annos vixisset, moriens postremo, Ferdinandum vnicum filium, ( licet non legitimum, neque populo acceptum, regulisq. charum ) & bellicis rebus maxime insignem heredem ex testamento cauit. Quem & Pius Pontifex maximus Apostolica auctoritate in imperio confirmavit. Eo cognito, Johannes Renati filius, & Ludouici regis Francorum consanguineus, tum Andagauensium dux, ingenti mox coacta exercitu, & maximo copiarum numero, Apuliam infestis signis petit. Sequebatur eum pluribus copijs, ac mercenario milite, & Jacobus Piceninus comes, sagacissimi ingenij, & bellicis artibus ea atate factisq. clarus, cui totius exercitus summa commissa erat, vbi cum omnia repente vario tumultu ac metu impleffet, regnum fermè totum breui in fidem suam recepit. Defecerant namque ad eum Tarentinus, Vesignanus, Rusanus, Soranus, Atteus, Salernusq. Princeps. Ad hos Dux Venusinus, Marchio Crotonensis, comes Campi Bassi, ceteriq. ferè omnes Sicilia, atq. Daunia optimates, versis in Regem armis. Ferdinandum autem dux Dandi, cum duce Melsæ, comes Fundi cum Ariano comite, Matalunaq. Item Caraphi, Diamedini nobiles Neapolitani, & alij pauci ferè sunt secuti. Qui quum omnes hinc & inde ad bellum preparati, instructiq. essent, agrum Sarnianum sibi ad pugnam elegerunt. Quo itum, dispositis ex vtraq. parte aciebus, ordinatisq. concursus est,

Alphonsus princeps in Apuliam venit, & à regina adoptatur.

Renatus Gallus adoptatur posthunc.

Alphonsus superat Renatum.

Alphonsus moritur, Ferdinandus succedit.

Bellum Ferdinandum cum Johanne Renati filio.

certamenq; ingens atq; acerrimum commissum, in multam diem processit. Multi utrinq; desiderati sunt. Victoria tandem penes Gallos, ad comitem Jacobum stetit. Ferdinandus verò fugatus, amissis castris, ac impedimentis, cum paucis admodum Neapolim aufugit. Quod quum Pius secundus Romana tunc libertatis, & Christiana fidei custos cognouisset, veritus, ne si Galli Apulia regnum occupassent, victoria elati (ut sui moris est) libertatem Italia adimerent, una cum Francisco Sforcia Mediolani duce, Federicum Vrbinate, & Alexandrum Sforciam cum maximis copijs in Regis auxilium mittendos expediunt. Qui quum Abrutium intrassent, comes Iacobus cum Gallico exercitu eis fortiter occurrit, quo in loco prope ciuitatem qua dicitur sancti Fabiani, bellum maximum, & certamen atrox initum est, in quo Galli prostratis hostibus, praeclaram victoriam (licet non incruentam) consecuti sunt. Quo audito Ferdinandus rex, qui Neapoli commorabatur, timens ne Galli ibidem eum obsidione premerent, Regiam in urbis tutelam dimisit. Ipse verò cum Gallicis pariter, & domesticis armis resistere non posset, regno ferme vniuerso amisso, in oppidum Baretis cum paucis ferè copijs aufugit. Sed Piceninus audita Regis fuga, relicto in Abrutio valido praesidio, ne inde nouus hostis erumperet, ipse cum copijs eum secutus ad Baretim oppidum, quo Ferdinandus erat, aduolauit. Interim verò Pius Pontifex, una cum Sfortia Mediolani duce, coacto nouo exercitu, quem in Regis Ferdinandi auxilium miserunt, sed vijs ab hoste praclusis, & occupatis itineribus minime pertransire potuerunt. Nator tum Pium cura incesit, quare externa aliqua virtute, & claro duce opus esse ratus (id quod maximum in ea re videbatur) Scanderbegum Epirotarum, Macedonumq; Principem, tunc multi nominis, & unicum Romana sedis cultorem, patris praeterea olim consuetudine, nec ipsi Ferdinando ignotum, acciri in Apuliam cum exercitu suo omnes sententia decernunt. Tantum momenti in vno viro erat. Nam à parte maritima veniens prohiberi non poterat ab hoste, sed quum opus foret copijs ex Italia venientibus iter reseraret. Non possum proinde non mirari hoc in loco (verum ingenuè fatebor) atq; iniquo animo ferre, eam scriptorum in claros viros ingratitudinem, qui quum bellum hoc passim tanto studio exoluerint, de Scanderbego, ne verbum quidem additum inueniam, tanquam non maxima ipse fuerit belli huius appendix, & unicus (ut ita dixerim) regni eius assertor, & liberator, ac regia libertatis vindex. Quem Rex ipse Ferdinandus quoad vixit, & patrem deinceps salutauit, & ei ob merita, ingentiaq; premia virtutis, urbem Trani cum duobus haud ignobilibus Apulorum oppidis aequè grato ac liberali animo dono dedit. Quippe postea semper ex quo infelici fato, cum paterno eorum imperio res ceciderunt Albana Scanderbegi posteris tenuère, & hodie licet ex ali-

Certamen inter Italos & Gallos. Victoria Galorum. Fuga regis ex Neapoli.

Ingratitudo quorundam scriptorum in claros viros.

Ferdinandi gratitudo in Scanderbegum.

qua

qua parte intueri. Interim verò Oratores Pij Pontificis, Sforcia, ac Ferdinandi Regis, cum literis ad Scanderbegum applicuerunt. Quem exhortabantur, rogabantq;, ut cum exercitu & copijs ad ipsum Regem Ferdinandum amicum suum liberandum, tutandumq;, traicere properaret. Quod quum Scanderbegus accepisset, ut erat sacrosancta Apostolica sedis studio-

Legati Pontificis ad Scanderbegum.



siſſimus, non immemor praeterea amicitia Alphonsi regis, cui summa fuerat beneuolentia deuinctus, perbenigne hoc munus, negociumq; consociendum suscepit. Ignotus florido milite, robustoq; exercitu confestim in Dauriam traiciens se contulit. Verum priusquam è regno discederet, quam cautè, quam callidè & celeriter potuit, cum Mabumete Turcarum Principe composuit, & annuas cum eo inducias fecit. Reliqua verò omnia imperij sui (ut oportebat) disposuit atq; firmavit. Cuius regimen & tutelam uxori, ac quibusdam proceribus amicisq; commisit. Quo facto, Goticum ex sorore nepotem, virum armis factisq; clarum, atq; strenuum cum quingentis electis equitibus in Siciliam, qua est circa Pharam, praemisit, ut prius inde hostem infestaret. Dehinc ipse post crebras supplicationes, & orationes pro victoria, sua, suorumq; incolumitate ad Deum peractas, exercitum suum praemisit, partim in portum Dyrrhachinum, partim in Achrolyssum, seu Mediam, & in sinum Rizicum ad naues & triremes, quas Pius Pontifex cum Sforcia duce ex Italia in Apuliam traiciendum miserant. Reliquum verò copiarum in Ascruium, indeq; Ragusium secum ad naues deduxit. Sed antequam ulterius procedam, parumper hinc à proposito digredi constitui, & urbem Ragusinam quoquo modo possum,

x 3 descri-

Descriptio vr-  
bis Ragusinae.

describere enitar. Est enim Ragusium hac tempestate, quod alio nomine Epidaurum vocitant, vrbs (ut quibusdā placet) in Liburnia ad mare posita, quae naualia ipsa, & portū satis accommodatum habet, in cuius defensione turris munita constructa est, eius ambitus ultra mille passuum excurrit. Arcem inexpugnabilem habet montibus hincinde cinctam, opere, arte & manu egregie munitam, templis referta est vrbs, adificijsq; ornata magnificis, fontes ingentes ac perennes in ea per fistulas & aquarum ductus continue scaturiunt. Quae quidem ciuitas optimatum moderatione, ac civili regimine vititur. Fundatores eius Epidaurēses primos fuisse perhibent. Agrum verò non amplum, sed montuosum, saxosumq; cum duobus oppidulis possidet. Ragusinus populus, & ciues, cum omni gente pacem & commercium habent. Tributa Hungaris Turcisq; soluunt. Principem sexto quoq; mense sibi deligunt, quem lingua peculiari Chenesium vocant. Mercimonia tam terra, quam mari undique suis nauigijs conuehant, ceterosq; Dalmatiae, & Liburnia populos opibus, & reliquis bonis, atque virtutibus facile superant. Qui etiam quum liberi sint legibus, moribusq; instructi, Venetorum more Senatū, & Magistratus, ac Patritiorum ordinem habent à plebe distinctum. Patritij soli Rempublicam ipsam administrant. Plebs autem suis rebus studet, & de Rebus publicis minime curiosa est. Sed iam ad propositum redeo. Quum enim Scanderbegus Ragusium peruenisset, populus frequens omni ad hoc effusa ciuitate, summo cum plausu & leticia ei obviam processit. Qui in urbem ab illis deductus honorifice, liberaliterq; acceptus est. Postridie post solennia, & diuina de more peracta, vniuersam urbem circuiuit, alio vero die ad naualia armamentaria, arcem, omniaq; vrbs munimenta visenda perrexit. Quartus verò dies in varijs diuersisq; ludorum, ac spectaculorum generibus consumptus est. Sequenti verò in Senatū deductus, donatusq; pluribus, ac diuersis muneribus, & in concione publice laudatus est. nam David quidam Ragusinorum scriba, sic, ut ferunt, laudibus Scanderbegum prosequutus est: Nescio quod hodie, Scanderbege Princeps illustris, vrbi nostrae, & populo Ragusino clarior, fulgentiusq; sydus, irradiantiorq; stella, praesentius numen, propiciusq; tuo benignissimo aspectu, tuaq; praesentia exoriri, apparereq; potuerit. Vere hodierna die, qua urbem nostram inuectus es, omnia nobis clara, omnia lucida, omnia lata atque prospera euenere. Caelum iam obscuratum, obnubilatumq; serenum, lucidum, atque perspicuum tuo conspectu factum, redditumq; est. Terra quoque ipsa te ingrediente, gaudere, letari, atque iubilare visa est. Ciues omnes, cunctusq; populus te tanquam Deum, & numen quoddam caeleste conspiceret, atque intueri visi sunt, letata nobis undique iucunda atq; festiua omnia perstreperet, personareq; audita sunt. Verè nos, urbemq; nostram, lares atq; penetralia, veluti solis splen-

Mores & ciuili-  
tia Ragusino-  
rum.

Patritij more  
Venetorum.

David, Ragusino-  
rum scriba,  
laudator  
Scanderbegi.

splendidissimus radius illustrasti, illuminastiq;. Nam ut primum littoribus nostris te applicuisse nunciatum, omnes ciues, senes, iuuenes, virgines, mulieres, adolescentes, pueri, sani, languidi, & infirmi, ad te videndum, tuoq; conspectu, & praesentia perfruendum, certatim conglobatimq; accurrerunt, nomenq; tuum, Princeps Serenissime, non tantum hic, & in Epiro, verum etiam per vniuersam Italiam, concupitum, exoptatumq; est.



Quid plura? Te Deus optimus maximusq;, rerum omnium creator & moderator in terris misisse creditur, ut non solum in Epirum, & Macedoniam patriam illam tuam, magnorum Regum, atque Principum inuictissimorum sedem & altricem, verum etiam Dauniam, Italiamq; omnium virtutum, & bonarum artium Reginam atq; inuentricem, decorares illustraresq;, protegeres atq; defenderes. Ecce iam nomen tuum, Princeps inuictissime, ubique euolat. Ecce te omnes in auxilium & defensionem inuocant, te assertorem, protectorem, & liberatorem appellant. Ecce reges & principes orbis terrae in sui tutelam & subsidium te implorant. Ecce nunc Pius ille Dei vicarius, ac totius orbis caput & princeps, cum Sfortia Mediolanensium Duce, & Ferdinando Siciliae & Apuliae Rege, oratores suos ad te mittunt, ut in eorum auxilium, & Italiae liberationem, acceleres atque festines. O felix patria, quae te talem & tantum virum produxit. O felices parentes, qui te genuere. O felices proceres, & commilitones, qui te ducem, te rectorem, principem, & Imperatorem sequuntur, qui tanto Re-

ge gath-

ge gaudent, utuntur, fruunturq. Ibis o' Rex tremide & inuicte in Apuliam. Ibis o' lux & decus Albana in Italiam, liberabis eam, vinces hostem. Vicisti iam Amurathem illum Turcarum regem potentissimum, qui toties Hungaricam ferocitatem & potentiam profligauit: vicisti Achumetem eius filium, qui tot reges, tot duces & principes, tam sua secta quam Christiana fidei superauit. Qui tot regna & imperia subegit, qui toti orbi timor fuit, capisti, obtruncasti, profligasti tot eorum duces, tot principes, & Imperatores. Tu enim solus Turcarum timor, tu solus Turcas vincere nosti. Ibis felix inuictissime princeps, felicior redibis. Non sic Alexander tuus Epirotas, non Pyrrhus ille Epirotarum rex, fulmen, belliq. artifex victores ex Italia rediere, quemadmodum tu potens, & generose rex, victor felixq. in patriam redibis. Ecce populus, & ciues tui Ragusini tibi aram constituunt, ecce te tanquam Deum, & numen colunt, veneranturq. Ecce pro te, ut victor & incolumis redeas, preces iugiter ad Deum effundere parati. Ecce tibi urbem, familiam, liberos, quicquid habent, possident, seq. totum deniq. in mancipium dedunt atq. tradunt.

Paulus Angelus Dyrrachinus Archiepiscopus.

Postquam vero Scanderbegus a ciuibus & populo Ragusino, publice laudatus, tam diu cum eis, & apud eos est commoratus, quam diu uniuersa classis & exercitus ibidem conueniret, quo cum venisset, varij ac diuersi ludij & certamina peracta, atq. celebrata sunt. Postea vero Paulus Angelus Dyrrachinus Archiepiscopus, qui omnium laborum, periculorum, atq. consiliorum socius, atq. particeps (velut Enea alius Achates) Scanderbegi fuit, ad ciues & populum Ragusinum gratias exoluens, in hunc modum est elocutus:

Oratio Pauli Angelus Dyrrachini Archiepiscopi ad ciues & populum Ragusinum.

Ragusinavrbis Epidaurum dicta.

Credo equidem Patres conscripti, ciues optimi atq. praestantissimi, nullo humano ingenio, sed diuino potius, urbem hanc, & moenia fundata fuisse, ut unicuiq. mortalium in summa essent admiratione. Quis enim unquam tam eleganti fretum se putarit ingenio? Quis ea doctrina copia? Quis tanta eloquentia, vel arte politus, vel natura peditus? ut eius laudes, non explicare, sed concipere tantum, aut valeat, aut audeat? Ragusina enim urbs, quae alio quoq. digniori nomine Epidaurum dicta est, quasi ciuitas supra omne aurum, immo omni auro dignior excellentiorq., vere, recteq. Epidaurum appellatum: nam quae urbs nostra aetate, quae ciuitas huic comparari potest? Ea enim cunctis opibus, ac diuitijs plena refertaq.: haec optimis moribus, & virtutibus ac disciplinis praedita. In ea Senatus amplissimus, Respublica florentissima, patres conscripti, & senatores, maiestate quadam augusta, & venerabili, qui cum omnibus gentibus & populis amicitiam, pacem, atque concordiam perpetuo seruare nouerunt. Quid enim per Deum immortalis urbibus pace melius, iucundiusue? Praeterea hic artes omnes liberales, Philosophia, Theologia, Leges, caeteraq. artes, & disciplina

plina vigent. Sed quid potissimum de nauis factiua, de mercatura (pace enim caterarum urbium & ciuitatum dixerim) cum quibus urbs vestra non contendere tantummodo, sed illas etiam longe superare potest. Nam quae maria Ragusini mercatores non nauigant, quas terras non permeant, quae loca tam abdita atq. remotissima, ad quae non accedant atq. penetrent? Quid igitur urbe Ragusina nobilior? Quid clarior atq. praestantior? quae nulli subdita, neq. obnoxia, legibus suis uiuit, moderaturq. Hinc mare, inde terram habet, agro satis feraci, & bene culto atque ameno fruitur, insulas, scopulos, in quibus omnis amenitas atque cultura reperitur. Oppida munita cum salinis, portu satis tuto accommodatoq. utitur. Sed quid de pietate & misericordia vestra in naufragos, profugos, exules, pauperes, ac mercatores dicam? Quid plura de urbe Ragusina, nisi id quod de Roma iam olim dici consueuerat, Asylum esse mortalium & patriam, pariq. modo nunc de urbe Ragusina dicendum. Eam esse portum tutissimum, confugium, & receptaculum omnium mercatorum, diuitem ac pauperum, scholam & magistram omnium virtutum, exemplar, & lumen bonorum morum, decus & ornamentum totius Dalmatis, Illyrici, Adriatici, Aegeiq. maris. Ideo dicendum Ragusinum, siue Epidaurum, ab Epidaurensibus, diuino quidem nutu hoc in loco positum atque fundatum esse. Neq. forte quis vanus esset vates, si hanc urbem vestram inter ceteras maximas urbes orbis terra, altius caput aliquando elaturam prediceret, & cum his de imperio, armis, viribus, potentia, virtuteq. certaturam. Sed quid de liberalitate vestra Patres conscripti, de magnificentia & humanitate dicam? Quis enim unquam mortalium ciues egregij, & praestantissimi, tot & tanta praeciosa opera, totq. beneficia vestra in nos, dignis satis extollere laudibus possit? De quibus mihi tacendum satius puto, quam pauca dicere, vel ea frigidè laudare. Quia quanto plura de his proferre, eo maiora mihi proferenda essent, crederem equidem mihi potius diem quam materiam defuturum. Veruntamen ne omnino ingratus videar, pro vestra in nos munificentia, ac liberalitate, ut cunq. & quascunq. valeam, possimue, pro inopia, ac ingenij mei imbecillitate gratias agam, referre enim minime possum. Itaq. in primis tua serenitati, Princeps illustri, tuoq. sublimi consilio, benignissimoq. Senatui, atque Reipublicae infinitas ac immortales ago gratias. Deinde vobis ciues egregij atque praestantissimi huius almae atque magnificae urbis: postremo vobis omnibus cuiuscunq. generis gradus, & conditionis, quibus polliceor, Deum testor, fidemq. meam obstringo, quod ob vestra in nos beneficia collata, vosq. nomenq. vestrum, urbisq. semper, & quoad vixerimus, & nomen Epiroticum durabit, animis, mentibus, & cordibus nostris, osibusq. mendullitus fixa inharebunt, & in archiuo, vniuoq. lapide sculpta atque incisa, semper apud nos permanebunt. Quae nullus unquam casus tollet, aut aliqua

Ragusinum altera Roma.

Ehdus in Ra-  
guſio.

at as delebit, nosque filijs, ac nepotibus nostris, ijque filijs ac nepotibus suis ea referent atque pradicabunt, Quamobrem in praesentiarum Deum summum optimumque, qui omnium benefactorum ac honorum operum retributor optimus est, exoramus, obsecramusque, ut ipse vobis pro tot ac tantis vestris in nos beneficijs condigna merita, et aeterna premia retribuatur atque condonet. Vos, regnum, imperium vestrum, urbem, Senatum, Rempublicam, liberos, opes, familiam, nomen vestrum, perpetuo conseruet, corroboret, consolidet atque confirmet. His à Dyrrachino praesule dictis, milites Albani, quod diei superfuit, in hastiludijs, alijsque varijs ac diuersis certaminibus et spectaculis ad finem perduxerunt, iussu mox, ut omnia, quae ad navigationem opus erant, expedirentur. Jamque satis omnibus instructis, preparatisque, et re iam non ultra recipiente cunctationem, in animo sibi esse Ragusium, classe undique traducta, eodemque omnibus peditum equitumque copijs contractis, quae prima dies cursum nauibus daret, Deo bene iuuante in Apuliam traiecere. Igitur circum oram maritimam, Castriontus misit, ut naues et triremes, quae ex Italia ad comportandum exercitum eius venerant, Ragusium omnes contraherentur, quicquid praeterea militum nauiumque suarum in Epiri Macedoniaque littore erant, ibidem conuenirent, ut nec urbs multitudinem hominum, nec portus naues capere posset. Tantusque omnibus ardor inerat, in Apuliam traiciendi, ut non ad bellum duci viderentur, sed ad certam victoriae praemia. Ex Epiro autem et Macedonia milites undique acciuerat omnes. Quantum verò militum in Dauniam transportatum sit, diuersa sunt opiniones: aliqui quinq; milia peditum, duo milia et ducenti equites: alij duo milia peditum, tria milia et quingenti equites in naues imposita: quidam non adiecere numerum, inter quos me ipsum in re dubia poni malui. Tantamque multitudinem conscendisse naues aiunt, ut nemo mortalium in Epiro, Macedonia, et Illyrico relinqui videretur. Milites ut in naues ordine ac sine tumultu conscenderent, Scanderbegus eam sibi curam sumpsit, commeatus imponendi, Guiriz et Vladieni curam dat. Quinq; et decem dierum cibaria, et quibus quinque dierum cocta imposita, ut omnes iam in nauibus erant scaphas circum misit, ut ex omnibus nauibus gubernatores, et magistri nauium, et bini milites in forum conuenirent ad imperia capienda. Postquam conuenere, primum ab ijs quaesuit, si aquam hominibus, iumentisque necessariam, in totidem dies, quod frumentum imposuissent. Vbi responsum est, aquam dierum quindecim in nauibus esse, edixit militibus, ut silentium quieti, nautis sine certamine ad ministeria exequenda bene obedientes praestarent. Cum quinque rostratis se ac Cinum Musachium à dextro cornu, ab leuo totidem rostratas, et Andream Zachariam, cum Mose (tum is Imperator erat) onerarijs futurum praesidium. Lumina in nauibus singula, rostrata

De militibus  
in Dauniam  
transportatis.

bina

bina oneraria haberent. In praetoria naui insigne nocturnum trium luminum fore. Iis aditis imperijs redire ad naues iussi, et postero die Deo bene iuuante signo dato, soluere naues. Multa classes è Rizicho sinu, Dyrrachi-



no portu Aulona ac toto Epiri, Illyricique tractu profecta erant. Cetera pleraque pradam tantummodo ierant. Vbi verò illuxit, Scanderbegus è praetoria nauē, silentio per praconem facto: Domine Iesu Christe, inquit, fili Dei viui, qui ad dexteram summi Patris omnipotentis in gloria aeterna sedes, qui ex nihilo cuncta à principio creasti, eaque nutu, et imperio tuo, reguntur, et moderantur, qui ab aeterno tuam sanctissimam fidem Christianam praelegisti, tuoque preciosissimo, ac sanctorum martyrum, Apostolorumque tuorum sanguine, eam miro ordine fundasti, et per uniuersum terrarum orbem, dilatasti, ampliasti, cui Petrum beatissimum et sanctissimum vicarium tuum, principemque Apostolorum, eiusque successores constituisti, quibus omnium potestatem ligandi et soluendi, tam in caelo, quam in terra, tribuisti, donasti: quorum monitis et mandatis mortalibus omnibus, Christianis praecipue tuis, et praelectis mandasti, iussisti, ut obedire, et fidem tuam catholicam, et Ecclesiam Romanam totis viribus, et ad sanguinem usque tutari atque defendere deberent. Eorundemque iussibus atque praecipis, ego simplex et humilis tanquam indignus de eorum grege, hanc expeditionem et prouinciam humeris meis libenti animo suscepi, ut Ecclesiam tuam sanctissimam, urbem Romanam, fidem catholicam, et Italiam ab impugnantibus et hostibus, te duce, te rectore, protegerem, atque pro viribus defende-

Deprecatio  
Scanderbegi  
ad Deū an-  
tequam fo-  
ueret.

y 2 rem,

rem liberaremque. Itaque Pater omnipotens et misericors, colende, tremende, inuoco, deprecorque, ut ceptis meis annuas, et dexteram, brachiumque tuum mihi porrigas, et emittere digneris Michaelē Archangelum, sanctissimum bonorum nuncium atque ministrum tuum, qui sit mihi propicius, mecumque die noctuque cohabitet, (est enim mihi venerandus) vires, robur, fortitudinem suggerat, suppetet, atque ministret, quo faustum felixque mihi sit iter atque navigatio ista, et sospes incolumisque in Apuliam cum uniuerso exercitu me traiciam, fugatisque hostibus, atque profligatis perduellibus, compos voti mei saluus, incolumisque in patriam, et ad lares meos victor, spolijs decoratus, prada onustus triumphans reuertar. Post hanc deprecationem factam, mox Archiepiscopus rem diuinam fecit, et celebrata missa, tuba signum dedit proficiscendi, vento secundo satis uehementi profecti, celeriter est conspectu terra ablatis sunt. Sed haud multo post orta nebula eos contexit, operuitque, ita ut vix concursus nauium inter se uiderent, cum qua tamē hoc modo ad noctem usque sequentem nauigauerunt. Iam insulam augustā cernebant, gubernator Scanderbego ait, si iubeat eō dirigi: uidebat enim vim uentorum oriri, continueque addi, et mare in maximā tempestatem concitari. Cui cum Scanderbego annuisset (erat enim autūno tempore) classis omnis portum intrauit. Quo iactis firmatisque anchoris, interuallo octo dierum ibidem commorati sunt, ob ingentē procellam, vim uentorum, et maris tempestatē: qua sedata, vento secundo flante, post rem diuinā peractam (erat autē sub matutino tempore) sole iam orto, et leuatis anchoris, naues omnes ē portu soluerunt, qua per totam illam diem cum nocte sequenti nauigauerunt. Vbi uerō illuxit, omnia littora Apulia apparuerunt. Scanderbego, qua esset proxima terra percunctatus, cum montē Sancti Angeli is uocari audisset: Placet, inquit, huc dirigite naues. Est enim mihi Archangelus Michael semper venerandus, qui, ut in conspectu terra fuit, precatus Deum, uti bono suo, sociorumque Apuliā uiderit, dare uela iussit, classisque decurrit, breui temporis spacio terra applicuit, ubi postea ipse cum Archiepiscopo, et quibusdam militibus ē naui desiliens, speculatores pramissit, ut sicubi hostes uiderent illi renunciarent, qui ad eum reuersi, nō procul abesse nunciauerunt. Scanderbego interim sumpto cibo, refocillatisque corporibus, cum suis ad naues rediit, et Baretim oppidum uersus, nauibus cursum dirigere iussit, qua dum secundo uento nauigant, Baretis oppidum intrarunt, copia omnes in terram exposita sunt. Verum quum dux Johannes una cum comite Iacobo, uidissent Scanderbegum tam ingenti instructoque exercitu, in regis Ferdinandi auxilium uenisse, obsidionem deseruerunt, et cum copijs suis ad 30. ferē millia passuum procul inde secedentes, castrametati sunt. Interea Ferdinandus uidens se ab obsidione liberatum, et hostem iam discessisse, pra gaudio urbem egressus, Scanderbego obuiam processit. Qui ambo

Baretis oppidum.

Ferdinandus Scanderbego obuiam processit.

in mu-

in mutua oscula conuenientes, inuicem amplexi (manantibus utrinque lacrimis) ingenti omnium plausu et laticia Baretim ingressi sunt. Vidisses tunc commotam effusamque uniuersam ferē urbem. Castris obuiam ire, ciues omnes festiuos, et alacres permixtim, certatimque, cuiuscunque sexus et aetatis in forum, et ad pratorium concurrere, nihil aliud per urbem sentiri, nihil per uicos, et plateas diu noctuque audiri, nisi uoces exclamantium, et de aduentu Albani Principis iubilantium. Hinc oppidanos urbem egredi, et naues adire. Inde Albanos, urbem, et mœnia petere, per agros et uicos discurrere, diuersa peragere, nonnulli equos sternebant, preparabantque alij frena, quidam arma, aliqui tela, unusquisque officium suum exercebat. Nemo ociosus aut iners, quilibet aliquid operabatur, et omnes ad bellum se accingebant, ac si eo tempore pugnaturo cum hoste forent. Mane autē factō, Epirensis pradam cum quibusdam copijs suis agrum eorum, qui ad hostes defecerant, proficiscitur, et magna conuecta prada in Baretim reuertitur, quam omnem inter milites suos et oppidanos diuidendam concessit. Sub serum uero diei, omnes milites suos in concionem uocat, quos ad pugnam sic accendit, sic pro uictoria exhortatur.

Memini me aliquando, uiri fortissimi, et commilitones mei strenuissimi, audiuisse, Bellizarium illum ducem, et Imperatorem Bizantiorum, cum in Belgas siue Anglicos expeditionem ageret, et magna classe ad-

Exhortatio Epirensis ad suos pro uictoria.



uersus eos proficisceretur (quos etiam obtinuit) ut primum copias suas in terram exposuisset, naues omnes incendio combussisse, arsisseque, ne forte milites sui spe et commoditate earum detenti, animum recundi in patriam

y 3 habet

habere, & pro victoria consequenda totis viribus, & ad sanguinem usque minime pugnaturi, victi non victores essent, quod quidem milites mei amantiissimi haud absimile valde nobis ab his hoc tempore contigisse clara luce intueor. Nos vero procul à domo, à patria, trans mare, in hostili terra, inter omnia inimica, infestaque solo alieno, omni spe ac commoditate ad propria redeundi destitutos penitus esse, in eoque loco res nostras sitas ut maneamus, an redeamus hinc, deliberare minime possumus, cum praeter equos, arma & animos, armorum memores, nihil nobis relictum sit. Quinimo salus vita nobis adempta est, nisi de hoste praclaram insignemque victoriam reportemus. Sed bono quidem simus animo milites, cum diuino nos nutu, ac voluntate huc omnes conuenisse videam, quo Christi patrimonium, domumque eius, Ecclesiam, ac sedem suam tueamur, atque protegamus, qui de caelo nobis victoriam facilem & expeditam mittet. In cuius nomine & virtute pugnaturi cum hoste, illum profligabimus, victoresque in patriam reduces, & incolumes triumphando redibimus. Cuius rei (haud dubium est mihi) cum vestram primum solitam virtutem, fortitudinemque in memoriam reuoco, cum tot victorias à vobis partas, tot de hostibus clades & strages aditas ante oculos propono. Ideo fretus viribus, virtuteque vestra, humeris meis hanc expeditionem libenter suscepi, utpote qui alios longe maximos validissimosque exercitus, & copias fundere atque prosternere vestra virtute consueui, quo magis milites mei fortissimi strenuissimique, has paruas copias, hunc debilem exercitum & hostem in fugam conuertetis, atque profligabitis, qui (ut vidistis) ad nomen solum nostrum priusquam nos viderit (ut ita dixerim) manusque nobiscum conseruerit, fugam arripuit, & obsidionem deseruit. Reliquum est igitur milites, ut ipsum timidum, & iam fugientem insequamur. Sed aduertite quaso, quod si forte hostis iste, timidus atque imbecillus, nos expectare velit, manusque nobiscum conserere, (quod non credo) velim ei in primis illudamus, & leuibus excursionibus, assiduifque hincinde praelijs, atque crebris infestationibus ludificemus, illumque festum omnino reddamus. Quo facto, tunc aut internecioni (si placuerit) dabimus, aut viuum facile capiemus. Est enim is graui armatura, grauique onere, & sarcina praepeditus, atque armatus, equos habet cataphractos, qui nec nos ad persequendum sunt habiles, nec ipsi ad fugiendum sunt apti. At vero nos omnes (ut cernitis) tum armis expeditissimi sumus, tum equos citissimos velocissimosque, & ad omnia promptissimos habemus. Proinde commilitones mei amantiissimi, strenuissimique, quilibet vestrum se accingat, arma, tela, equos, cateraque ad pugnam necessaria praeparet, quia Deo duce, crastina die in hostem egrediemur. His dictis, Albani milites, qui iam votis omnibus pugnam expetebant, magis atque magis accensi, mane prima luce, audita prius re diuina, dato signo tuba omnes instructi, paratique cum

Aquilis

Pugna Scanderbegi cum Picinino & Gallis, eiusque victoria.

Aquilis & signis suis in campum aduersus hostem prodire. Cum quo non totis copijs, non acie instructa, non seruato bellandi ordine concursum est, sed perleue admodum certamen tentatum. Placuit enim Albano Principi eo die praelibare tantummodo pugnam, ut qualis pugnator hostis foret, quantumque armis valeret, se ostenderet. Qua certe pugna & certamine ex Gallico exercitu 30. caesi, 20. capti sunt: ex Albanis vero & Epiroticis militibus nullus captus, vulnerati 4. qui omnes lati admodum & acres è praelio redeuntés victores, festiuoque Baretim ingressi sunt. Altera autem die Scanderbegus cum rege Ferdinando conuocatis ducibus, & castrorum praefectis, tam Italici, quam Albanis, consilium inierunt, quid agendum, an tota acie cum Gallis pugnandum, aut in Abrutium eundem esse ad vias, claustra, & itinera copijs Pij, & Sfortia referenda aperiendaque, quae in subsidium Regis (ut iam superius diximus) missa fuerant. Tandem haec vicit sententia, in Abrutium proficiscendum, ut contractis omnibus in unum copijs, tota acie cum Gallis dimicaretur. Postquam vero omnibus suffragijs decretum est, ut in Abrutium ad sociorum subsidium recipiendum iretur, edictum omnibus militibus, tam regijs, quam Albanis, ut se accingerent, prepararentque, commeatumque quinq. dierum coctum secum deferrent. Quo facto, relicto in vrbe praesidio, omnis exercitus cum Rege & Scanderbego egressus est. Qui quum in conspectu Gallorum praeterisset, in Abrutium recta progreditur, nec ab hoste motus aliquis factus. Sunt qui dicant, regios nocturno tempore tacitos clam abiisse. Quo postquam itum est, aggressis undique hostibus, qui aditum custodiebant, ex improviso, & praeter spem, à tergo, à fronte, & ex omni latere profligatis, caesisque pro maiori parte, atque captis, aditus, & itinera socijs praesidioque, cui Federicus Vrbinas dux, & Alexander Sfortia praerant, reserata, apertaque sunt, ex quibus omnibus postquam unus exercitus conflat, atque in unum redactus est, prope Vrbaram Apuliae oppidum, quod in regis potestate erat, castrametati sunt. Quo ex loco Albanus Princeps relicto rege cum Italico exercitu suis tantummodo copijs Baretim petijt, veritus forte, ne comes Jacobus (ut erat callidus & sagax) quoquo modo eam urbem ad deditonem sollicitaret, vel eò accedens, armis expugnaret. Vbi cum omnia ex arbitrio suo se habere comperisset, compositis rebus inde abscisit, & cum comite Jacobo, duceque Johanne suis copijs tota acie configere, atque pugnare decreuit. Quos cum ad pugnam prouocasset, illi certamen non detrectarent, hincinde instructis copijs in campum progrediuntur. Scanderbegus exercitum suum in tres diuiserat partes, quarum uni Mosen à Dibris praefecerat, alteri Ciurizam ex sorore nepotem, virum strenuum probumque, tertiam vero, qua cum comite Jacobo concurrere volebat, sibi retinuerat. His itaque sic ordinatis, praemis de more aquilis, & signis suis,

Vrbara Apud oppidum.

Scanderbegi exercitus in tres partes diuisus.



fuis, dato sonitu tuba, pugnam cum hostibus acerrimam iniit, quos ex tribus partibus aggressus, per totam ferè diem cum his pugnavit. Caterum uti iam constituerat, cum assiduis pralijs, & crebris certaminibus hincinde hostem saepe sapiusq; infestans, iam iam fessum, debilemq; reddidisset, id quod sperauerat facile subsequutum est, nam in eo pralio ex hostibus multi



interfecti, captiq; viui fuerunt. Ex Albanis autem & Epiroticis pauci admodum caesi, plures vulnerati, nullus ferè captus. Verum cum Picennus, qui rem bellicam callebat, aduertisset, Scanderbegum cum Albano milite bello armisq; superiore esse (ut erat callidi ingenij) excogitavit, si Scanderbegum convenire & alloqui posset, forte cum eo acturum facturumq;, ut ab armis desisteret, pugnamq; dirimeret. Igitur ipse aciem egressus ante alios, Castriotum clara voce proprio nomine appellavit, invitans, rogansq; eum, ut secum colloqueretur. Cuius sermonem colloquiumque Scanderbegus (ut erat mitissimi ingenij, animiq; intrepidi) ut hominem agnovit, haud abnuvit, & alios pratergressus, virum adiit. Ambo itaque duces extra castra prodiere, ibi in medio locus conspicuus undique, ne quid insidiarum esset, delectus, ubi summotis pari spacio armatis, congressi sunt. Comes Jacobus conspectu Scanderbegi admiratione propè attonitus conticuit, & coniectis luminibus, defixisq; oculis semper in eum inspiciebat. Scanderbegus prior deposito ense, armisq;, inermis accedens ad illum, & ex transverso medium sumptum manibus (erat enim modica statura) è terra in altum sustulit, quem more suo osculatus, mox leniter deposuit. Tum comes Jacobus, ut dictis factisq; omnibus ad fallendum instructus,

structus, vana accresceret fides, grandem rem, multaq; cum eo acturum, curaturumq; simulabat. Promittebat enim facturum, quod Galli aut regni Apulia provinciam omnino desererent, & in Galliam reuenterentur, aut omnes trucidarentur, Ferdinandusq; rex, imperium suum quiete

Colloquium  
Scanderbegi  
& Picenini.



tranquilleq; possideret. Dicebat se satis nosse, quod si ijdem Galli, qui & natura insolentes, superbiq; erant, & odio nativo in Italos ferebantur, Apulia potirentur, nò tantum ea contenti essent, verum etiam totius Italia imperium sibi vindicare vellet, cuius homines ut seruos & iumenta haberent. Hac & plura alia comes Jacobus cum Scanderbego se acturum, curaturumq; promittebat. Quae tum in regis Ferdinandi commodum & honorem, tum ipsius Scanderbegi principis ingentè gloriam & utilitatem verterentur. A quo in primis petijt, ut receptui cani, & milites suos à pugna cessare iuberet. Quod & ipse facere paratus erat, quo exercitus utriusq; à labore, & continua pugna respirarent, quiescerentq;. Cum hi per integrum ferè diem iam dimicassent, asserens hoc maxime ex lege, & Italice consuetudine artis militaris, sacræq; militiae fieri, seruariq;, sed quia iam tenebrae terram occupabant, & nox instabat, militesq; omnes hincinde fessi erant, satius fore, ut uterq; exercitus in castra rediret, & locus quieti daretur. Scanderbegum verò hortabatur, rogabatq;, ut is mane cum paucis equitibus (ne res duci Iohanni, Gallisq; patesset) assignato ei loco quo conveniret ad secum colloquendum, omnino reuerti deberet. Quae quidem omnia comes Jacobus non minus fictè & simulatè, quàm dolose cum Scanderbego agebat. Molitus enim Picennus fuerat, Scanderbegum aut insidijs viuum capere,

Comes Iacobus  
fictè & simulatè  
cum Scanderbego agit.

pere, aut omnino obtruncare (rem profecto suapte natura deformem atq; impiam) vel saltem longo deducto sermone diem conterere, qua destinata iam pugna solueretur, certamen dirimeretur, ne Albani, qui iam iam palmam & victoriam in promptu, & pra manibus habebant, secum reportarent, seq; cū exercitu suo ab huiusmodi iniuria & ignominia liberaret saluaretq;, cum aliter effugere minime posse videret. Cui cum Scanderbegus ob viri nomen auctoritatemque, fidem quam maximam praestitisset, eiusq; dictis atque postulatis puro synceroq; corde credidisset, liberè ingenueq; obsecutus est, qui & receptui cani, & milites suos à pugna cessare iussit. Interim verò Moses & Guuriza, praefecti castrorum Scanderbegi, iam dudum fugatis casiq; hostibus, quatuor armatorum militum acies captas ad Epi-rensensem perduxerunt. Quas cum Piceninus vidisset, erubuit, & mēte turbatus atq; confusus obmutuit. Qui tandem in se collectus, callide atq; versute his verbis Albanum Principem sic est adorsus:

Oratio Piceni  
ni ad Castrio-  
tum.

Scanderbege, Princeps illustrissime & generose, video (quod & pariter admiror) praefectos & milites tuos contumaces tibi esse, & rebelles, valdeque irreligiosos. Hi enim (ut nosti) post edictum nostrum, quod pariter uno eodemq; ore atq; consensu fieri iussimus, ut per omnia hinc inde castra



milites à pugna desisterent, acies has meas, & milites edicto nostro illico libenti animo parentes aggressi perturbarunt, oppresseruntq;, & summa cum ignominia dedecoreq;, eos ad te pertraxerunt, quod valde iniquum atque iniustum, & contra fidem atq; decorē tuum mihi esse videtur. Nihilominus ego tum fidei tuae, tum virtuti plurimum confusus, te enim semper magni-  
fice,

fice, inuictissime Princeps, quod fidem tuam & promissa semel mihi praestita (ut queng; Principem & magnanimum virum decet) te nunc quoque seruaturū non despero. Quamobrem Scanderbege, Princeps generosissime, peto abs te, ut has meas acies, & milites, quos tui duces & praefecti huc ad te contra sacram militiae disciplinā tanquā captiuos trahunt, impunè & incolumes dimittas, mihiq; armatos restituas. Quo in hoc quoque ego fidem tuam, animi magnitudinem atque liberalitatem, quam de te semper Princeps generosissime predicare audiui, nunc oculis videā, clareq; perspiciam. Adhuc Albanus Princeps in hanc ferè sententiam respondit: Non possum equidem Comae Jacobe non admirari, te virum clarum & illustrem, ista non minus leuia, quam ab omni prorsus veritate aliena, vel credidisse, vel dixisse, quod milites mei & duces post edictum nostrum tuas acies inermes, & nihil tale timentes, violata fide, praeter sacra militiae constitutiones aggressi oppresserint, maximoque dedecore atq; ignominia ad me pertraxerint. Nam vidisti (nec inficiari potest) ut primum conuenimus milites mei & praefecti, priusquam edictum nostrum deponendi arma, & cessandi à pugna, ad uniuersum exercitum peruenisset, tuas acies, quas fortissime pugnando deuicerant, ad me (ut iam vidisti) perduxerunt, quod an adeo iniustum tibi videri possit, non satis scio. Nam si per totam ferè diem (ut dixisti) pugnatum est à nobis, quo nam pacto fieri potuit, ut tam breui spacio edictum nostrum ad omnes castrorum partes ubique peruolauerit? Et adhuc amplius quod magis me mouet, quod milites, & praefecti tui videntes acies meas, & armatas, & pugnantes, ipsi arma deposuerint, & à pugna cessauerint. Quo dum (ut dicis) religiosissimi scilicet homines, & mandatorum tuorum obseruantissimi esse malunt, turpius oppressi in captiuitatem traherentur, an inuiti potius belli sorte superati victoria cesserunt, & seruitutem merito subierunt. Praeterea quod milites nostros contumaces & irreligiosos appellas, sanè est mirandum. Siccine igitur ego cum ijs ipsis, & paucissimis quidem quandoque (absit temeritas verbo) tot Barbarorum & Turcarum validos exercitus fudissem, & tot duces eorum fortissimos, & Principes conuersos in fugam capissem, si istiusmodi essent, quod diuino certe auxilio, nulla virtute, nullo ingenio humano effici potuisset. Nam quod ad obedientiam & ordinem militarem attinet, illud ausim dicere me ductorē, & commilitonem suum magis etiam ab eis timeri, quam ipsi à vobis. Propterea si de legionibus istis & militibus ita insignem facilemque victoriam consecuti sunt, nihil est quod eos accuses, nihil quod de me conqueraris, sed tum belli fortuna, tum imbecillitati, atque tuorum ignauiā imputes, liberalitatem tamen meam, & animi magnitudinem, quam (qua est ingenij tui bonitas) mihi tribuis, hodie non desiderabis. Quod enim acies istas tuas, quae merito nobis iure belli, & captiuitatis cesserunt,  
2 2 cupis,

Responsum Ca-  
strioni ad Pice-  
ninum.

Pyrrhus, Epi-  
rotarum rex.

cupis, ut gratis, & incolumes tibi restituam, atque donem, nihil frustra petieris. His enim quibus superstitibus in bello esse contigit, ego nec vitam, nec libertatem eripere consuevi. Memor praterea illius egregij & praeclari facinoris, quo Pyrrhus ille meus Epirotarum Rex in Romanos usus, qui cum eorum exercitum in his campis acriter pugnando profligasset, captiuos omnes, quos caeperat (ut magni & generosi animi erat) dono, gratisq; misit, atq; concessit. Eius sanè praeclarum dictum illud ad Romanorum legatos extat, qui ad ipsum pro redimendis captiuis venerant. Nec mi aurum deposco, nec mi precium dederitis, nec cauponantes, sed belligerantes, ferro, non auro, vita certamus utrique, vos ne velit, an me regnare heri. Quidue fert fors, virtute experiamur, & hoc simul accipe dictum, quorum virtuti belli fortuna pepercit, eorundem me libertati parcere certum est. Dono ducite, doq; volentibus cum magnis Dijs. Duc proinde tu quoq; captiuos tuos gratis potius, quam aliquo iure causa Princeps nobilissime, te petente cum Deo optimo maximoque. Sat enim mihi est illos ferro vicisse, quibus iterum Deo iuuante, virtute, fortitudineque militum meorum me potiturum haud animus deest. Fuerunt autem hi ad centum milites, quos Scanderbegus armatos omnes dimisit, Picensinoq; donauit. His peractis Picensinus cum copijs suis in castra se contulit, Castriotus verò in Barim oppidum reuersus est, qui summo mane consurgens, sumptis secum septem tantum equitibus (ut iam promiserat) urbem egressus ad comitem Iacobum alloquendum, conueniendumque ad locum, quo constitutum fuerat, ire pergebat. Cui quidam de hostili exercitu, qui occulta consilia, & insidias aduersus Scanderbegum prae paratas nouerat, in itinere occurrit, & aperiens ei omnia, quae Picensinus ipse in illum molitus fuerat, admonebat eum, ne ulterius progrediretur, ne in insidias à comite Iacobo ei instructas incideret, precipitareturq;. Nam locus, ad quem accedere volebat, ut comitem Iacobum conueniret, insidiarum atque armatorum plenus erat, ut eum caperent, aut trucidarent. Quo missi à Scanderbego equites exploratoresque ad speculandum, omnia prout relata fuerant vera inuenta sunt. Detectis itaque omnino insidijs, ac patefactis fraudibus comitis Jacobi, Castriotus clara voce Picensinum de dolis & insidijs suis increpans atque redarguens, fœdissimum appellans, in crastinum ad incundam pugnam & certamen illum prouocauit, qui nec verbum respondit, sed circa primam noctis vigiliam collectis sarcinulis & vasis (ut aiunt) cum duce Iohanne, & Gallis arrepta fuga in remotiora loca, dehinc Nuceriam concessit, veritus ne eadem nocte ipse à Castrियो adoriretur. Audiuerat enim illum sapissime nocturno tempore hostem aggredi solitum esse. Verum Epirensis exorta iam luce, instructo ad pugnam exercitu suo, in campum propalam descendit, quo cum comite Iacobo uniuerso exercitu concurreret.

Ceteri milites  
armati à Scan-  
derbego di-  
missi.Castriotus Pi-  
censinum fœ-  
dissimum vo-  
cat.

curreret. Eo autem non inuento (fugam enim arripuerat, castraq; vacua atque deserta reliquerat) tum hominis perfidia, tum rei ipsius indignitate impensius est commotus. Ratus itaque id magno aliquo & audaci facinore vindicandum, Baretim reuersus est, qui ubi omnia disposuit atque firmavit, confestim ad regem Ferdinandum, qui Vrsara cum Italico exercitu & copijs erat, contendit. Est enim Vrsara oppidum Apulia, quod in dorso montis positum, octo millibus passuum à Nuceria distat, à Troia verò quatuor, à monte autem Segiano sex: distabat autem uterque exercitus ab inuicem octo millibus passuum: erat enim medius mons Segianus, qui ab urbe Troia per duo miliaria, à Nuceria verò sex distabat. Nam (ut fama ferebat) qui montem illum & tumulum caepisset prior, ille erat futurus superior in acie, cum propter loci opportunitatem ad bellum peragendum, prosequendumq;, tum rerum omnium maximam commoditatem. Ad quem occupandum antequam comes Iacobus proficisceretur, milites suos in hunc modum est allocutus:

Non me fugit milites, quanta sit virtus & fortitudo vestra. Nec per singula rerum uestrarum gesta immorari atq; discurrere nunc opus esse videtur, quum omnia mihi manifesta & in aperto sint posita. Verum ne ab alto

Descriptio Vr-  
sarae, Nuceriae,  
Troiae, Segia-  
ni montis.Oratio Picensi-  
ni ad exercitum  
suum.

exordiar, pauca in praesentiarum tantummodo in medium afferre de vobis contentus ero. Nonne vos estis milites, qui Ferdinandum regem cum copijs suis a quo campo collatis signis, toties fudistis atq; profligastis? quem & in urbe regia Neapolitana, & postea in Baretii oppido obsedistis, & uniuerso regno Apulia, Siciliaq; spoliastis, & expulistis. Nonne praterca

milites vos ij estis, qui exercitus, & presidia Pij Pontificis, & Francisci Sforcia, ducis Mediolani, qua in auxilium regis Ferdinandi veniebant, nō semel tantum, sed bis in fugam conuertistis, obtruncastisq;? Quid superest igitur, milites, ut & Apulia, & totius Italia imperium vobis vendicetis? Quis resistet? Quis obuiabit vobis? Ferdinandus rex iam fatigatus à vobis, fugatusq;, arma, & furorē vestrum fugiens, de imperio iam desperans, nescio quo in angulo hucusq;, latitauit. Nunc verò quia hoc presidij quod videtis ei allatum, nobiscum bellum non gerere (quia impossibile ei) sed tentare tantummodo contra nos velle videtur. Sed heu miserrimum, & infelicissimū hominem, aptum ad fugam potius, quam ad pugnam, victus semper à vobis, nunquam vincet; profligabimus eum absque dubio cum omni presidio, suppetijs, & auxiliariis suis, delebimus, & ad internecionem dabimus, aut illum (si volueritis) captiuum cum omnibus faciemus, vel è regno fugatum omnino, & expulsū deiciemus. Estote itaque milites bono fortiq; animo atq; intrepido, & de victoria certi, quam (ut videtis) in manibus habemus. Vincere enim nos soliti, semper vincemus. Fata enim vobis Apulia regnum iam promiserunt. Decretum, constitutumq; iam est milites, hac omnia vobis à superis euenire. Sed quid Apulia tantum? Verum etiam totius Italia imperium vobis promitto, vrbes omnes, municipia, castella, diuitias habetote, vestraq; sint. Vos ò Galli viri fortissimi, & fortunatissimi, terror & pauor Italiae, totiusq; orbis. Vbi Romani triumphatores mundi, quos toties a quo campo tota acie semper sudistis & profligastis? Vbi Roma totius mundi caput? Nonne à vobis capta incendio conflagrauit? Omnes Patritios & Senatores in ea trucidastis. Vos Christiani, vos Mahumetani, vos omnes secta, gentes, & Barbara nationes summo pere verentur, timent, & ad nomen tantum vestrum & famam fugiunt. Vos bellatores veri estis, vos fatales, vos diuini, vobis non solum Apulia, Italia, sed vniuersi orbis imperium à Deo promissum est. Itaq; milites bono, forti, & constanti estote animo. Hostes quos videtis (pudet enim hoc vobis referre) nihil penitus timeatis, quos hinc ad modicum temporis interuallum omnes captiuos vestros fore promitto, aut (si vobis placuerit) obtruncare licebit. Eorum diuitias, spolia, equos, impedimēta vestra erunt. Hostes nostri & aduersarij fugituri potius, quam pugnaturi sunt. Res cum fugitiuis nobis erit, non cum pugnacibus. Nec hunc Scanderbegum, ò milites, Epirotarum Principem, qui nuper ex Epiro & Macedonia cum Epiroticis suis nudis & inermibus militibus contra nos in regis auxilium huc traiecit quicquam timeatis, aut existimetis, quia ipse cum agmine suo & militibus primo impetu à vobis fusus, profligatusq; erit. Sunt enim inermes Epirota omnes, & nudi, quos nostri scloponarij, & scorpionarij prima fronte & ictu de medio tollent atq; prosternent. Sed puto illos potius latituros

Latus Gallo-  
rum.

tituros esse, quam pugnaturus, quia consueti & apti potius hac illac circumcursare, & discurrere, quam pugnare. Res non cum Turcis eis agenda erit, aut cum Asiaticis mollibus, & effæminatis hominibus, sed cum fortissimis viris, & strenuissimis militibus, & indomitis Gallis, qui omnes graui armatura armati sunt. Equi nostri cataphracti omnes. Itaq; milites minime perdurare in pugna poterunt, sed à nobis fugati trucidabuntur, ex quibus victoriam cum triumpho proculdubio reportabimus. Nunc verò Ferdinandus victus expugnatus, ac omni regno deiectus atq; priuatus erit, qui tentat tantummodo nunc nobiscum bellum. Hic est eius ultimus conatus. Nihil ò milites ei astutia sua proderunt. Omnia eius consilia & auxilia in irritum cadent, huic bello finem imponemus, vrbes, agri, cetera omnia vestra erunt milites. Vos cum liberis, coniugibus, posterisq; vestris, hac omnia perpetuo possidebitis.

Postquam comes Jacobus his finem fecit, properans ad occupandum montem Segianum, illum à Scanderbego iam præoccupatum inuenit. Ex quo moestus Princeps admodum in castra reuersus, de victoria (ut aiunt) diffusus, Castrioto illam adiudicauit. Qui tamen (ut erat callidi ingenij, rerumq; militarium peritus) ad confirmandum militum animos, conuersus ad suos:

O socij, inquit, & commilitones mei amantiissimi, strenuissimiq;, nunquā certe de victoria diffidendum, neq; desperandum est, nusquam euentus incertior, quam in bello. Quum totum istud, quicquid est victoria, in incerto sit, & in manu (ut aiunt) fortuna. Proinde fortiter & intrepidè incumbamus, in hostem irruamus, & cum eo acerrimè dimicemus, ut vel vitæ prodiga virtus, vel belli fors aliqua nos tandem superiores ostendat.

His aditis, Piceninus decreuerat, ut contractis iam undecunq; copijs in unum, & Gallico presidio, tota acie, totisq; viribus cum Albano Principe decerneretur. Hoc factò pronunciant ambo, arma expedirent milites, animosq; ad supremum certamen, non in unum diem, sed in perpetuum, si felicitas adesset, victores Iohannes dux. An Ferdinandus rex iura Apulia daret, ante crastinam forte noctem scituros, vniuersæ Dania, Calabriaeque regnum victoria premium fore. Par periculum pramio quibus aduersa pugna fortuna fuisset. Nam neque Albanis effugium ullum patebat in aliena terra, ignotaq;. Ad hoc discrimen procedunt postero die duo longe strenui Principes, duo clarissimi duces, duo fortissimi exercitus, multa ante parata decora, aut cumulaturo eo die, aut euersuri. Anceps igitur spes, & metus miscebant animos, contemplantibus modo suas, modo hostium acies, cum oculis magis, quam ratione pensarent vires, simul læta, simul tristitia obseruabantur, quæ ipsis sua sponte non succurrebant, ea duces admonendo atque hortando subiiciunt. Scanderbegus

Properat Pice-  
ninus ad occu-  
pandum mō-  
tem Segianū,  
quem prius à  
Scanderbego  
præoccupatū  
inuenit.

Exhortatio  
Picenini ad  
suos.

gus

Summa bello  
rum, quæ gef-  
fit Scâderbeg  
intra annos  
decem & octo

gus primo decem & octo annorum spacio in terra Asiatica, Macedonica, Thracia, & Epiro res gestas, tot duces Turcarum, & Mahumetana secta, tot exercitus occisione occisos, & sua cuique decora, ubi ad insignem alicuius pugnae memoriam venerat, referebat comes Jacobus in Piceno, Apulia, & Italia recentia pralia. Ad hoc colloquium Castriotus in secreto habitum, ac liberum fingenti qua velit flecti, ominatur, quibus quondam auspicijs patres eorum pugnaverint. Ad Mocreum, Tumenistum, & Modrissum, ea illis exeuntibus in aciem portendisse Deum, adesse finem belli, ac laboris, in manibus esse pradam Gallici, Piceniniq; exercitus victoriam, reditum domum in patriam, ad parentes, liberos, coniuges, penatesq; Deos, adeo celsus hac corpore, vultuq; ita lato, ut vicisse iam crederes, dicebat. Instruit deinde primos pedites, scloponarios, post eos scorpionarios, ac sagittarios, cum funditoribus, hastatis Illyricis, cum Epiroticis permixtis postremam aciem clausit. Non confertas autem cohortes ante sua queng; signa instruebat, sed manipulos aliquantum inter se distantes, ut esset spacium, quo cataphracti hostium equites, & grauis armatura accepti, nihil ordines turbarent. Regem cum Apulo & Italico equitatu à sinistro cornu, Mosen, Giuriz, amq; à dextero opposuit, vias patentes inter manipulos antesignariorum Dibranis suis, & Macedonicis (ea leuis armatura erat) compleuit. Dato praecepto, ut ad impetum Gallorum equitum & cataphractorum, aut post rectos refugerent ordines, aut in dexteram, leuamq; discursu applicantes se antesignanis, viam, qua irruerent in ancipitia pila, & tela, Gallico equitatu, & hostili equiti grauis armatura darent. Comes Jacobus ad terrorem primum tormenta super currus, & quadrigas imposita instruxit, dehinc sclopos, scorpionariosq;, ac pedites longis hasta permixtos: in secunda verò acie Apulos, modico intervallo relicto, subsidiariam aciem, auxilium Ligurum, Brutiorumq; militum instruit. Equitatum etiam ipsum circumdedit cornibus, dextrum Galli, sinistrum Itali tenuerunt. Varia hinc & inde exhortatio in utroq; exercitu erat, inter tot homines, quibus non lingua una, non mores, non lex, non arma, non vestitus, habitusq;, non causa militandi eadem esset, auxiliariis & praesens, & multiplicata merces ex prada ostentatur. Galli proprio atq; insito in Italos odio accenduntur. Liguribus campi vberes Italiae deductis ex asperibus montibus in spem victoriae ostentantur. Alijs alia spes ac metus iactantur. Apulis mœnia patriæ, Dei penates, sepulchra maiorum, liberi cum parentibus, coniuges pauide, aut excidium, seruitiumq;, aut victoriam, & Apulia imperium, nihil aut in metum, aut in spem, medium ostentatur. Cum maxime hac Imperatores & duces exercitus hinc inde suarum quisq; gentium ad suos milites agerent, tuba, cornuaq; ab Albanis cecinerunt, tantusq; clamor simul ortus est, & pariter uno eodemq; impetu atque velocitate in hostes

concur-

concursum, ut citius primam aciem oppresserint, quam hi tormenta sua posuerint (celeritas enim quamplurimum in re bellica valet, sapenumero consilium prauertit, ordinemq; disturbat atq; confundit) Nam equi tormentorum tanto sunt terrore percussi, ut in suos sinistro maxime cornu conuerterentur. Italis addidit facile Moses & Giuriz, a percussis terrorem, nudaueruntq; ab ea parte aciem equestri auxilio. Pauci tamen equorum cum



tormentis in hostem acti, inter scloponariorum, scorpionariorum, & peditem ordines, multis acceptis vulneribus, ingentem suorum stragem debebant, namq; dextero cornu ipsorum Gallorum equites in fugam verterunt. Rex Ferdinandus, ut turbatos vidit hostes, addit pulsus terrorem, utrinque equite nudata erat Apulia acies, cum pedes concurrat, nec spe, nec viribus par. Igitur primo impetu extemplo mouere loco hostium aciem Albani. Ala deinde, & umbonibus pulsantes in summos, gradu illato aliquantum spacij, velut nullo resistente incessere, urgentibus & nouissimis primos. Ut semel motam aciem sensere, quod ipsum vim magnam ad pellendum hostem addebat, apud hostes auxiliares cedentes secunda acies Apuli, & Ligures, adeo non sustinebant, ut contra etiam ne resistentes pertinaciter primos, cedendo ad se perueniret hostis, pedem referret. Igitur auxiliares terga dant repente, & in suos versi, partim refugere in secundam aciem, partim non recipientes cedere, uti paulo ante non adiuti & tunc exclusi, & propè duo iam permixta pralia erant, cum Apuli simul cum hostibus, simul cum suis cogere manus: nō tamen ita percussos, iratosq; in aciem accepere, sed densatis ordinibus in cornua, vacuumq; circa campum, ex-

Apuli cū suis,  
& cum hosti-  
bus manus cō-  
serunt.

a a tra pra-

tra praelium ciccere pauidos fuga, vulneribusq; milites, ne certam e& integram aciem misceret. Caterum tanta strage hominum, armorumq; locum in quo steterant ante auxiliares compleuerant, ut propè difficilior transitus esset, quam per confertissimos hostes fuerat. Itaq; qui primi fuerunt hastati per tumulos corporum, armorumq; e& tabem sanguinis, qua quisque poterat sequentes hostem, e& signa, e& ordines confuderunt. Scorpionariorum sagittariorumq; signa fluctuare ceperant, vagam ante se cernentes aciem, quod Scanderbegus ubi vidit, receptui propere canere hastatis iussit, e& saucijs in postremam aciem subductis, scorpionarios, sagittariosq; in cornua inducit, quo tutior firmiorq; media hastatorum acies esset. Ita novum de integro praelium ortum est, pugna atrox, e& praelium utrinq; maximum fit. Cadunt non rari ex utraq; parte, certamen in integrum diem protrahitur, Mars fluctuat, victoria modo hinc, modo inde flectitur. Quippe ad veros hostes peruentum erat e& armorum genere, e& usu militiae, e& fama rerum gestarum, e& magnitudine vel spei, vel periculi pares, sed numero Scanderbeganus superior erat, e& animo, quod iam equites leuis armatura, iam cataphractos fuderat, iam prima acie pulsa, in secunda pugnabat. In tempore Moses e& Giuriza pulsos per aliquantum spacij secuti equites, reuertentes in aduersam hostium aciem, incurrere. Is demum equitum impetus perculit hostem, multi circumuenti, una ve casti, per patientem circa campum fuga sparsi, obsidente omnia equitatu, passim interierunt. Apulum, sociorumq; casa eo die supra quatuor millia, mille ferme viri capti sunt, cum signis xxv. militaribus, victores ad mille ceciderunt. Comes Iacobus cum duce Iohanne paucis equitibus inter tumultum elapsus perfugit, omnia e& in praelio, e& ante praelium priusquam excederet pugna expertus, e& confessione etiam Scanderbegi, omniumq; peritorum militia, illam laudem adeptus, singulari arte, aciem eo die instruxisse visus est. tormenta enim in prima fronte posita, quorum fortuitus impetus, atque intollerabilis vis, signa sequi iussa, e& seruare ordines, in quo plurimum spei ponerent, Albanos e& Epirotas prohiberet. Deinde auxiliares ante Gallorum aciem collocati, ne homines mixti ex colluione omnium gentium, quos non fides teneret, sed merces, liberum receptum fuga haberent, simul primum hostium excipientes impetum, illos fatigarent, ac si nihil aliud, alij missilibus, alij vulneribus suis ferrum hostium hebetarent. Tum ubi omnis spes esset milites Gallos, Brutiosq; fuisse collocatos, ut omnibus rebus alijs pares, eò quod integri cum fessis ac saucijs pugnarent, superiores essent. Apulos interuallo quoque diremptos, incertos, socij an hostes essent, in postremam aciem summos. Hoc adito velut ultimo virtutis opere, comes Iacobus cum perfugisset, incognitus, erransq; hinc inde per Italiam, vilissimo indutus habitu latitauit, donec à Francisco Sfortia

Victoria incerta.

Apulū & sociorum quot millia casa.

Comes Iacobus fugit.

Comes Iacobus à fuga latitat in Italia vilissimo habitu.

Sfortia Mediolanensiu duce dolis atq; blanditijs pellectus, falsisq; deceptus nuptijs, eius gener factus, moxq; ad Ferdinandum regem tanquam amicus missus, ab eo necatus, diem suum obiit. Dux verò Iohannes à regijs e& Scanderbeganis militibus persecutus, Troiam vix aufugit, qui per funem tractus, in urbe exceptus est, indeq; latenter noctu ad mare Ligusticu sese propripiciens, nauimq; conscendens, iterum in Galliam reuersus est. Scanderbegus confestim expugnatis hostium castris, direptisq; cum ingenti prada Neapolim una cum rege Ferdinando clarissimo triumpho inuectus est, dedu-

Dux Iohanes fuga sibi confulit.

Triumphus Scanderbegi & regis Ferdinandi.



ctis in triumpho captiuus. Tum patuere facta gratulatione omnia in urbe templa, supplicationes decreta, ludi cuiuslibet generis, e& conuiuia publice per urbem vndiq; triduo celebrata sunt. His itaq; aditis, profligato hoste, de illoq; victoria felicissime potita, decreuit Ferdinandus simul cum Albano Principe, instructis copijs omnibus vniuersum regnum Apulia, Calabria, ac Sicilia obequitare, ac perlustrare. Quo urbes, ciuitates, oppida, e& loca omnia, qua ad hostem iam defecerant, vendicaret, recuperaretq;. Hoc facto, omnia breui in fidem Castrioti recepta sunt, e& in potestatem regis redacta. Nam ij omnes Scanderbegi fidem, magis quam regiam sunt sequuti, verebantur enim in ditionem regis venire, e& fidei sua sese committere. Timebant namq; eum, ne propter rebellionem, quam fecerant, e& violatam regi fidem, se omnino perditum ire. Verum Scanderbego fidebant, quod si ipse fidem suam, publicamq; tum de eorum salute, tum liberorū ac bonorum suorum promitteret, ne quicquam mali sibi euenturum esse, sed à rege salutem, incolumitatem suam, suorumq; omnium, necnon impunitatem, ac in-

demnitatem penitus consecuturos sperare. Quapropter sic omnia à Scanderbegi rege recepta, ac breui uniuersum regnum est recuperatum. Verum unum tantummodo expediendum in prouincia supererat, quod à Scanderbegi perfacile admodum expeditum fuit. In urbe enim Trani, Siculus quidam, Fusianus nomine erat, vir strenuus atq; bellicosus, quem rex Ferdinandus iam pridem antequam Galli in Apuliam irruissent, cum presidio ibidem miserat, copijsq; praefecerat. Qui dum uniuersa prouincia incendio, Gallicoq; tumultu astuarer, arderetq;, libertatem in urbe occupauit, & tanquam Tyrannus in ea factus est, putans regem, qui iam à Gallis è regno ferè deiectus fuerat, amplius imperium in ea, neq; potestatem vendicaturum. Ad quem maxima ex omni colluione manus confluxerat, quotidieq; confluebat ob prada cupiditatem & dulcedinem, quam continue per prouinciam agebat. Quae omnia quum Scanderbegi aures pulsassent, communicata re cum Ferdinando rege, ipse relicto eo cum Italico exercitu in campo, modica tantum suorum manu delecta, ad Fusianum proficiscitur, qui quum Scanderbegum ad se euntem uidisset, ei occurrit, & uterq; aciem egressi, ex equis desilientes, remotis hinc inde pari spacio & interuallo militibus, ad inuicem colloquendum congressi sunt. Scanderbegus verò prior sic illum breuibus alloquitur: Fusiane, vir egregie & praestans, non dubito, quin ad aures tuas iam peruenierit, profligato, casoque Gallorum exercitu, omnia in regis potestatem peruenisse. Tu tantum solus (nescio enim quo spiritu, qua mente ductus) ab eo tam alienatus es, ut regia potestati ac uoluntati resistere uidearis, qui iam & amicus eius, & praefectus eras, quod non possum non summopere admirari. Sed mi Fusiane, si audieris me, profecto multa tibi bona & commoda consequi poteris. Nam si tu iterum in regis amicitiam & beneuolentiam redire uolueris, quod omnino (si tibi mens sana) faciendum est, honores, dignitates, praefecturas (me duce & auctore) tibi à rege non defuturas promitto, dummodo urbem Trani cum eius arce in regiam potestatem tradas. Sin autem alia mens, aliusq; animus est, tibi tanquam hosti & inimico regis bellum indico, atque propono, cuius profecto iram atq; indignationem, quo pacto tu effugere possis, non uideo. At Fusianus qui aura populari, & fortuna afflatu elatus, insolens atq; audax factus fuerat, Scanderbego respondisse, dixisseq; fertur: Non prius se dimissurum regi urbis Trani possessionem, quam ab ipso omnia & integra stipendia consequeretur, quae a tempore, die & hora aduentus ad illum sui hucusque cum eo meruerat. Praeterea primam post regem praefecturam, praeter hac alias quoq; conditiones regi potius imponere, quam ab eo petere uolebat. Quae omnia tum contra honorem, regisq; decorem, tum Scanderbegi dignitatem erant. Et tandem ipse multis conuiuijs, opprobrijs, atque contumelijs, tam in regem, quam in reginam, prorupit. Quae quanquam

Scanderbeg  
Fusiano lo-  
quitur.

Superbum Fu-  
siani respon-  
sum.

omnia

omnia Scanderbegus agrefere, cōcoquere illa nō valens, ira atq; indignatione valde cōmotus, manus in eum iniiciens apprehendit. Ad quem Scanderbegani milites confestim conuolantes, sine motu & resistentia Fusianorum in vincula contecerunt, secumq; abstulerunt. Qui quum se captiuum Scanderbegi esse perspexisset, ueritus ne in manus regis traderetur, statim à Scanderbego condiciones petiit, dixitq;, si ab eo libertatem & incolumitatem consecutus fuisset, urbem Trani cum eius arce liberè & expeditè in potestatem ei daturum. Quo facto, & fide data, ingressus Scanderbegus cum copijs suis quiete, pacificeq; in urbem, capta eius possessione, impositoq; ibidem presidio firmissimo, Fusianum à uinculis solutum libertati tradidit atq; concessit. Qui cum omni suppellectili & familia sua nauim ascendens, magno cum honore atq; beneuolentia à Scanderbego discedens, è portu Trani in Siciliam ad nauigauit. Castriotus uerò victor, regis exercitui coniunctus est. Postquam igitur omnia in regis ditionem & potestatem uenere, & uniuersum regnum ac imperium pacatum tranquillumq; effectum, & omnis timor & tumultus in prouincia sedatus est, rex cum Scanderbego imposito ubiq; locorum firmissimo presidio, ouantes post hac ad regiam urbem ambo reuersi sunt. Interea Oratores Pij Pontificis, ducis Mediolani, ac omnium ferè Italiae Principum, cum ingenti gratulatione, maximisque donis ac muneribus ad regem Ferdinandum, & Scanderbegum peruenierunt. Verum enim uero, Pius Pontifex summus longe maiora atque excellentiora Albano Principi donauit. Non enim auro tantum & argento ac temporalibus rebus, bonisq;, sed etiam amplissimis priuilegijs, & alijs spiritualibus beneficijs, ornauit, decorauit, accumulauitq;, promittens ei, ut cum primum ipse in Epirum & Macedoniam, cum expeditione, & exercitu Christiano aduersus Turcas traiecisset, quod breui se facturum proposuerat, non solum diademate imposito regem illum Epiri, Macedoniae, Thraciae, totiusq; nouae Romae declaraturum, uerum etiam uniuerso Christianorum exercitui, & cruce signatorum copijs omnibus praefecturum, praepositorumq;. His exactis iam annis agebatur, ex quo Scanderbegus cum copijs & exercitu suo in Apuliam traiecerat. Videns igitur iam bello Apulo finem imposuisse, regem Ferdinandum in sedem & imperium collocasse, reliqua omnia in prouincia ex uoto absoluisse, uolens in Epirum cum exercitu suo redire, transfretareq;, super multis prius cum Rege collocutus est multa. Exhinc Ferdinandus uerò antequam Scanderbegum à se dimitteret, conuocatis omnibus castrorum Principibus, & praefectis in concionem, sic eum est allocutus: Etsi unquam, Scanderbege, Princeps illustrissime, nomini tuo deditus fui, nunc uerò in praesentiarum permaximè tibi deditissimus sum: plura etenim profecto, ac supra quam de te dici & praedicari solet, ego coram re ipsa & uidi, & iam experius sum. Nec

Scanderbeg  
urbem Trani  
accipit.

Fusianus abit  
in Siciliam.

Oratores Pij  
Pont. & alio-  
rum Principū  
ad Scanderbe-  
gum.

Colloquium  
Regis Ferdinā-  
di & Scander-  
begi.

aa 3 mirum

Oratio Ferdinandi, plena laudum Scanderbegi.

mirum, cum tu huiusmodi progenitoribus, & loco originem traxeris, inuisitissima siquidem Epiro, siue Albania, qua quondam Macedonia dicebatur, in qua tot generosissimi & inuictissimi Principes, tot fortissimi & strenuissimi duces, & Imperatores orti, in ea semper floruerunt, qui vel totum terrarum orbem armis acerrimè pugnando subegerunt, quibus postea successiue progenitores tui, tuq; inuictissime Princeps, diuinitus, & tanquam caelitus demissus, successisti, quo tot tantaq; praclara, & propemodum immortalia pro re Christiana gereres, & fidem catholicam, orthodoxamque defenderes, illustraresq;. Quid in primis de te, tuisq; rebus praclarissimis, Princeps serenissime, commemorem? quomodo tu admodum puer apud Amurathem Turcarum Principem à parente tuo in obsidem cum fratribus



tuis datus, ab eoq; postmodum praefectus copiarum creatus, validissimos hostium exercitus tam in Asia, quam in Europa fudisti, profligastiq;. Quomodo tu coram eodem Ottomano Principe, à fortissimis viris, & strenuissimis ducibus singulari certamine prouocatus, praclaram egregiamq; victoriam semper reportasti. Quomodo ingenio tuo singulari & prudentia omnes eius insidias fictas, ac simulatas fraudes, quas saepe saepiusq; in mortem tuam molitus fuerat (extinctis tamen ille prius veneno fratribus tuis) fortissime, egregieq; semper euasisti, ac eximia arte illa tua, animiq; inuicti celsitudine uniuersum regnum tuum auitum, & paternum, breui temporis interuallo è manibus eius extorsisti, tibiq; praclare vendicasti. Quomodo tu tot fortissimos, maximosq; exercitus, & innumeras eius copias, parua ( ut

ita di-

ita dicam) manu in fugam conuertisti, duces & Imperatores capisti, & obtruncasti ipsum quoq; Amurathem Principem, qui in te, copijs suis omnibus & maximis irruerat, tandè ad duram, turpissimamq; mortem compulisti. Omitto praeterea, quomodo tu ingètes munitissimosq; exercitus Mahumetis Principis, qui tot & tanta mala ac damna, tot iniurias ac contumelias Christianis, & Catholicae fidei intulit, fortissimè debellasti. Tu ille Scanderbeg Princeps es, qui tum tua, tum tuorum ferè omnium confessione, qui tecum omnibus expeditionibus & pugnis semper interfuere, supra tria millia Turcarum propria manu pugnando solus obtruncasti. Tu es, inquam, Principum inuictissime, quo in re tumultuaria & subita promptiorem neminem, celerioremq; neminem ullus unquam vidit. Ideo te saepius dixisse memini, multitudinè imperantium nullo pacto laudandam, quod propter sententias varias, & dissensiones, saepius Respublica magnas calamitates passa esset, praesertim cum in bello, req; subita mature factò opus sit. Nam bellorum necessitates humana consilia, & cunctationes non expectant. Comparare enim soles multitudinè imperantium, & unius principatù duobus animalibus, quorum alteri plura essent capita, alteri verò unicum tantum, quae cum venatorum iacula fugerent, pariterq; truncum arboris vetusta ingressa, à venatoribus circumdata, non inde aliter extrahi possent, nisi adhibito igne, accensoq; trunco. Bestia cui unum caput erat, subito & festinato consilio in fugam se conuertit, & in locum tutum se recepit. At cui plura erant capita, diu cogitans, quo pacto sibi salutem vèdicet, igne correpta, statim absorpta fuit. Idem Respublica, siue populari frequenter accidere dicis, qua longo ambitu sententiarum atq; consiliorum distracta cadunt, labunturq;. Ex quo optimum tibi semper est, si ab vno Principe sapientissimo cuncta regerentur. Tu ille, inquam es, cui toties a quo campo, collatisq; signis cum hoste congruendi contigit. Verum enim vero alias quoq; virtutes tuas, inuictissime Princeps, taceo, aliaq; complura egregia, ac diuina propè facinora, quae commemorare longum esset, quibus cum omni vetustate, vnus aetate nostra facile potes contendere. Venio tandem ad ea, quae nuper ipse oculis meis perspexi. Nam quum tu, Principum inuictissime, omni sublata mora istuc ad nos navigasti, conuolastiq;, & hostis, qui nos vallo, & obsidione iam cinxerat, nomen tuum tantum audiisset, priusquam te vidisset, derelicta urbis obsidione, fugam arripuit, quo timore de te suum cunctis indicauit. Quem tu postea persecutus, eximia virtute tua, & singulari scientia, tuorumq; ducum, & militum incredibili fortitudine, collatis a quo campo signis, iusto praelio superasti, profligasti, insignemq; de eo victoriam & triumphum reportasti. Me ingenti honore, laude, & gloria in regiam sedem reposuisti, uniuersum regnum, & imperium breui mihi pacatum, atque tranquillum reddidisti. Proinde quo fructu, qua mercede, quo pramio, quo honore, quibusue

meritis

Scanderbeg  
sua manu tria  
millia Turcarum  
occidit.

Multitudo imperantium non laudanda.

Optimum si ab vno sapientissimo Principe cuncta regantur.



Ferdinandus  
rex, parētis lo-  
co habet Scan-  
derbegum.

meritis, tot, tantisq; tuis in nos officijs sufficiam, non video, vel quonam pacto argumentum aliquod non ingrati animi aperiam tibi, non reperio. Regnum itaque meum, & imperium, quicquid mihi est, quicquid habeo, possideo, quicquid ero, quum à Deo discesserim, ad te refero, conditoris, parentis loco mihi semper eris. Omnia igitur nostra, vitam quoque, animam ipsam, & si quid aliud & potentius in anima latet, in tua manu & potestate esse existimato. Jus omne, imperiumq; nostrum, tibi tuisq; semper commune, nihil à te diuisum, nihil separatum, æquā nobis utriusq; pariq; lance atque proportionē sit regnandi potestas. Postquam rex his finem fecit, supplicationes decretæ, lectisternia, puluinaria, turribulis cum incenso ante ianuas positæ, omni effusa ciuitate erecta atq; parata. Alia quoq; diuina Deo optimo, immortalisq; pro victoria peracta atq; persoluta sunt. Post hæc hastiludia, certamina cuiuscunque generis, venationes, alia quoq; spectacula



Mons Garganus.  
Simpontum.  
Diui Iohannis  
Rotundi.


adita. Quibus omnibus peractis, Rex omnes ferè Scanderbeganos milites, unumquenque varijs ac diuersis donis & muneribus ornauit, decorauitq;. Sed præcipuè & in primis ipsum Scanderbegum Principem, quem & patrem semper in posterum appellauit. Cui præcipuo amore, ac singulari beneuolentia, præter ingentem auri atq; argenti copiam, equosq; Italicos loricatos, seu cataphractos, ceteraq; arma, dona militaria egregia ac preciosa, urbem Trani, & duo nobilissima, ac munitissima oppida in regno Apulia dono dedit. Quorum alterum mons Garganus dictus, ubi præclara urbs Simpontum, ac venerabile templum in diui Michælis honore conditum est. Alterum verò quod diui Iohannis Rotundi appellatur. Quam quidem

quidem urbem & oppida Rex Scanderbegus, & eius filijs ac posteris, cum omni agro liberè dedit, atq; perpetuo possidenda, fruendaq; concessit. Pace igitur per uniuersam Daunia Apuliaq; regionē, terra, mariq; parta, Scanderbegus magna parte exercitus sui & militum, ad naues, & triremes, quæ in portu Trani erant præmissæ, ipse deinceps in mutua crebraq; cum rege oscula profusus (emanantibus utrisque lachrymis) ab eo discessit. Qui à compluribus principibus & satrapis regis comitatus, per latam pace non minus quàm victoria Dauniam, effusis non urbibus modo, ad habendos honores, sed incolarum, & aggregatum turba, obsidente uias, ad mare, in portum peruenit, & ueluti triumphans naues ascendit, & expectata prospera nauigatione vento secundo, mox è littoribus Apulia soluens, nauibus Dyrrachij portum partim, partim portum quendam, qui ab incolis caput Caput Lachi. Lachi dicitur, applicantibus, saluus & incolumis cum uniuerso peruenit exercitu. Inde expositis copijs omnibus, latus & festiuus per Epirum, effusis undique urbibus, & agris, ingenti plausu, & læticia procurrentibus, omnium regiam urbem Croia inuectus est. Vbi omnia læta & prospera inuenit, ad quem quotidie nouæ gratulationes, noui Oratores, cum donis & muneribus ex socijs, regulis, & principibus confluebant.

Et hic finis belli Apuli, 17. anno regni Scanderbegi, qui insignis, & latus fuit.

bb

MARINI



MARINI BARLETII SCODRENSIS SACERDOTIS DE VITA ET GESTIS SCANDERBEGI  
EPIROTARVM PRINCIPIS,  
Liber Vndecimus.



**D**VM Scanderbegus in Apulia moraretur, antequam transfretasset, & inducia pacis facta inter ipsum & Turcarum Principem finirentur, Mahumetes per id tempus secunda usus est fortuna. Is enim non parua additamenta regno & imperio suo fecerat. Nam multa tam à Grecis quam à Mahumetanis in Asia atq; Europa abstulerat. Inflatu itaq; Barbarus tanto rerum incremento, ad Scanderbegum opprimendum (ad quod animū suum semper intendit) conuersus est, contra quem Synam praefectum suum cum viginti millibus misit, ut improvisus eum adoriretur. Sed Scanderbegus subito ab amicis praemonitus, cum octo millibus equitum peditumq; illi occurrit, & montē quendam, qui Moces dicitur, quo ipse Synam cum exercitu suo transiturus erat, nocturno tempore praoccupauit, quem ex improviso aggressus, cum omni exercitu suo fudit atq; dissipauit, quorum maior pars, amissis signis & impedimentis, casa est, ipse verò Synam vix cum paucis aufugit, multi ex Barbaris, qui viui capti fuere, pecunijs redempti sunt, quas Scanderbegus simul

cum

Syna, praefectus Turcae, cum viginti millibus vult Scanderbegum inuadere.

cum reliquis spolijs, & impedimentis militibus suis donauit. Per idem quoque ferè tempus Assambegus citra Ocridam 30. millibus superatus, vno tantummodo eodemq; memorabili pralio, vel prostratus potius, Scanderbegi non clementiam minus, quam bellicam virtutem sensit. Pugnans enim ipse acerrime, & omnibus circa se corporis sui custodibus occisis, equo quoque, sed non lataliter confosso, & ipse vulneratus est sagitta dextro brachio. Et quum in ea rerum omnium difficultate, tum tanta cladis sua recenti memoria, atque spectaculo, tum vulneris dolore, & quod maxime cetera augebat mala, nocte superueniente obrutus, paucis circa se ex reliquijs suorum apparentibus, prout enim sors queng, fugaq; hoste insequente tulerat, se receperant atq; latitabant lucem expectantes. Multi tamen hostem magis, quam nocturni incommoda itineris timentes, cum tenebris ipsis in tutiora loca euasere. Ille in monticulo quodam vel sylua potius, non longe à nostrorum finibus, à castris verò quatuor passuum millibus se recepit, rerum omnium, ac via lociq; ignarus, sed non diu sagacitatem Epirensis militis latuit. Antelucanus enim explorator cum omnia perlustrasset, atq; obseruasset, ad ducem illico conuolans, rem omnem aperit. In hoc tantummodo deceptus, quod propter opacitatem loci, & arborum densitatem, maiorem hostium numerum fore credidit, affirmavitq; ita ut Scanderbegus ipse equum conscendens, ad eas victoriae reliquias expediendas conuolaret, equitatu ferè omni sequente. A longe venientem Barbari conspicati, & maesti omnia maestiori duci exponentes, in consilio eius non militare fortasse, imperatoriumq; necessarium tamen, atq; salubre consilium ineunt, ut inermes omnes peditesq; victori obuiam progredierentur. Et ita dux autorq; consilij multo deformatus cruore, ac squalore obsitus, nō Marco Antonio absimilis, ad Lepidum ex Mutinensi clade illa fugienti, primus ante suos vadens, & ducis nostri habenas apprehendens, sola ac praclara voce illa, se suosq; omnes saluauit. Immo & cultorem vix credibilem calamitatis suae inuenit, o Scanderbege, clamitans, quò tendis? in quem strinxisti ferrum? in quem spicula direxisti? Non semper vincere decorum, non gloriosum est, vinci patiari interdum, vinci patiari. Ita victus melius, quam victor vinces, & laudabilius clementia tua, quam hostilium triumphos exercituum atq; victoriarum numerabis. Subridens (ut moris sui erat) Epirota, & ad suos conuersus: Nihil, inquit, mala fortuna acutius; nihil necessitate prudentius, quam scite, quam eleganter victi loquimur, quae nunquam sciremus victores, & hostilem quoq; manum apprehedens, bono animo esse iubet, neq; enim quicquam vel crudele, vel seruile passurum. Deinde à se dimissum coli curariq; accuratissime iubet, & necessarijs omnibus adiutum, à quibusdam suorum in tutissima loca deduci. Quid enim per Deum immortalem pulchrius, quidue laudabilius, quam profligato hoste, atque

bb 2 prostra-

Assambegus cum triginta millibus superatur.

Consilium, ut inermes omnes ac pedites victori obuiam procederent.

Vincere non semper decorum.

prostrato, in calamitate, atque miseria posito, constitutoque illius scire, atque misereri velle. Ipse cum exercitu hincinde obequitans, ubi omnia insidijs tuta cognouit, in castra se, et demum non longe à Croia recipiens, reliquam victoriae laticiam atque voluptatem est secutus. Jussumbeg quoque eiusdem est iter, et fortunam paucis post diebus imitatus est, eo praesertim cladi iniuriaque obnoxior, quo militum numero pauciore, hostem est victorem, et cruentum adhuc tentauit. Nam cum 18. millibus Scopiam ingressus, Epiri quoque interiora penetrare conceperat animo, non tot suorum claudibus, non recenti Assambegi strage satis edoctus atque perterritus. Scanderbegus eius aduentu audito, miratus tantam hominum velut certam oblivionem, vel sanguinis sui sitim, ad milites conuersus inquit: Agite dum commilitones mei, gens laboribus, vel victorijs potius nata, prodeamus obuiam nouo hosti, nouo imperatori, honoremus hominem nos, mihi credite, primo congressu honoraturum. Acclamations undique audite, et castris motis miles secutus. Ubi iuxta Scopiam deuentum, exploratoribus praemisissis Epiensis, signo belli dato, in hostem effusis undique habentis irrumpit. Irrumpentem Barbarus non animis, non consilijs satis ad pugnam paratis, tumultuandi potius quam consilienti similis exceptit. Nunquam tantum sui contemptum, nunquam tantam hostilem audaciam



ratus, ut sic longe fines suos egressus cum hoste, et in hostilibus locis fortunam belli experiretur. Ubi neque victus euadere, vel copias reparare, neque victor satis tutus foret. Itaque primo ferme impetu Jussumbeg et animo et viribus fractus, fugam arripuit. Idem reliquus exercitus non multis

multis vix trecentis amissis, reliquos inordinatos et palantes, eques non ster insecutus, clade insperata afflixit, quum tutam fugam in suis locis credidissent, et caesorum corporibus duorum amplius millium numerum repleuit. Pauci vini capti propter ducendi incommoda, ne impetus ab agrestibus fieret, et via longinquitatem. Jussumbego copias instaurare paranti, et insidias quasdam molienti hosti, milites non assensere, sed fugam secuti ingrati magis redire Principi, quam non redire maluerunt, recenti à Scanderbegi clade exemploque satis excusati. Sed nunquam successor tantorum periculorum, nunquam hostis Scanderbego defuit.

Carazabeg quendam Asiaticum multis expeditionibus celebrem virum, et senem, iam ingentis apud Mahumetem autoritatis, prout apud patrem Amurathem fuerat, gloria huiusce dulcedo exagitabat, qualis iuuenes solet, vel mala fortuna potius, quae semper magnis atque claris viris in insidijs moratur, ut omnem veterem gloriam, et promeritos eousque triumphos Epirotica clade deformaret, utpote quem neque Assambegy recens infamia, spectaculumque nimis opprobriosum, neque reliquorum idem fortuna tenor, idem ad eam diem fortuna cursus moueret. Is ad Mahumetem accedens: Accumulaui, inquit, hucusque sub te, patreque tuo, Princeps mi splendoris, totidem ferè triumphos quot annos, nunc est horum, et illorum obliuio quadam, ac nausea velut me praetot Scanderbegi victorijs, tot cladibus nostris, tanta Epirotica insolentia cepit. Stat hodie mihi merito iam militi, senique, omnia in alea ponere, et aut sceleratissimum illum et ingratisimum Ottomanum olim captiuum domus, nunc Epiroticarum sordidum regem, tot caesorum exercituum tuorum, tot caesorum imperatorum debitorum vinum, vel mortui cadauer ad hosce protrahere pedes, aut gloriam eius hac ceruice, hoc iugulo magis magisque illustrare. Militem itaque ex sententia mea conscribi permittite imperator, et delectum fieri. Ego omnia non velut dux, sed miles atque pastor hisce tractabo manibus, et in eligendo, et in instruendo exercitu solus omnium officia obibo. Bellum enim cum praeconibus est, cum maximo insidiarum artifice, et multis elato victorijs, multis saginato spolijs, pradaque. A Mahumete concessa omnia, et ad supercilium (ut aiunt) eius relata, immo et decem hominum millia addita. Ipse enim 30. tantummodo scriptis collectisque ad tantam rem conficiendam iam exploratores quosdam praemiserat. Neque à Scanderbego deerat id procurationis genus per prouinciam uniuersam, non Epiri solum, sed Macedoniae et interiora quoque, atque penetrabilibus ipsius hostilis terrae. Quare Carazabegi iter tempestiue praenunciatum, ita ut apparari omnia à nostris aduersus eam periculi molem commode possent. Sed Scanderbegus eis auditis, (ut ferunt) dixit: Ducem magis quam totum exercitum timerem, nisi nex esset. Melius sibi consulisset Carazabeg noster (notissimus enim illi, et

Carazabeg multis copijs aduersus Scanderbegum properans, ignominiose, turpiterque terga vertens abijt, fugamque arripuit.

Sententia Scanderbegi de Carazabeg.

contubernalis fuerat in quadam Asiatica expeditione sub Amurathe) statati sua, si fortuna identidem pepercisset defatigata iam propter tot concessos sibi triumphos, tot dispensatas victorias. Agedum tamen neque quinquagenarius effectum iam senem formidabo, quem infans penè olim iuuenem contempsi. Parata igitur illico copia, immo & plures quam aduersus Assambegum conscripta propter famam ducis, & peritiam insignem in rebus militaribus. Et mox per Dibras in Triballorum usque fines (inde enim aduentus eius nunciabatur) duobus equitum millibus procursum. Qui in circumfusus montibus de more latitantes, & hostem medium claudentes, magis opportunum iniuria cadique haberent. A Barbaro quoque praecursorum quatuor amplius millia missa, reliquum exercitum in Macedonia loco quodam, cui Chieri nomen est, expectare iussit. Sed à nostris quibusdam detecti, & oppressi multi, occisiq;, reliqui in fugam conuersi, nuncium Carazebego degustata iam cladis attulerunt, antequam in Epiro appropinquasset. Ille itaque ut senio & morbo quodam ager erat, partim eo nuncio aliquantisper confusus, magis animo corporeq; defecit, dolens non tantum iacturam amissi militis, quantum detectum se hostibus. Multa itaque nequicquam cogitans secum, utrum iter sequeretur, an iterum Constantinopolim rediret, in vernum tempus reuersurus, erat enim in fine autumnii, pudore demum vincente, bellum differri non placuit. Et eo biduo iter ferè omne emensus, prima noctis vigilia in planicie quadam, nostri Liuad appellant, castra fixit, & omnibus per noctem peractis, instructisq; ad pugnam, mane Scanderbego nuncium mittit, rogans ut collatis signis, non praedonis more decertare vellet. Epirensis animum vetulamq; appellans, mox se responsurum dixit. Et ita dato signo irrupit in hostem nondum paratum, sed consultantem quasi adhuc, ut mos senum est: tamen pluuia ingenti in ipsis quasi pugna auspicijs superueniente, facile diremptum, & nihil memorabile gestum. Nam toto eo triduo tanta aquarum copia inundauit, quod nisi Carazebeg in montana loca mouisset castra, non sine naufragio suorum res pertransisset. Fumenta tam multa perière. Barbarus prodigium quoddam ratus, & opus & operam (ut aiunt) vnà dimittit, & ubi primum per eam tempestatem licuit, paulatim se nostris subtrahens, Epirum deseruit, cum vere ipso repetiturus, si fata credulo permittant seni. Qui cum reliquo exercitu ad Mahumetem peruenisset, reprehensum primo ab eo acriter fuisse ferunt, dehinc collaudatum, quod exercitum saluasset. Videns autem Mahumetes Scanderbegum armis expugnari nullatenus posse, excogitauit eum dolis insidijsq; (si posset) circumuenire, & Ottomana fraude seducere. Itaque nuncium suum cum muneribus, & huiusmodi literis ad Scanderbegum direxit:

Mahu-

Mahumetes Begus, Amira Soltanus, omnium mundi partium, Orientis atque Occidentis Dominus & Imperator, Scanderbego Albano-  
rum, Epirotarum Principi S. P. D. Nullam puto Scanderbege mi, ar-  
tiores necessitudinem esse, nullam firmiorem amicitiam, quam qua à lon-  
ga consuetudine inuicem, & asiduo victu emanauit, praesertim si ea sit à  
puerili, & tenella aetate inita, ut nobis utrisq; contigisse non ignoras. Qui  
ambo à teneris (ut aiunt) unguiculis in regia patris mei cum obses apud

Mahumetis  
nuncius cum  
muneribus  
ad Scander-  
begum.



cum esses, diu vnà vitam traduximus, incredibiliq; amore atq; beneuolen-  
tia, vel omni temporis momento tenebamur. Cum igitur Scanderbege mi,  
hac omnia, & alia, quibus illa aetas nostra delectabatur, in memoriam re-  
uocem, praeter hac memor ego omnium, qua tu pro imperij nostri, ac Otto-  
mana familia, & regni gloria, amplitudineq; semper gesseris, quibus equi-  
dem non summopere te, & amore, & affectu quodam ardentissimo prose-  
qui debeo. Testor enim Deos, nihil mihi gratius, nihil in vita iucundius con-  
tingere posse, quam te apud me habere, tuoq; aliquantulum frui conspectu.  
Nec de aduentu ad me tuo quicquam pertimescas. Quod paulo ante mi-  
lites mei in regnum tuum irruerint, illudq; depraedati sint, ij iniussis id, &  
extra imperium nostrum fecere. Itaque sicut debui, maxime moleste tuli.  
Neque displicuit vllatenus illos ab exercitu tuo casos & prostigatos, scele-  
rum suorum pœnas soluisse, remq; tibi (qui iustam fouebas causam) ex  
animi sententia cessisse. Verum his omisis, reuocata in medium pristina  
amicitia, & beneuolentia nostra, facile in hanc sententiam sum adductus,  
ut inuicem componamus, & perpetuo inter nos confederemus, quo per-  
uctus

Chiere.

Liudad.

Scanderbeg  
Carazebeg vo-  
cat anũ & ve-  
tulam.

Conditiones  
pacis inter  
Turcam &  
Scanderbe-  
gum.

uetus amicitia, & necessitudo illa nostra, qua propter diutinam utriusque absentiam penè abolita reuiuiscat, augeatur, confirmetur (si non iniqua uidentur omnino) ha sint pacis nostra conditiones, scio enim eius qui non petit esse, leges dicere pacis. Primum enim est, quod à te petimus, ut exercitum nostrum per agrum & regnum tuum ad Venetorum urbes infestandas, & agrorum depopulationes liberè & impune transire permittas. Ut Iohannem filium tuum nobis in obsidem tradas, quem ut unum semper ex filijs habebimus. Ut mercatores & negotiatores nostri regnum tuum cum mercimonijs suis ubique permeent atq; percurrant, & securi atq; immunes negociari valeant. Præterea ut tu ipse ad nos securus & intrepidus accedas. Quibus rebus si ad nutum nostrum obsecutus fueris, regia tibi fide, regnoq; tuo veram pacem, perpetuamq; tranquillitatem obseruare pollicemur. Neminemq; apud nos vel fideiussorem, vel chariorem te unquam futurum. Regnumq; tuum ab ullis vel meorum, vel alijs hostilibus armis, pro uiribus nostris vexari nunquam permittemus. Quæ uero ex ore nunciij huius nostri, & Oratoris Mustaphæ recognoueris, plenam his adhibito fidem. Vale. Ex Constantinopoli regia nostra, VI. Non. Maij, M. CCCCLXI. à generatione Iesu.

Mahumetis literis perlectis, Scanderbegus duces suos, & castrorum præfectos omnes in concionem conuocauit, ubi proposuit, quid agendum, an Barbaro obtemperandum, & cum eo pacem ineundam: quibus omnibus placuit, ut icto fœdere cum Ottomano componeretur. Quare id nō mediocri commodo honori, & gloria Scanderbegi fore uidebatur. Cum Mahumetes Princeps, qui tot regna & imperia possidebat, tot gentibus & uribus imperitabat, tantoq; fortuna afflatu ad id rerum fastigij prouectus erat, pacem à Scanderbego peteret, ex quo ab omnibus unanimitè decretum est, quod reiectis cæteris conditionibus à Mahumete petitis, unica duntaxat, pacem ei concedendam, ut mercatores utriusq; hincinde immunes & liberi negociarentur. Quo facto, litera ad Mahumetem in hunc modum data sunt.

Litera Castri  
oti ad Turcã  
de pace.

Athleta Christi Georgius Castriotus, aliàs Scanderbeg, Albanorum Epirotarumq; Princeps, Mahumethi Turcarum Principi S. P. D. Redditæ sunt nobis litera tua, Princeps illustrissime, quibus scribis, te maximo in me amore, miraq; animi beneuolentia affectum, quod testimonio antiqua illius consuetudinis nostra comprobari dicis, qua longo inter nos usu coalita, & radicitus nixa, & in naturam conuersa, vim semper & robur obtinebit. Verum quia propter longam, diutinamq; inter nos uelut consopitam à somno excitare uisum, ut quoddam pacis vinculum, & nouam fœderis compositionem iniremus, cuius has conditiones proposuisti, ut exercitus tuus liberè per regnum meum iter ad Venetorum agrum depopula-

pulabundum habeat. Cui quidem petitioni tua Mahumetes Princeps consentire me neq; ex æquitate foret, neq; ex dignitate mea, cum Veneti & confederati mihi, & necessitudinis vinculo valde sint astricti. Illud uero, quod Iohannem filium meum apud te pro obside habere desideras, quo pax inter nos firmior permaneret: facerem id fortasse, neque inuitus, Princeps Mahumetes, si paternus pateretur affectus. Sed cum unicus sit nobis, & atate tenellus, nunc à parentum abduci complexibus, cum muriri, nostrisq; moribus imbui debeat, neq; illi, neque nobis conducibile uideri potest. De mercatoribus tuis quod exigis à me, ut quacunque uoluerint, liberè possint, & immunes per regnū meum negociari. Istud ipsum & duces ac præfecti mei omnes comprobant, & admittunt. Egoq; unum maxime desidero, ut merces & negocia utriusq; nostrum liberè possint hincinde prouehi, atq; expediri. Ad hæc hortaris me summopere, ut adeam te, idq; & intrepidus, & securus, quo mutuo aspectu, consuetudineq; tam diutina absentia nostra desiderium repleatur. Laudo in hoc, Princeps optime, ingenij tui bonitatem, laudo naturæ liberalitatem. Amplecterer itaq; audacter consilium tuum, si id per negocia mea & regni gubernationem, integrum nunc mihi esset. Sed quid faciam? Est (ut iam dixi) Iohannes filius paruulus admodum, & ad imperij gubernacula minime idoneus. Est gens mea (ut scis) ocij impatiens, & populi feroces, & indomiti, quos regere uel ipsi mihi perdifficile est omnino. Adibo tamen te prout iubes, commodiori duntaxat ueniendi tempore captato. Vale, meq; ama. Ex castris nostris, III. Kalend. Iunias, M. CCCCLXI.

Mahumetis ad Mahumetem Scanderbegi literis, hisq; continuo perlectis, mox Barbarus ipse alias huiusmodi ad eum dedit.

Mahumetes Begus Amir & Soltanus, omnium mundi partium Imperator, Scanderbego Principi Albanorum, Epirotarumq;, S. P. D. Dediti Mustapha nuncio, & Oratori nostro literas tuas ad nos, quibus scribis, nullam ex pacis nostra conditionibus, quas proposueramus tibi, præter unicam tantum de mercatoribus & negociatoribus nostris placuisse, ut liberè scilicet hincinde, & ex arbitrio merces ac negocia sua deuehere & expedire possent. Hacq; tantum lege pacem polliceris mihi, idq; ex uoluntate dicis, & mente tuorum esse. Amplector ipse uoluntatem istam tuam. Excusationes cæteras a quo animo admisi. Polliceor itaque tibi Scanderbego mi, in meq; recipio omnia quæ petis, & menti tuæ, tuorumq; inhæreo. Pacem sanctam, inuiolabilem, perpetuo tibi (quoad nobis uita supererit) seruaturum polliceor, ni prior tu rumpenda, uiolandaq; causam præstiteris. Idcirco has nostras, quas Mustapha nuncio & Oratori nostro ad te dedimus, signo meo imperiali & cōsueto obsignauimus, quo pacem istam perpetuo duraturam confirmemus. Ea propter tu quoq; (si placet) his nostris

Ioannes filius  
Scanderbegi.

De pace inter  
Mahumetem,  
& Scanderbe-  
gum. De pu-  
blicatione &  
eius uiolatio-  
ne.

cc te sub-

te subscribas, & sigillo tuo solito illas munias, quo mentem & voluntatem tuam similiter habeamus. Jubeas praterea, ut ubiq; per regnum tuum iussiones & edicta fiant, quod & ipse per uniuersa imperij mei loca fieri precipiam. Scias praterea me, quo amor iste in te meus clare omnibus innotescat, propria motum liberalitate, omnia que in Albania & Epiro vi à parente meo abstulisti, legitima tibi facere, ut ita illa possideas, ac si tua, tuorumq; semper fuissent. In te igitur, tuosq;, omne ius, omnemq; potestatem, qua mihi prius erat, transfero, vobisq; trado, concedo, atq; confirmo. Teq; deinceps in Principem Albanorum, Epirotarumq;, semper habebo, atq; id ipsum appellabo. Nunquam in posterum (ut fide regia promisi tibi) armis te tuaq; vexabo, ni tu causa extiteris. Itaq; his sigillo tuo apposito, eas Mustapha nostro haud dubie fidei nuncio, ad nos perferendas dato. Cui quicquid ipse retulerit, dixeritue, plenam, inuiolabilemq; fidem adhibeto. Vale, & in amore responde. Ex Constantinopoli regia vrbe nostra, x. Kalend. Iulias, à generatione Iesu, M. CCCCLXI.

Pax publica-  
tur inter Tur-  
cam & Scan-  
derbegum.

Oratio Veneti-  
ti Oratoris,  
Paulij Ange-  
li ad Castri-  
um.

Jam 40. praterierant dies, ex quo caduceator Mahumetis Principis, qui prius pro pace petenda ad Scanderbegum venerat, cum literis eiusdem ad eam confirmandam, corroborandamq;, iuxta Scanderbegi mentem & arbitrium, ad eum iterum conuersus est. Quas quum Scanderbegus accepisset, conuocatis ducibus & prefectis suis, coram eis legi iussit. Qui omnes pariter consenserunt, pacem firmandam cum Ottomano, asserentes id esse & honori Scanderbegi, & regno eius maximo commodo ac utilitati. Quare percusso fœdere inter Scanderbegum & Mahumetem, pax ubique locorum per regna utriusque, ingenti omnium gaudio publicata est. Qua quodamtenus ab utrisq; fideliter seruata est. Verum postea Barbari, quibus nunquã fides, fœdisrugi, violanda pacis autores extiterè. Hi enim primum Scanderbegi fines inuaserunt, indeq; maximam pradam abegerunt. Qua de re Scanderbeg cum Mahumete literis nuncijsq;, conquestus est, qui se nescire respondit, idq; se excusando egreferre simulauit, quod milites videlicet sui nulla eius voluntate aut iussu id fecissent. Itaque nonnulla ei restitui curauit. Sub eodem tempore, Barbari Venetorum agrum in Peloponneso deprædati sunt. Ex quo Veneti, qui cum Scanderbego confœderati, plurimumq; amicitia obstricti erant, Gabrielem Triuisanum Oratorem ad eum miserunt, quem exhortabantur, & rogabant, ut Mahumeti Principi, qui prior fœdus ruperat, & fidem violauerat, iustum bellum inferret. Qui postquam ad Scanderbegum venit, coram eo, eiusq; prefectis sic pro concione locutus est: Venimus ad te, Princeps inuictissime, non ut omnes ferè, qui eiusmodi legationis obeunt munus, facturi accedunt, ut te laudibus extollamus, patriaq; tua dignitatem, & generis antiquitatem, necnò rerum gestarum, excellentiam mentis, praconijs celebremus.

mus. Neque enim id cuiquam vel disertissimo ex facili concedi posse contenderem, & alioquin presentis ratio temporis, ut id decenter fiat, haud quaquam exposcere videtur. Sed hortaturi potius, & admonituri, rogaturiq;, insuper, ut mentis tue aciem, qua procul semper intueri, & futura adhuc in occulto posita perspicere, & penetrare solet, ad impendens Reipublica Christiana periculum, ad pullulans iam & exoriens malũ, moxq; nisi cito occurratur, uniuersam Europam inuasurum, dirigere, & intendere velis. Certum enim tibi sit, atq; exploratum, Princeps serenissime, quod



perfidus & subdolis Tyrannus iste, non alia ratione, quam summa perfidia atque simulatione pacem tecum inierit, cum nullum Turcis, Epiroticoq; generi naturale amoris commercium intendere possit, ut quo primum scilicet reliquos Reges, & Principes Christianos tibi vicinos sibi subiecisset, (videbat enim à te, armisq; tuis valde infestari, nec ea sufferre posse) propagatis dehinc viribus, & imperio suo, in nos arma conuerteret. Jam vidimus postquam Barbarus iste tecum pacem composuit, & ab armis viribusq; tuis tutum se esse & quietum perspexit, confestim arma sua in Rastanos populos, & Triballos conuertit, eosq; pessumdedit. Deinde Illyricos debellatus est, Thraces euertit. Gracis è regno deiectis, Trapezuntium imperium expugnauit, vires suas auxit, remq; in maius prouexit. Nunc vero rupto pacis fœdere, omniq; violato iure, in nos arma conuertit. Agrum tuum pariter & nostrum longe lateq; depopulatus est. Ecce Scanderbego Princeps, fides tibi à Barbaro quam belle seruata bellum excitauit, arma intulit, iam ad pugnam prouocat te, & haud perplexè suam indicat vo-

luntatem atque furorem. Ferenda ne hac a quo animo? Tacendum adhuc? Confidendum Barbaro? Standum promissis eius? Dum Christianum nomen euertat, & nos funditus perdat, quum infelix bellum tam ignominiosa paci preferendum esset. Itane igitur oblitum putas Barbarum turpissima illius paterna mortis, quam ignominiose subire a te compulsus est? Adde cades, & calamitates exercituum, ducum, & imperatorum suorum abs te aditas. Cogitat hac omnia rabidus & truculentus Mahumetes, animo continuè voluit, die noctuq; pra oculis habet, ulcisci appetit, atque exoptat. Sed heu Princeps splendidissime, simulat, simulat (crede mihi) arte sua Ottomana utitur, machinatur assidue, quemadmodum dolis, & insidijs suis te capere, te circumuenire possit. Blanditus est hucusque tibi, ut a bello desisteres, arma deponeres, quoad bellum conficeret, ceterosq; Reges & Principes Christianos tibi circumuicinos opprimeret, atque prosterneret, quorum nullum alium praeter te videbat, qui armis suis posset occurrere. Nunc verò postquam omnes alios subiecit tibi, & omnia ei exsententia successerunt, ad te conuertitur. Ita te arma intendit, quo te cum omnibus Epiroticis, & regno tuo de medio tollat, & nos absorbeat, & rabiem suam Barbaram expleat. Quid igitur amplius Princeps optime immorandum? Quid ulterius expectandum? Jam in eo res est, ut Mahumetes iste aut hostis, aut dominus habendus sit. Sumamus nos quoque aduersus eum arma, vires viribus conferamus, exercitus adinuicem coniungamus. Bellum quo nos prouocat ei ultro inferamus. Agrum eius, ut par est, incendamus, diripiamus, nec patiamur tandem nos arte atque insidijs eius circumueniri. Quippe quum nihil aliud molitur perfidus, nihil parat, quam seorsum nos opprimere, donec orba consilio auxilioq; res Christiana, in manum eius sine ulla dimicatione tradatur (Dij meliora) & deploretur in perpetuum communis omnium libertas. Quos si unà coniunctos esse viderit, arma nostra formidabit, vires perhorrescet, vel si instare maluerit, omnino fortasse victus abibit. Sed si seiunctos animaduertit, facili negotio obruet. Ita vnus est hodie potentissimus. Proinde non permittamus hanc pestem, hanc contagionem, hunc morbum in Europa esse, cui nisi celerius occurramus, totam inficiet profecto atque contaminabit. Nosti enim iam Ottomanorum fraudes, nosti dolos, & insidias, quibus omnia sua expediunt, & quaeque maxima perficiunt. Quis vnquam, Princeps inuictissime, valeat huius truculentissimi Tyranni scelera & flagitia commemorare? quibus vel omnes maiores suos longe superat, qui vel domestico ac familiarium suorum sanguine quotidie non satiat, qui etiam rem nostram Venetam aggredi totis viribus cupit, qua (ut nosti) fidei Christiana semper columnen, & propugnaculum fuit, ut ea demum concussa, fracta, atque euerfa, non Epirotas modo, sed alias etiam Christiano-

Venetiq; columen & propugnaculum fidei Christiana.

stianorum nationes suppeditet atq; proculcet. Sed neque hoc solum ferus & immanis Tyrannus intendit, quamuis magnum sit, & viris non tollerandum, verum ut fidem ipsam destruat, & qua sola via est salutis, hominibus interdicit. Errat enim, si quis Mahumetem regiones magis Christianorum deuastare, depopulariq; velle existimat, quam fidem ipsam conterere, & ab hominum cordibus euellere credit. Quid igitur? quid tandem bone Deus nos Christiani speremus à belua ista? qui & fide alieni, & omni viuendi genere ac ratione ab eo diuersi, alieniq; sumus. Itaque Scanderbega Principum inuictissime, Christi athleta & miles accelera, festina, tolle moras, tolle abs te & ceruice tua mala & pericula. Caue tibi, caue rei & imperio tuo, quum possis (potes enim si vis) priusquam mala & pericula te obruant & euertant. Nam postquam tibi (quod absit) euenerint, vobis profecto & non poteris. Ideo (ut mihi videtur) longe tibi melius atq; facilius erit, si antea prospexeris, quam post illatum (ut aiunt) susceptumq; vulnus & ictum, remedium & medelā querere velis. Consule igitur, consule mi Princeps optime quanto tius, ne Mahumetis Principis rabies, pestis, & contagio te inficiat, polluat, atque corrumpat, qui nihil certe aliud quarit, parat, atque molitur, nisi ut te pellectum ad fidem & crudelitatem suam, ad interitum & internecionem perducatur, qui semper Christiani nominis & sanguinis insidiator & effusor, cui Christiana orthodoxaq; fides summopere exosa atq; inuisa fuit, quā totis viribus die noctuq; profanare, scindere atq; perdere studet atq; conatur. Ad quam tutandā, protegendāq; à furore immanit atq; rabidi truculentissimi Tyranni, te Princeps inuictissime, qui athleta & Christi miles vocaris, immosis, Princeps noster, cum vniuerso Senatu suo Veneto inuitat, inuocat. Aurum tibi, argentum, milites, & quicquid in huiuscemodi expeditionibus opus est, abunde pollicetur & offert. Te igitur Princeps gloriosissime sine mora praecege, militem expedi, exercitum tuum & acies instrue, ferrum acue, corripe telum, irruere in Turcas orthodoxae fidei acerrimos hostes, quos facile vicisti semper, & ad vincendum fatalis quadam, & diuinitus tibi data est potestas. Cui nisi celerius occurramus, totā inficiet profecto, atq; contaminabit. Nosti enim iam Ottomanorum fraudes, nosti dolos & insidias, quibus omnia sua expediunt, & quaeque maxima perficiunt. Quis vnquam, Princeps inuictissime, valeat huius truculentissimi Tyranni scelera & flagitia commemorare? quibus vel omnes maiores suos longe superat, qui vel domestico, ac familiarium suorum sanguine quotidie non satiat. Quid igitur, quid tandem bone Deus, nos Christiani speremus à belua ista, qui & fide alieni, & omni viuendi genere ab eo diuersi sumus?

Facto dicendi sine, Scanderbegus non quod incertus sententia esset, sed quia nihil inconsulto milite facere consueuerat, conuocatis ducibus suis,

Et praefectis, diu multumq; cum eis rem discussit, quid agendum, an obsequendum Venetis, et Ottomano Principi bellum inferendum: quibus omnibus placuit, nullatenus esse aduersus Ottomanum arma excitanda, quoniam ipse bellum Scanderbego palam mouere detrectabat, cum et alioquin maiore etiam parte ex praeda, quam (ut assererat) milites sui iocose, et quadam potius militari licetia ex Scanderbegano agro abstulerant, restituisset. Quamobrem Venetus Orator huiuscemodi responso habito, sententiaq; illorum intellecta, re infecta moestus admodum a Scanderbego discedens, ad Paulum Angelum Dyrrachiensem Archiepiscopum diuertit. Quem nouerat apud Scanderbegum, et Scanderbeganos plurimum fide, gratia, et autoritate valere, nec quicquam esse tam magnū, tamq; difficile, quod eis cum vellet, non persuaderet, ut experiretur, si ipse Archiepiscopus vellet hanc provinciam sumere, et cum Scanderbego et praefectis suis ageret, ut Ottomano bellum inferret, contraq; eum arma sumeret. procul dubio namq; fore sperabat, Scanderbegum cum suis militibus in Venetorum sententiam facile iturum. Qui Archiepiscopus (ut Venetorum obseruantis-

Paulus Angelus Dyrrachien-  
ensis Archiepiscopus.



simus erat) reuerentia tanti Senatus mox ad Scanderbegum accessit. Erat hic Archiepiscopus Epirota, ex Driuaſto vrbe oriundus, Andrea Angeli filius, de quo supra mentionem fecimus, vir summo ingenio, et singulari facundia praeditus, excellenti doctrina, sacris humanisq; literis, tam Graecis, quam Latinis apprime eruditus, vita, ac morū grauitate conspicuus, Christiana religionis ardentissimus. Quem Scanderbegus ob illius modestiam vitam cultum, et integritatem summa in veneratione habebat. Epirota, et Albani

Albani omnes tanquam oraculum quoddam audiebant et venerabantur. Qui quum primum ad Scanderbegum accessisset, omnes duces et milites Scanderbeganos in concionem vocatos, quo bellum aduersus Mahumetem sumerent, tali eis oratione persuadere aggressus est.

Faelices, et per beatas fore Respublicas, regna, et imperia, Princeps inuictissime, diuinus exclamat Plato, si eas ab optimis et sapientissimis gubernari contigerit. Quod quidem hac tempestate Albanis nostris euenisse clara luce intuemur, qui a te vno Principe sapientissimo, optimo, duce inuictissimo reguntur. Propterea non immerito omnes Reges et Principes proximi, ac circumuicini, te vnum ducem strenuum, et imperatorem singularem, tanquam caelitus missum sibi delegerunt, ut eorum imperia et regna ab Ottomana rabie, Barbaraq; feritate protegeres, Qui hucusq; praeclare egregieq; armis, prudentiaq; tua, virtuteq; ducum et militum tuorum semper tutati sunt. Nunc vero quum id Mahumetes omnium sagacissimus, callidissimusq; insidiator, et Christiana religionis persecutor acerrimus animaduertet, appetens immanitate sua infandū odium in Christianum nomen conceptum explere, versutus, et calliditate sua Ottomana egit, ut icto tecum foedere cum eo componeres, bellumq; sedares, ne armis tuis, quae summopere timebat, infestaretur. Qui quascunque pacis condiciones, quae tibi placuerunt, per facile concessit. Sed heu, Princeps inuictissime, quis non videt Barbarum hac omnia tecum Barbarica fide gessisse, fraudulenterq; pacem iniisse, ut primum alios Reges tibi vicinos, et Christianos Principes de medio tolleret, dehinc arma sua in te conuerteret, ut effecit? Vbi ubi sunt enim Rasciani Principes? Vbi Illyrici Reges? Quo Trapezuntium, Constantinopolitanum migravit imperium? Nunc nunc demum ad te conuersus rupto foedere, violata fide, agrum tuum longe lateq; depopulatus est. Confederatos tibi assiduis excursionibus perturbat, atque exagitat. Quis enim Princeps nobilissime queat explicare immanissimi huius Tyranni immensum aduersus te odium? An ita mortem Anurathis patris, luctuosas exercituum suorum strages, cadem ducum, et imperatorum suorum multā omissurum putas? Confidis verbis, ac promissis beluae istius? Accipis excusationes eius? Seruabit ne tibi fidem? seruabit, quam nunquam habuit, neq; cuiquam ad hanc usque diem seruauit? Quis vnquam, bone Deus, flagitia huius truculentissimi Tyranni verbis posset recensere? qua tamen silentio inuolui nefas esse duxi. Quandoquidem voluptas quadam est in criminofum, et improbum inuehi, et auctores vitiorum ac scelerum in lucem proferre, illosque nominatim appellare, quo ceteri a vitijs et flagitijs deterriti sese abstineant. Igitur sicut nec virtus merito relinquenda est quin laudetur, sic nec vitium quin vituperetur. Ex utroq; enim idem percipitur fructus

Oratio Archiepiscopi pro bello aduersus Mahumetem inchoanda.



Vita, mores,  
ac facinora  
Mahumetis.

Et ex bonis laudandis, Et ex improbis vituperandis. Iustum est itaque, ut improbi omnes, Et flagitiosi male audiant. Verum Mahumetes hic tyrannus eo magis, quo ceteros sua improbitate excellit, superatque. Cuius quidem vitam, mores, Et facinora, quo notiora sint tibi, illaque effugas, perstringendo quam brevissime percurram. Mahumetes infimo infelicitate loco, humilissimisque parentibus natus est, ea gente, quam Barbarorum pessima locis loca mutare semper consuevit. Nam quum Scythæ Meotici Barbarorum pessimi sint, ipse adhuc turpiore infamioresque loco natus perhibetur. Scythia et enim illius regio est, sed villa Otmanach, ex qua Ottomanorum genus, sive familia originem traxit. Cuius homines se servos esse gaudent, nihil eis progenitoribus turpius, nil vilius. Amurathes igitur eius pater, cui ex genere imperium tenere minime permissum erat, quum ex Ottomana familia esset, qua servitio nata, atque semper addicta fuisset, imperia Asia, aliaque regna fraude sceleribusque occupavit, omnia auxit, atque propagavit, remque a sordidis Et sceleratis profectam inijt eò prouexit, ut iam magnitudine labore sua. Ceterum ut ad mores etiam eius descendam: Mahumetes magna vi animi Et corporis, sed ingenio malo prauoque, humani generis hostis, Et communis inimicus, sanguinis effusor, caput scelerum, Princeps omnium vitiorum, inuitator mortis, Et pater omnium malorum, insatiabilis



homicida. Qui cum talibus natus esset auctoribus, Barbaram intemperantiam immanitatemque seruans, idem semper equabili peruersitate per omnem aetatem fuit. Huic ab adolescentia bella, cedes, rapina, discordia grata fuere. Ibi inuentum exercuit suam, animus audax, subdolanus, varius, cuius-

cuiuslibet rei simulator, alieni appetens, ardens in cupiditatibus, immoderata, incredibilia, semper immensa cupiens. Primo igitur pecunia, dehinc imperij cupido supra quam dici possit, in eo creuit. Mens prauis artibus imbuta, libidinibus non caruit, impudicus adulter, vitiorum inuentor, qua vel ipsa abhorret natura. Hic est Mahumetes ille, qui regnandi cupiditate fratrem iugulauit. Rascianos Principes, Regem Bosnae perfide obtuncavit, cognatos partim in seruitutem Et captiuitatem traxit, partim luminibus priuauit, aut aliqua corporis parte mutilauit. Quid de alijs dicam? in quos omnia suppliciorum genera est expertus, in seipsum profecto videtur seruiturus, si alia adsint, ita trux ingenium illud, ac praeseruida ira nunquam exaturari potest. Namque animus erga Deos impurus, hominibus infestus, perniciem semper machinatur, amicitias, inimicitias non exire, sed ex commodo vendicat, nusquam modum, nusquam modestiam seruat: sceda, crudelia in amicos, subditosque committit, delubra publice, Et priuate spoliatur, sacra prophanat, omnia polluit, omnia rapit, omnia trahit, pudorem, pudicitiam, diuina humana promiscue confundit. Nonne omnes ferè contra scedera subiugauit, interfecit, in seruitutem traxit? Propterea quidnam noui est Princeps splendidissime, si scedifragus Mahumetes fidem tibi non seruat? Quum omni vitiorum genere contaminatus, scedera illa gentilicia, ac perfidiam hereditariam retineat. Proinde ne confidas Tyranno, ne verbis aut promissis eius stato, sed ab omni eius amicitia abstinens, pacem quam prior ipse tibi scidit atque dissoluit, solutam putato, neque illius gratia bello eum persequi super sedeto. Consule, consule iam tibi, regnoque, ne Barbarus insidijs atque dolis te tuosque opprimat. Nihil cogitat subdolanus, nihil molitur perditus veterator, nisi quomodo fidem Christi expugnet atque obruat, pro qua (ut scis) semper insudare atque laborare proposuisti tibi, Et iuramento affirmasti, teque sepius dixisse memini, ad hanc tuandam, defendendamque, te natum, procreatumque fuisse. Cur igitur (pace tua dixerim) arma deposuisti? Cur militum tuorum animis ocio luxuriantibus, fidem Catholicam iam a Tyranno oppressam deseruisti? Bonum commune seposuisti, militia renunciauisti? Tibi tantum soli viuere deligisti? An mediocre discrimen conditionis secuturum tibi ex hoc reputas? Veteranus dux fortissimus bello, compressis manibus sedens? Videbit nunc quispiam (proh pudor) videbit ocio luxuriare, atque euanescere diuidum illud quondam tanti Principis ingenium. At Mahumetes amicus tuus non torpescit, non ocio tabescit, inuigilat, laborat, accelerat, ut Christi Euangelium prophanet, Petri nauiculam subruat, vestem Christi discindat, atque dilaceret, secutus maiorum suorum vestigia, Et Pseudoprophetae sui traditiones. Qui statuit, ut Christi nomen tanquam inuisum, Et prophanum acerrime a suis persequeretur, sanguisque innoxius Christianorum effunderetur absque ulla pietate.

Mahumetes  
fratris occi-  
for.

Argumenta,  
quibus suade-  
tur Scanderbe-  
go, ne fidat Ty-  
ranno.

Studium Ma-  
humetis.

dd Ex quo

## De vita &amp; gestis Scanderbegi,

Ex quo Tyrannus iste fidem Christi semper praeceteris acerrimè insectatus est, in quem Principum inuictissime, si tu nunc arma tua non exponas, vires non excites, illi bellum non inferas, omnes profecto te timidus, formidolosus, & ocio deditum censebunt. An nescis quomodo omnes Christiani Reges & Principes unà cum sanctissimo Pontifice nostro Pio, summo orbis antistite, aduersus hunc Tyrannum conspirauerunt? Quem Deo adiuuante omnino persequi, & extra Europam expellere statuerunt. Iam à summo Pontifice exijt edictum, & per omnia Christianorum ora propalatum est, quo omnes Reges & Principes Christiani veniam peccatorum suorum consecuti, aduersus Turcarum Regem cum ipso summo Pontifice quamprimum exeant, & proficiscantur. Ex quo Veneti tui cum Principe suo, & omni Senatu, tam terrestri, quam maritimo apparatu, unà cum Pontifice maximo nostro ad hanc expeditionem contra Mahumetem te inuicant, & implorant, teque Principem, ducem, & totius Christiani exercitus generalè Imperatorem praesciunt. Et quamprimum Pontifex traiecerit, & Dyrrachium intrauerit, in Regem Albanorum & Epirotarum declaraturum te constituit, dignum apprime, cui summa huius belli demandetur. Igitur Scanderbege Princeps felicissime, quid facis? quid immoraris? Aut imperpetuum bellum armaque obliuioni danda sunt, iugumque accipiendum, aut huic, cum quo de imperio & totius rei summa certetur, nec virtute nec patientia cedendum? Excita animum & vires tuas, conuoca duces tuos, & imperatores, contrahere vndique gentes, & populos, inuoca Reges, & Principes vicinos tibi confederatos, instrue acies & legiones, sequere omnium fidelium cœtum, & Christianorum collegium, obtempera summo Pontifici, consequere veniam peccatorum tuorum cum omni exercitu tuo. Ecce Veneti me tui miserunt, ut hac tibi annunciem, te inuicem, te exhorter, quo vires viribus, signa signis, copias copijs conferas. Sunt enim Veneti (ut nosti) Principes Christianissimi, benignissimi, terra, marique prapotentis, qui aurum & argentum abundè pollicentur, offeruntque tibi. Itaque Scanderbege, vere unquam Scanderbege, tu tu prior, Principum decus, copijs tuis Barbaro bellum infer, agrum eius inuade, terrorem & formidinem hosti incute, qui prior te prouocauit, rupto fœdere, fide, & pace violata. Nam leges & iura omnia clamant, permittunt, fidem non seruanti non seruandam. Audacter, audacter igitur Christianum prae exercitum, hostem prior aggredere, Barbaro bellum uniuersale annuncia, & summo Pontifici iter prepara. Nam ecce iam Pius, ecce Veneti tui, ecce Francigena, Hispani, Belgae, Hungari, Boemi, Poloni, Itali, & omne Christianum nomen te sequitur, tibi adest. Ex quo fieri non potest, Barbarus tot Regibus & Principibus, tot copijs & exercitibus ut resistere valeat. Ideo fugam statim arripiet, Europam deferet. Non proderit superbia Ottomanis, non doli, non insidia, non fraudes solita eum leuabunt. Aduertendum est tamen, & prudenti

Pius secundus  
contra Turcã.

Edictum summi Pontificis  
contra Turcã.

Vbi Germani?  
Hic videtur  
ingenium Italicis  
scriptoris.

denti animo praecauendum, quod callidus Mahumetes hac omnia praesentens, statim nuncios & Oratores suos ad te destinabit, quo alliciat te, ut arma deponas, ut violatam ab illo pacem serues. Auerte tamen animum à malefica eius natura, occlude, obstrue aures illecebris. Iam illius noscitur ingenium, sat odoratus es hominem, & Ottomanæ gentis fraudes, vel (si quisquam) optime perspectas habes.

His à Dyrrachiensi Archiepiscopo magno spiritu peractis, Scanderbegus inito consilio, rem sub longa ac diligenti examinatione pertractauit. Duae tandem praecipue, eademque contraria sententia fuerunt elicita. Altera, ut bellum nullatenus cum Ottomanis fieret, sed pax omnino cum eo inita seruaretur, eoque maxima inde commoda eis proficiscerentur. Nam omnes populi, Scanderbegi vrbes & ciuitates locupletatae fuerant, quotidie in maius excrecebat id commodum: adhuc ferè omnem pradam, quam Barbarus ex agro Scanderbegano abstulerat, ei cumulate restituerat. Altera huic mens longe diuersa effluxit. Bellum omnino Ottomanis Principi mouendum, nec eius fidei vllatenus standum, quam nunquam alicui, & praesertim Christiano seruauerat, praesertim quando ipse prior Scanderbego pacem rupisset, & iura fœderis violasset: neque Tyranno credendum, aut promissis eius fidem habendam, quum dolose Scanderbegum alliceret, audiens omnes Reges & Principes Christiana religionis aduersus eum conspirasse, & arma iamiam ex omni Christiano orbe in eum ruitura. Eo proinde timore pacem se Scanderbego seruaturum polliceri, aliàs neque pacem seruasset, neque pradam restituisset. Propterea nihil immorandum, sed bellum intrepide, & alacri animo aduersus communis fidei hostem excitandum. Cuius salus esset, proprio etiam bono, & saluti praeferranda, praesertim quod ipse Pius Pontifex maximus, cum omnibus Christianorum viribus in eum conspirasset. Hac igitur sententia tanquam magis religiosa, & efficax, quum ipsi Scanderbego, maioriq; parti procerum, & ducum, & praefectorum placuisset, hanc veluti uniuersale bonum, publicumque commodum elegerunt, statueruntque, ut bellum aduersus Mahumetem excitaretur, & arma pro tutela Christiana Reipublica inferenda essent. Praeterea honestum ac sanctum videbatur, summo Pontifici Dei vicario, ac uniuerso Christianorum collegio adherere. Adhuc obtemperandum etiam ipsi Dyrrachiensi Archiepiscopo, ipsiusque monita & consilia tanquam mandata seruanda. Cui propter vitæ grauitatem & sanctitatem, summam fidem praestabat, cunctaque eius consilio faciebat, qui ex more regio Scanderbego semper aderat, à quo omnes res gestas, & historias tam Graecas quam Latinas didicerat, Scanderbeganisq; ducibus ac militibus maxime dilectus, gratusque erat. Decreto igitur aduersus Ottomanum bello, mandatum est ubique locorum delectum fieri, exercitum cogi, praefectis & castrorum ducibus, ut

Diuerſa ſententia de mouendo bello in Turcam.

bus, ut preparato, instructoq; exercitu adesse festinarent. Quo facto, Scanderbegani milites, precipue illi, qui in limitibus custodia causa debebant, summa vi & impetu in Turcicum & hostilem agrum irruerunt, quem longe lateq; depopulati, maximam inde prædam secum abstulerunt. Nam 60. millia bouum, 80. millia pecorum, tria milia equarum cum pullis suis, qua de turma (ut aiunt) & ipsius Mahumetis Principis grege erant, inde abegerunt. Qui quum ad intima Barbarorum loca penetrassent, & omnia igni, ferroq; euertissent, nullam felicem arborem, nihil frugiferum in agro relinquentes, ingenti terrore atq; formidine cuncta repleuerunt. Qua omnia quum Mahumetes percepisset, vehementer in Scanderbegum commotus atq; succensus est. Sed postmodum fronte reducta dolorem suum suppressens, vultu admodum hilari, hæc dixisse fertur: Quid mihi Scanderbege ista, qui Orientis & Occidentis principatum teneo? Tamen contra eum ultionem animo concipiens, in eius perniciem & ruinam iurauit. Sed quia Christianorum arma iam in se concitari, & copias moueri præsenferat, valde perterritus, arte sua Ottomana, illecebris Scanderbegum capere, & sibi reconciliare excogitauit. Circumferebatur iam ubiq; Pium Pontificem maximum, contractis undiq; viribus, & copijs omnium Christianorum in unum coactis, propediem aduersus Ottomanum egressurum, qui ut primum in Epirum & Albaniam traiecisset, in vrbe Dyrrachina post rem diuinam factam, Paulum Angelum eiusdem vrbis Archiepiscopum, de quo superius mentionem fecimus, in culmine præsulatus, & secundam à summo Præsule, & Pontifice maximo dignitatem, quam nunc Cardinalatum appellant, insignire, atq; sublimare, Scanderbegum verò in Regem Albanorum & Epirotarum declarare. Quem etiam omnibus copijs Christiani exercitus aduersus Mahumetem generalem (ut aiunt) Imperatorem præficeret. Quamobrem à Barbaris undiq; circumferebatur, si in tali expeditione Christiana, aduersus Ottomanum Scanderbegus egressurus esset, proculdubio Christiano victoriam adiudicandam iri, & de re, Ottomaniq; imperio victum, desperatumq; fore autumabant omnes, & asserebant. Tantus terror, tanta formido Scanderbegani nominis eos inceserat, adeo formidolosum, adeo horrendum apud Turcas illius erat nomen. Ideo Mahumetes omni arte, ingenio, & calliditate sua laborabat, ut Scanderbegum ad se alliceret, & cum eo ex integro componeret, hincindeq; iuramento præstito pacem vallaret. Cui etiam huiusmodi literas scripsit:

Turca cogitat  
in perniciem  
Scanderbegi.

Paulus Angelus  
Archiepiscopus  
Dyrrachinus fit  
Cardinalis.

Literæ Mahumetis  
ad Scanderbegum.

Mahumetes Amira Soltanus, Orientis atque Occidentis Imperator, Scanderbego Principi Albanorum, Epirotarumq;, S. P. D. Fidem tuam & probitatem, Scanderbege Princeps nobilissime, semper admiratus sum. Propterea non planè credibile mihi fuit, te magnanimum & generosum Principem, fidem & pacem, quam mecum iam pridem inieras, tam facile

& te-

& temerè soluisse. Nam (ut audio) maxima manu fines meos transgressus, omnia igni, ferroq; deuastans, maximam inde tecum prædam quidem abegisti. Cuius quidem rei causam Venetos fuisse, mihi certum exploratumq; est, quorum consilio & suasis ad hoc faciendum impulsus es. Nam



eorum illecebris, calliditate & astu seductus, mihi bellum intulisti, ruptor fœderis, violatorq; gentium iuris factus. Idcirco exiguo, aut nullo potius tibi vitio esse dandum censeo, causam magis ignominia intuens, quam ignominiam ipsam, sed omnem in eos culpam reijcio, qui mihi semper hostes & infensi fuerunt. Sed quid hæc mihi Scanderbege? qui tot & tanta possideo, adeone graui quadam iactura imperium nostrum afficere putasti? dum prædonis magis cuiusdam, quam hostis more in agris nostris depopulandis, & abigendis pecoribus tam insolens es factus, quod ego tamen neque iniuria loco duco. Sed perge, age, si ita æquum videtur tibi. Pluris nanque ipse facio amicitiam, & benevolentiam tuam, quam omnia, qua mihi sunt chara, quod te (ut scis) semper vnice dilexi, & eximio quodam amore sum prosecutus. Nam quoties tenellam ætatem illam nostram, & consuetudinem, dum vnà in regia patris mei Adrianopoli commorabamur, in memoriam reuoco, non possum equidem non omne officij genus debere tibi. Propterea Scanderbege mi, te etiam atque etiam rogo, & hortor, ut priores pacis nostra conditiones renouantes, eam iureiurando ex integro confirmemus. Nam si illa prius iuramento hincinde vallata fuisset, nequaquam à Venetis te seduci, aut circumueniri permisisses. Quamobrem opus est, ut nunc denuo fœdus inter nos & pacem iureiurando sacris hincinde adactis perpetuo muniamus atque confirmemus.

dd 3 Quod

Quod si feceris ( ut spero ) & me audieris, proculdubio tu cum posteris tuis semper regnabis, & tua omnia tibi salua erunt. Sin secus, pœnitebit te ( mihi crede ) quam ocissime. Nosti iam vires meas, quibus an possis resistere, tute consule. Non reguli tui vicini, nō Veneti seductores te poterunt à vi, & furore meo eripere. Nonne Gracos ferè omnes exterminatos vides? Trapesuntium Imperatorem à nobis imperio deiectum? Rasianos Principes, & Triballos euersos? Illyricos prostratos, totiusq; Asia regna, aliosq; Reges & Principes perdomitos, ac subiectos mihi? Sequere igitur Scanderbege consilium meum, promissis stato, non enim falleris mehercule. Mustapha seruo & nuncio nostro, qui ad te venit, de ijs mandauimus, cui indubitata fidem adhibeto. Vale. Ex Constantinopoli vrbe nostra regia, Nonis Maij, à generatione Iesu, M. CCCCLXIII.

His literis acceptis, perlectisq;, Scanderbegus Mahumeti in hunc modum respondit:

Athleta Christi Georgius Castriotus, aliàs Scanderbegus, Albanorum, Epirotarumq; Princeps, Mahumeti, Illustrissimo Turcarum Principi, S. P. D. Admiraris Mahumetes Princeps, quod milites mei ( ut inquis ) contra fœdera, ruptis pacis nostra conditionibus, ingressi fines tuos, maximam inde prædam secum abstulerunt. Cuius rei auctores Venetos afferis, quos hostes tibi acerrimos dicis, subdisq;, quod ista parum offendunt te, tum Principem potentissimum, tum quia propter maximam in me beneuolentiam omnia a quo fers animo, & maxime quod aliorum consilio seductus id adiderim, facili negotio omnia remittis mihi, dummodo fœdus, quod prius inter nos iectum fuerat, eisdem tecum conditionibus iuramento confirmem, impellisq; ad id maxime, admones & hortaris, ut consilium istud tuum amplectar, mihi, & posteris meis mirum in modum profuturum, nisi forte dum Venetis obsequi studeo, malim tuam indignationem subire. Adhac, ut magis deterreas me, enumeras longo ordine gentes, populos, Reges, Principes à te deuictos, & tibi subiectos. Sed quidnam noui ( rogo te per Deum immortalem ) quid tantum admiraris Mahumetes Princeps? & illud primum, quod milites mei id in agrum tuum fecerint, quod à tuis identidem militibus prius in rebus eorum commissum magnopere ( ut debuerant ) dolebant, ac de me conquerebantur. Proinde si ipsi quoque militari quadam lasciuia ( ut tuus est dicendi mos ) ulciscentes illatam, non nouam inferentes iniuriam prospexerint sibi, & damnum damno compensarint, nihil est quod admireris & me accuses. Cohibuissem ipse ( verum ingenue fateor ) homines licet acerrime læsos, sed assensum eorum tantopere ad omne ultionis genus prouocatum, si vel cuncta tu eis, qua amiserant, reddenda curasses, Princeps vnus omnium opulentissime, & liberalissime, vel hanc tuorum licentiam,

centiam, quam lasciuia velamento tegis ( vix pueris dignas ambages ) ut par erat, castigasses. Quamuis enim delicta ubique graua existunt, in rebus tamen militaribus grauissima censeri debent. Quid queso? vis ne me istam tuorum lasciuiam interpretari? tanta præsertim accepta iactura, quos & cohibere prius, & punire post factum potuisti. Accipe igitur tu quoque Mahumetes sapientissime, verba isthac nostra, qua nobis hucusque pulcherrimè & dare, & vendere consueuisti, dum semper fraudi excusationem & speciem aliquam iuris imponis. Illud tamen, quod dum me obtentu pristina consuetudinis, & beneuolentia nostra excusas, in Venetos inueheris, iniuria mehercule facis. Non enim erant Principes optimi, iustissimi, sanctissimi à te tanquam seductores calumniandi. Quid præterea opus Veneta Reipublica consilijs mecum agere, illecebris me allicere? ut tibi sim iratus, te ut hostem persequar, qui soli, soli inquam, quando ita res ferat, & aperte possunt tecum contendere, & facili negotio te superare. Nam quod suades mihi, ut eorum consuetudine abstineam, frustra agis mi Princeps. Quis enim mortalium ita perditus est, ita suis ipsis inuisus, qui non malit vel maxime errare cum Senatu illo, quam tecum optime sentire: ego præsertim, qui & confœderatus eis iam pridem sum, & vnus omnium amicus, quod tu tamen ( qua tua est perfidia ) nihil curasti, agrum eorum in Peloponneso, ruptis pacis fœderibus quotidie infestando, diripiendo. Sed nec mina tua hoc loco deterrebunt me, Ottomane Princeps, quas Barbaro more effundis, in me ingeris, euomis, ni consilium tuum fuerim secutus, nam & pati, quando ita res ferat, & facere fortia Albanum est. Non timorem incuties mihi pusillo regulo cum Venetis meis. Quis tantus ( ut ipse te appellas ) Orientis, Occidentis, & omnium mundi partium Imperator? Risum profecto hoc loco excitasti mihi. Ridet te alij quoq; Christiani Principes. Quomodo ita imprudenter, ne dicam impudenter totius orbis imperium falso vocabulo usurpasti tibi? Quid in maiore Asia possides? nihil certè, an omnia, qua in minori continentur, tua sunt? minime. In Europa quid habes præter Thraciam, Mysiam, partem Gracia, atq; Peloponnesi, Mytilenem, & Tauricã regionem? Aphricam nunquã pes tuus calcavit, Hic ne est vniuersi orbis principatus? Sed finge, finge Mahumet Princeps omnia ab ipso usque Oceano subiecta seruire tibi, non tamen iccirco insurgendum est adeo tibi, ut alios contemnas omnes. Desine, desine gloriari, & disce iam ( si potes ) humana inconstantia singulare documentum. Nam ubi sunt Asirij, qui orbis terrarum quandoque imperium tenuerunt? Vbi Medi? Vbi Persæ? Vbi Graci? Vbi denique Romani rerum domini? Maior certè fuit Tamberlanus ille Scytharũ rex, terror ( ut scribitur ) gentium, quam tu. Qui auum tuum Paiaz, etem illum, qui armis tot, & tanta gesserat, cum 200. millibus in fini-

Argumentum  
manæ incon-  
stantiæ.

in finibus Armenia profligatum, & in fugam conuersum captum, vincumq; cathenis triumphantis more ante currum suum traxit, In cuius



Digitus Dei.

exercitu duodecies centena millia hominum fuisse traduntur, Xerxe, atq; Dario maior, quorum exercitu maria constricta, siccata flumina prodiderunt antiqui, Exterminati tamen sunt omnes ab exterminatore gentium, Mahumet Princeps, digitus Dei omnes extinxit. Disce proinde te quoq; hominem esse cognoscere: noli tantopere copiarum, & exercituum multitudini confidere, sepe namque maiores exercitus minoribus cessisse historiae testantur. Quare non immerito receptum est illud: Nec laudaueris ducis virtutem, nisi quum ductus fuerit ad triumphum. Deum quoq; ipsum meliorem causam fouere, an dubitandum videtur Mahumet? Scis tamen tu beneficis ad totius imperij ius te quicquam praeter Deum habere, omnia violenta esse, omnia perperam a te, & iniuste possideri. Propterea non deest animus mihi Ottomane imperator, tibi tanto rerum domino venienti modo resistere, sed vel prior te intrepidè, & audacter in campum provocare, insignemq; de te (Deo propitio) & sperare, & referre victoriam. Sunt & nobis milites, qui & ipsi tela tractare, procedere ante signa, versari media in mole pugna sciant. Qua igitur de pace iterum firmanda agis mecum? Frustra iam huiusmodi delinimentis me circumuenire quaris, ita est mihi & fides tua suspecta, & benevolentia usquequaq; inuisa. Quippe quum fite semper, & dolose maiorum tuorum mores secutus, quicquid agis, quicquid polliceris mihi, facis omnia, quo facilius euertas me, regnoq; exuas. Enuasi tamen ipse hucusque, Deo autore, insidias tuas omnes, dolos & fraudes omnes.

omnes. Sed breui, breui (ut spero) his omnibus finem dabis, quum non artes ista tua, non insidia vlla leuabunt te, non Ottomanum ingenium, non tumor iste Barbarus proderit tibi, neque tamen vnus ego in te hos animos gero. Longus post me ordo est Christianorum Principum. Ecce namque armatur in te, totisq; viribus contendit, quicquid est usquam Christiani nominis & splendoris. Coniurarunt in te vnà cum nostro summo Pontifice Pio, Reges & Duces omnes, & ad euertendum te, regnoq; spoliandum iam iam aderunt. Quamobrem ego obtentu pristina consuetudinis nostrae, quamuis tu eam grauius leseris, penitusq; violaueris, admonendum tamen de his te duxi mi Princeps, quo diligentiori aliqua consultatione cogitatus omnes colligeres, tibiq; atque regno tuo consuleres. Vides impetum, atque vires tantorum Principum, quas an sic facile possis euadere, non satis scio. Poteris tamen, si me audies, poteris & imperium nomenq; tuum, ex magno maximum, ex felici felicissimum, ex celebri reddere efficerèq; celeberrimum, si perfidia ista, & Mahumetana secta erroribus depositis, ad Christi fidem & veritatem te conuertere volueris, animaq; tua tandem habere rationem. Neque tu quoq; qui altiori spiritu, & ingenij magnitudine maiores tuos omnes longe excellis, ceu hereditario quodam iure, in errore, & pertinacia ista te tuosq; versari amplius patiaris, faciasq; iam sponte tua (ut sapientissimum Principem decet) quod es propediem necessitate factururus. Turpissimum habitum semper est ex ore Imperatoris audire: Non putaram. Resipisce aliquando, tecum habita. Eni offert materiam tibi Deus optimus maximus, quomodo & rerum tuarum statum omnem tranquillū reddas, & omnes te Reges & Imperatores nostri ament, venerentur, obseruent, neq; hac in re te regnandi cupido, ac bonorum istorum, qua possides, sollicitudo excruciet. Quicquid enim iniuste, quicquid illicitè usurpasti, omnia profecto Christiani Principes velut propria & hereditaria, licite & iuste te habere concedent, confirmabunt, sancient. Eris verus Princeps, legitimeq; dominaberis, dummodo fidem hanc, & verum Dei cultum amplectaris. Quam ut primum senties, dolebis per Deum immortalem non maturius cognouisse: dolebis amissi temporis dispendiū, exterminabis, eliminabis, quicquid mendacij, quicquid foetoris apud vos reliquit spurcissimus Pseudopropheta ille Mahumetes. Ex castris nostris 7. Kalend. Iunias, M. CCCCLXIII.

Postquam Scanderbegus huiusmodi literas ad Mahumetem dedit, interim literis summi Pontificis ei nunciatur, quod ipse cum innumeris copijs cruce signatis, contra Ottomanum Principem propediem urbem egressurus erat, & Ancona portum, maritimamq; petiturus, quo inde in Epirum cum vniuerso exercitu traiceret. Vbi primum Paulum Angelum Dyrachinum Archiepiscopum in Cardinalatus dignitatem & purpuram as-

Coniuratio  
Principum  
Christianorum  
in Tur-  
ciam.

Stultissimum  
est ex ore im-  
peratoris au-  
dire, Non pu-  
taram.

Hortatur Tur-  
cam pro susci-  
pienda fide  
Christiana.

ee sume-

sumeret, Scanderbegumq; Albanorum atq; Epirotarū Regem declararet, ipsumq; Christianis copijs praeficeret, ut expeditionē, quam cum omni fidelium cœtu in Barbarum susceperat, totis viribus persequeretur. Quam obrem eum admonerat, exhortabatur, ut copijs praeretur, & Barbaro uniuersale bellum indiceret. Quibus literis coram omnibus Principibus & praefectis castrorum perlectis maximo plausu atq; laetitia, Scanderbegus mox copijs instructis, in agrum Turcicum & hostilem maximo impetu irrupit. Quem longe lateq; discurrens, omnia igni, ferroq; deuastauit, atq; diripuit, & maximum Barbaris terrorem inferens, Mahumeti generale bellum indixit. Verum quum Ottomanus iam iam Scanderbegi literas perlegisset, per idem ferè tempus ad eum nuncius venit, Scanderbegū in agrum suum irrupisse, omnia diripuisse, atq; incendisse. Quo tristi nuncio Mahumetes admodum territus, totusq; ira atq; furore in Scanderbegum percitus, Seremetium praefectum suum cum 14. millibus equitum ad cohibendum potius impetum & furorē eius, quam aliud quippiam praclare agendum contra eum misit. Statimq; ipse Princeps conuocatis ducibus omnibus, & praefectis suis, coram eis sic elocutus est:

Oratio Tyranni ad duces & praefectos suos.

Nunquam dubium mihi fuit, Principes optimi & commilitones mei, vobis omnibus illud vnum esse certissimū, exploratissimūq; regnum, ius, imperium meum omne vobiscū semper fuisse commune. Eius proinde salus,



& incolumitas, non minus cura vobis, quam mihi ipsi esse debet. Nostis enim bene, nostis, quanti vos fecerim semper, ut me ipso apud me non essetis inferiores, quam humane, quā benignè egerim vobiscum, ut non tanquam Regem

Regem vestrum & Principē, sed velut commilitonē aliquē ex vobis vsquequaq; me gesserim. Qui non mihi tantum, sed vobis, vobis inquam, liberisq; vestris vixi, laboravi, insudavi, & ad sanguinē vsq; studium, operamq; meam omnē praestiti, quo regnum vobis pacatum, tranquillum, & vndecunq; maximū redderem, efficeremq;, quo inimicorum impetū omnem propulsarem, propellerem, & ciuitates, populos, uxores, liberos, fortunāq; vestras augerem, illustrarē, extra periculum ponerem. Effectum, effectumq; est ita diuinis auspicijs, ut omnia duce tamen virtute, fortitudineq; vestra, ex animi sentētia cesserint nobis. Nihilq; ferè hodie vel peragendum, vel optandum super sit vobis duces inuictissimi, quod vel ad nominis splendore attineat, vel ad imperij amplitudinem. Quid enim enumerem domitā iam Asiā omnem, peruictā Thraciam, expugnatos Triballos, subiectas vtrāsq; Mysias, debellatam Tauricā regionem, Alycarnasem Regem è sede deiectum, Principes Illyria expulsos, Pannonos profligatos? Quae regio est (rogo vos per Deos immortales) quae tellus fortissima, ferocissima, quam non arma vestra penetrarint? Qui populi, quae gentes indomita & inuictissima, quae nomen, virtutemq; vestram vel non timuerint prius quam senserint? Nunc verò (pro pudor) quid istud dedecoris est viri Principes? Quis tantus rerum tumultus? Vnde nouus & insuetus timor hic? Tantos nimirum rerum euentus pertimescitis? quos ignauus, subdolosq; Christianus iam iam minatus vobis. Persuasit, itane persuasit omnia vobis (quae vestra est leuitas) Scanderbegiolus ille doli totius artifex, inexhausta malitia caput? Vultis, vultisne ita facili negotio homines fuga magis quam virtutis memores, absq; pugna, absque contentione imbelli, inutiliq; Christiano concedere ea, quae cum maiores vestri, tum ipsi vos tot sudoribus, tot vulneribus comparastis? Cur enim liberius mihi apud vos loqui non liceat pro rebus, pro liberis, pro fortunis vestris? Non disputare apud vos de rei totius statu? Non accusare vos vnquam licebit mihi, quos & seruaui hucusque, & nunc maxime studeo conseruare? Vultis ne sic absque cade, absq; cruore destituta Europa, quam tanto & desiderio & labore possedistis, in Asiam turpiter confugere, & rem, statumq; vestrum cuius mortalium optabilem, hoc ignauo animi torpore vltro relinquere? Quare nihil hosti in vniuersa vita optabilius, nihil iucundius esse posset. Sed age tuti ne in Asia eritis? vbi que gentium persequi vos non abstinebunt. Quò vertemus? Quae spes reliqua nobis futura? Quis Rex aut Princeps nos excipiet, gentem omnibus inimicam aequae ac inuisam? Idcirco fortasse quia quicquid habemus, quicquid posidemus, alienum esse, violentumq; dicunt, sed iniuria mehercule. Dictum est enim, & vere mehercule dictum: Quodcunque pes equi tui calcauerit, id totum tuum sit. Nihil mortales in hac vita tulerunt secum. Nihil horum quae hic sunt, cuiquam proprium esse

Narrat suas vi-  
storias per cō-  
pendium.

Scanderbegio-  
lum vocat in  
contemptum

esse potest, omnia fortium virorum sunt. Deus omnium est dominus, & aperto campo cuncta in medium posuit. Quibus igitur eius nutu & permisso potiti sumus, qua omni merito iure sumus adepti, & diuina voluntate per tanta temporum interualla possidebimus nunc, nunc sunt nobis pertinacissime tutanda, seruandaq;. Quamobrem, commilitones fortissimi, audite, animis adeste, nolite terreri, ne hostibus magis atq; magis audacia increfcat, sed una omnes, ut par est, consilijs non tumultuosis, & turbidis, sea sedatis, & quietis rem tantam capeſite, cogitatus vestros confirmate. Si pulchrum ducitis vos, vitamq; ipsam, tot regna, tot imperia diuinitus permessa vobis, uxores deniq;, liberos, fortunasq; vestras contra Christianam rabiem & furorem protegere, atq; conseruare, arma vestra intrepidè, audacter in Christianos sumite, acriter aduersus eos ( ut consueuistis ) pugnate. Neq; magni negocij atque operosa res videatur, quod auditis Christianorum Principes communi quadam concordia & consensu in nos arma excitasse. Nihil est adhuc vobis de summa victoria ambigendū. Quid tandem est, cur cælum ac terras misceant? Edocti estis sapenumero gentem istam, quam ignaua sit, quam imbellis, nullorumq; neruorum. Ignauisunt omnes, timidi, languidi, somnolenti, ocio assueti, delicijs & voluptatibus dediti. Omnes in plumis, omnes in Venere educati, in curia, in Senatu, pugnaces verbis, non rebus animosi, ocio semper affixi harent, in foro viuunt. Nullum neque bellandi studium, neq; belli artem tenent, neque laborem corpus, neq; animus perferre periculum potest. Molles habent artus, & delicatos, non dura assueti disciplina. Aestus, frigoris, inedia, laboris, penitus impatientes, non cura militaris gnari, ut vos Comilitones amantissimi, qui quot milites estis, quot bellatores fortissimi, tot videre videor mihi optimos imperatores. Qui vitam omnem in expeditionibus, & totas ferè noctes in armis & insomnes ducitis. Nihil ita durum, ita difficile, asperum, quod non vobis & lene, & facillimum videatur. Qui ex tanta periclitandi assiduitate, hi estis periculorum contemptores effecti, ut non modo non nolitis timere, sed etiam non possitis, qui spreta plumarum mollicia, duros artus duriori iugo disciplina premitis in bello & pugna, paucis minimisq; contenti humi procumbitis, dura & extrema omnia pati assueti. Ita ad victoriam contenditis, ita properatis, ut nihil quod sitis passuri, sed quo peruenturi tantum cogitetis, vulnerum prorsus, mortisq; immemores. Hac sunt, duces optimi, fortissimorum, hac optimorum militum studia, hac officia, hæ artes, hac vera militaris disciplina, hi strenuè pugnant, hi facile superant, hos certa manet, hos indubitata victoria. Contendant igitur ad nos Christiani loquaces Principes isti, veniant magnifici adhortatores, verbis tantum feroces, operum militarium expertes, nescio quo fato, diu forsan longumq; huiusmodi expeditionis re-

nis re-

nis recordaturi, quum non ingenium, non artes vlla eos leuabunt, non facundia proderit, non erit eis concionibus utendum, non enses ( ut solent ) muliebribus coccinandi speculis, sed hostili cruore aspergendi, quum strenuus ab ignauo, ab imbelli bellator exterminabitur. Hi ne timendi vobis milites prestantissimi? His cedendum? quibus nihil humilius, nihil contemptius reperiri potest. Quid miraculi conspicio, in ancipiti sententia nutat animus. Ponite quaeso ante oculos vniuersi, ponite singuli, facti huius dedecus, atque indignitatem. Reuocate animos, pristinam excitare virtutem. Itane abiit omnis maiorum memoria? Nihil illius sanguinis superest? Nil mouet præterea fortuna foelicio, qua in omni vos expeditione, & maximis bellorum motibus est semper ex animi sententia, & comitata, & secuta? Nihil efferunt tanti rerum successus? Vt imini proinde ( si Dijs placet ) tanta rerum occasione. Viderunt tumultuosi Christiani isti, habent in oculis adhuc luctuosa fortuna sua non vetustum, sed recens exemplum, contractas, contritasque reliquias Varnensis & Basiliensis prælij. Quid de Græco imperio? Quas vires rerum? Qui motus? Quantæ mutationes? Omnes tandem sub hasta venierunt, sed clamant rapacissimi temerarij, & fugacissimi defendunt ignauiam suam, excusant imbecillitatem casus fortuna, ac suorum perfidiam detestantur, non vestram admirantur virtutem. O ridiculum remediij genus, hos Imperatorum inscitia amisit, hos militum socordia, hos belli fortuna absumpsit, illos intestina seditiones, alios credulitas nimia, & perfida domesticorum exitia tradidit, atque alijs deinceps nocuit dissolutior hostium contemptus. Siccine igitur hos venientes timetis, nedum venturos existimatis, Viri fortissimi? id quod maxime optandum vobis fuerat, & votis omnibus expetendum. At ego ( ut efferam planè quod sentio ) nec venturos puto, domi se continebunt ( mihi credite ) nec inuiti, deponent minas istas. Demittent animos ridiculi bellatores. Satis pugnatum videbitur eis, si hostem prouocarint. Laborant præterea seditionibus assiduis, factionibus agitantur. Omnes præesse, omnes imperare volunt, parere nemo, tanta inter eos animorum diuersitas, multi sunt inter illos Reges, multi Imperatores, quilibet in consilia sua pro libito voluntatis fertur. Nullus commune bonum & commodum procurat, simulant Christiani inter se, ambitiosi sunt omnes, cupidi omnes, odia inter eos maxima, consensus nullus, obedientia nusquam, in quibus tota vis imperij versatur, in bello præsertim, namq; his deficientibus, res militaris omnis ruit, nedum claudicat. Præter hæc, mutua cade gaudet gens ista tam sancta, tam religiosa, vltionem inter se quotidie, & insidias parant. Quas ob res, qua perfidus transfuga ille Scanderbegiolus ad nos literis suis tot minis & terroribus scripsit, contemnite aequè, ac irridete. Coniurauit sci-

Christianorum discordia inter se.

Comēatus ro-  
bur belli est.

licet in nos omnis Christianorum cœtus, & turba, unâ cum Principe suo, quem illi Papam appellant, quem illi ut nos Calliphum nostrum venerarum. Conspirauerunt omnes fidei illius Principes & Reges, iam arma commouent, ut nos omnino persequantur, Europam patrimonium eorum iniuria à nobis occupatam vendicent. Secum nimirum moliuntur hæc, secum videlicet loqui didicerunt, non stulti homines, ita est unusquisq; sibi bonus interpret. Sic & Agamemnon apud Homerum die quadam antequam sol occumberet, sacros Troia muros diruere volebat, sed auersos oculos tenebat Jupiter, ridebat hominis vota. Properant Christiani ad comparandam sibi singularem gloriam, sed perinde difficilem, augebunt, ampliabunt (fidem meam obstringo vobis) rem, imperiumq; vestrum, dum absorbere cupiunt. Quid enim (ut cætera omittam) de rerum, ac locorum incommodis dicendum? quid de comēatibus, caterisque impedimentis? in quibus vel maxime stat robur, & subsidium belli. Nonne omnia, qua deerunt eis, vobis in expedito sunt futura? Locus ipse præterea vos tutabitur, & rebus omnibus affatim armabit, ad inferendam magis, quam ad recipiendam iniuriam idoneus, & tam ad inferendum, quam referendum pedem fidelis & habilis. Domi pugnabitis, ubi cuncta vobis affatim respondebunt. Incitabunt ad pugnam omnia, suggerent omnia vobis animum, & modum vincendi. Hinc seniorum parentum lachrymæ, hinc paruulorum liberorum oscula, hinc dulcium vxorum amplexus. Gentes ipsa demum, qua auspicia vestra sequuntur, fidem pertinacissime seruant, nullis consilijs opus erit, non stimulis, non hortaminibus, accenserunt omnes, fruuntur, hortatur, cogit unumquemque commune periculum, commune suorum exitium, vocat aequè cunctos aqua belli fors, monent rerum maximarum vices, ac euentus. Hic vna libertas, hic seruitus perpetua, hic totius rei summa versatur, hic patriam, imperium, liberos, fortunasq; vestras, omnia in alea posita videtis. Agite ergo viri ipsa virtute maiores. Huc omnes gradum sistite, animos firmate, dum tempus agit rem consulite, ne enerues Christiani isti (nisi instituti huius eos fortasse pœnituerit, & satius domi se continere tandem existimarint) ignaros nos & imprudentes operiantur, adorianturq;. Quippe quum in omni actionum genere euentus maxime in periculo esse solent, quos non diligens aliqua, & expedita consultatio antecesserit. Quin etsi contemptibilis gens ista aequè ac superstitiosa, vel sua sponte (ut moris sui est) ab incepto desistere maluerit, vel demum quispiam eorum consilia, & rem suo ipsam molimine grauem prauerit, ipsi vltro in eos progrediamur, vltro irruiamus. Sic & impostherum quicquid periculi è medio tollemus, & superabimus forsitan omnes, (ut vno verbo cuncta absoluam) ita superabimus, ut hodie orbis totius imperia sint in vos facili negotio peruentura, quod di-

uni-

unitus est genti nostræ promissum, ut ex astrorum scientia didici. In qua diuina arte (ut nostis) vel ab ineunte ætate opera plurimum impendi, & ex ea fructus maximos capi, quam qui rectè tenent, neq; falli, neq; errare queunt. Vniuersam namq; mundi huius machinã à superioribus motibus atq; stellis gubernari nemo ambigit. Non deerunt præterea vobis (ne domo discedam) milites fortissimi, non validissimi exercitus, non multitudo, ac penè innumerabilis copiarum immensitas, non equi, non arma optima cuiuscunq; generis, non tormenta, non qui eis perire vtantur, qua ad victoriam comparandam sunt potissima, cum astrorum benignitate, & Deorum auxilio discesserimus. Quod verò ad Scanderbegum attinet, qui tantis rerum successibus ferocior factus, fines nostros quotidie infestat, Macedonia vestibula obsidet, & ad nos literas omni tempore, ac nuncios mittit, nouum doctrinæ genus suadet, quod seipsum malè docuit, extirpabimus (quando res ita feret) delebimus. Extinguemus vno ictu totum hominem cum omni gente & posteritate sua, & si viuus forte aliqua in manus meas venerit, adam in nephario corpore illo omnia crudelitatis exempla. Ita vnus omnium maxime tanquã lerna quadam malorum (ut de patris morte taceam) animum meum offendit, remq; & imperium nostrum afflixit, tot ducibus, tot Principibus, tot fortissimis viris absumptis. Sed indulgeat nunc aliquantulum stultitia sua stultissimus hominum, desipiat, gloriatur regno isto suo atque ambitiosa paupertate, quousque sibi fata permittunt, quando quidem hodie maiora nos rerum pondera vocant.

His à Mahumete peractis, omnes eius duces, & castrorum præfecti, vno eodemq; consensu summam & inuiolabilem fidem Ottomano, summamq; obseruantiam iureiurando sanxerunt, non tempore vlllo laboribus aut periculis parcere, sed omnia sua, vitamq; etiam ipsam, si ita exigeret res, pro Ottomana familia dignitate, pro sui imperij amplitudine semper intrepide exponere polliciti sunt. Adeo nullum periculi genus animo cuiuscunq; obseruabatur, sed publicum imperium, seruitiumq;. Cæterum Mahumete in præsentia paulum omisso, Scanderbegum repetamus, qui ingenti onustus præda cum militibus suis lat abundus ex hostili agro in castris reuersus est. Cui illico nunciatur, Seremetium Mahumetis præfectum cum maximis copijs in finibus Thraciæ & Macedoniæ aduentasse. Cui occurrere Scanderbegus omnino statuit, ut cum eo (si posset) congregaretur. Venerat ibi Seremetius cum 14. millibus militum, ad agrum, & fines tutandos, ne facilis Scanderbego pateret incurso, qui copias suas partim in Ocridam urbem, qua nunc ab incolis Alchria nuncupatur, partim verò extra urbem, & in suburbis collocauerat, ubi circumquaerq; castrametati erant. Erat enim prope urbem lacus, ex quo Drino flumen exordium suum habet, ingens, & piscium copia ac diuersitate admodum celebris. Quò cum Scanderbegus perue-

Turcæ ex astris colligit orbis imperia sibi promissa.


Mittit atrocia Scanderbegi.

De aduentu Seremetii præfecti cum exercitu, ad fines Thraciæ, Macedoniæq;. Ocrida vrbs, dicta Alchria.



peruenisset, ad tria millia passuum inde procul se occultans cum decem millibus equitum, peditumq; in insidijs stetit. Ad hostemq; quingentos equites expeditos pramissit. Quibus Peicum Emanuelis, & Petrum Angelum Drivastensem Andrea filium praefecerat, viros tam genere, quam factis claros, quo illum (si possent) ad pugnam & certamen prouocarent. Nouerat enim Scanderbegus ibi esse quaestorem quendam omnium vectigalium & tributorum Mahumetis, virum pradiuitem, & bellicosum, ac pugna percupidum, qui facile ad pugnam prouocaretur. Iniunxerat autem Scanderbegus militibus suis, qui ad prouocandum hostem profecti erant, ut si hostis erumperet, & ad pugnam egrederetur, ei frigide resisterent, retroq; pedem ferendo fugam simularent, ut is fugientes insequutus, ad locum insidiarum perueniret, in quo ipse eos expectabat, sicque est effectum. Quo ubi Scanderbegus hostem appropinquasse vidit, repente ex insidijs prosiliens, summo impetu eum ex omni latere adortus fudit atq; dissipauit. Casi sunt ex hostibus supra 10. millia, plures capti: inter quos ipse quaestor cum filio

Victoria Scanderbegi contra Seremetium.



praefecti castrorum, & alijs 12. magna autoritatis viris, vincti ad Scanderbegum deducti sunt, qui 40. millibus aureorum se redimerunt. Quibus donata à Scanderbego libertate, vniuersa eius castra donis & muneribus impleuerunt. Reuersus itaque Scanderbegus in castra, & ad proprios agros victor, cum copijs ingenti gaudio expectabat, ut Christianus exercitus, & cruce signati transfretarent: sed fortuna inuida, & maligna, qua nemini mortalium longo ocio, longaq; voluptate frui permittit, omnia in subitum maerorem conuertit. Nam ecce paulopost Scanderbego nunciatur,

tur, Pium Pontificem maximum, qui cum Christianis copijs, & cruce signatis aduersus Mahumetem egressus fuerat, cui etiam Princeps Venetus cum Senatoribus suis, & insigni maritimo apparatu occurrerat, ut primum pedem in Ancona urbem intulisset, vitam cum morte commutasse. Ex quo Christianus exercitus, & omnes cruce signati hincinde diffusi, passim dispersi, ad propria rediere. De cuius viri laudibus pauca in medium afferre decreui, ne vnus omnium viri illius virtutes reticuisse videar, cum autores ferè omnes de eo accumulatisime, elegantissimèq; scripserint. Fuit autem Pius, qui prius Aeneas Syluius poeta vocatus est, patre Syluio, matre Victoria, Senis ex nobili genere, & peruetusta Picolhominea familia oriundus, virtute prestans, vita sanctitate conspicuus, studijs humanitatis praecipue excellens vir, in quo ambiguum erat, doctrinam maior, an eloquentiam fuerit. Grata hominis praesentia, blandi mores, vita in omni aetate nitida. Religionis zelum, salutem, ampliationemq; fidei Christiana querens, eiusq; cultor, ac maximus propugnator, quem per Ecclesiasticos dignitatis gradus profectum, sacer Senatus Cardinalium in Pontificem maximum elegit, & omnes Christiani Principes tanquam caeleste quoddam numen, & altissimo domicilio demissum in terram, omni pietatis cultu veneratus est. Fuit etiam Pius omnium nostri seculi fortunatissimus, Princeps pacificus, & omnium ferme pater, ac magister, qui ea aetate nostras, aut Gracas professi sunt literas. Admirabilis profecto vir, & omni ueneratione dignus, qui omnem aetatem suam legendo, docendo, scribendo percurrit. Scripsit enim complura volumina, tam diuinas quam humanas complexus res. Contexuit historias multas, ac varias, cum locorum, & totius ferè orbis situ, qua nunc singula referre non est opus, cum ea adita per manus omnium quotidie perlegantur. Magnus profecto, & clarus Pontifex, contempsit pecunias, virtutem apprime dilexit, neque secundis rebus intumuit, neq; succubuit aduersis, neq; spes ei gaudium, neq; metus tristitiam auxit. Potus, cibiq; parcissimum fuisse tradunt, Diuina officia interdum noctuq; nunquam neglexisse. Pompas seculi fugerat, calcauerat auaritiam, libidinem subegerat, sedatus animus eundem semper eius vultum ostendit. Durus & asper in hostes Christi, promptior in fide receptis. Euangelij non surdus auditor. Omnia inter Christi pauperes erogauit. In quo ea a principio modestia, ea grauitas, id acumen ingenij, id studium literarum, is amor virtutis emicuit. Cum primum vero Pontificatus apicem adeptus esset, magis effulsit. Multa in Turcas parauit, Reges & Principes omnes concitauit. Sed dum hac molitus, à fatis de medio sublatus est. Cuius quidem occasu tantum Respublica Christiana detrimenti suscepit, ut adhuc eius obitum maxime lugeat, cuius consilio, auxilioq; semper usa est. Cum emergere, respirare, & iamiam in portu, & in tuto propediem se fore

Pius II. Papa, Anconensis.

Vita Aeneas Syluij.

ff spera-

speraret subito, & inopinato illius casu afflicta est, & nunc consternata admodum, & à Barbaris undiq; exagitata plurimum mœret atq; tristatur. Quo certè tristi nuncio Scanderbegani milites, qui prius de victoria gloriabundi cum triumpho venerant, tanquam fulmine icti, dolore quâ maximo penè confecti sunt, quod huiuscemodi expeditio à Christianis contra Mahumetem suscepta, in irritum cecidisset. Sed magnanimus & inuictissimus Princeps Scanderbegus nihil admodum ex hac ruina, & Christiana calamitate territus est, neq; dolore percussus, sed hilarem in milites suos vultum præferens, convocatis militibus, & elevatis oculis ad cælum, sic religiosissime clara voce locutus est:

Ut Scanderbegus tulerit mortem Pij 2.

Dominus meus & Deus meus, cunctorum cognitor, qui nosti omnia antequam fiant, cui præterita & futura tanquam præsentia patent, & in conspectu tuo sunt, à quo omnia in vero & recto iudicio fiunt, qui cuncta optimè regis atque moderaris, cuius diuina & immensa sapientia à fine ad finem usque pertingit, & omnia suaviter disponit, vota mortaliū, & desideria nostra quandoq; frustraris, nec nos permittis semper his ex animi sententia potiri. Quæ & si quidem bona nobis & utilia apparent, in conspectu tuo tamen longe aliter se habent. Multa etenim profecto, quæ nobis videntur profutura, maxime aduersa à te fore dignoscuntur. Namq; (ut quod intendit meus iam exprimat animus) nulla est ita magna ciuitas, aut populus, qui si foris hostem non habeat, domi nō inueniat, cum quo certet & contendat, quo etiam præualida corpora ab externis causis tuta, suis se viribus premunt, & onerant. Utinam Romani Carthaginem sibi æmulam, & aduersariam non euertissent, hostem foris non sustulissent, quo haberent quem semper timerent. Nam ciuilibus inter se bellis non conflagrassent, arma in seipsos non conuertissent, res eorum & imperium nunc forte stare. Nam timor externus, qui optimus tutor, & maximum domestica concordia vinculum esse dicitur, eos tutatus esset, atque conseruasset. Ita nunc dicendum forsitan nobis nec iniuria, de Christianis & fidelium populo. Quis si hostem foris non haberemus, aduersario careremus, qui nos sollicitatos & timidos teneret, procul dubio arma propria in nosmet ipsos conuerteremus, & domesticis, ciuilibusq; bellis unâ omnes rueremus. Igitur nequaquam inutile Christiano populo fuisse existimo, quod hæc Turcica & hostilis expeditio modo non processerit, ne dum hostem fugeremus, magis dolendum, & truculentiorē domi pararemus nobis incendium. Quamuis fatendum est indubitanter illud, atque pro certo habendum, Ottomanum imperium, quod vi, insidijs, & pessimis artibus exortum atque auctum est, & diuinis humanisq; obrutum sceleribus, cito casurum esse, periturumq;, quia malè parta (ut sapienter dictum est) malè dilabuntur, & nemo diu tenet violenta imperia. Rem verò Christianā, & Petri nau-

Ottomanum imperium malè partum.

naviculam diuino ore fundatam atque erectam perpetuo duraturam certum est. Ex quo Deus omnium domine, & rex omnipotens, qui longe nobis utiliora atque meliora quam ipsi postulare nouimus, tua benignitate dare atq; cōcedere dignaris, te supplices humiliter deprecamur, ut mala & peccata nostra diluas, fidemq; tuam, & populum Christianum à rabie & Ottomanano furore defendas, quem hic truculentissimus Tyrannus Mahumetes continue persequitur, suaq; immanitate perdere atq; euertere conatur. Caterum dimisso nunc paulisper Scanderbego, ad Mahumetem Principem me conuertam. Qui audit a fuga & cade suorum militum, qui cum Sere-metio eius præfecto profligati fuerant, maiori ira atq; furore accensus, alium præfectum contra Scanderbegum, Ballabanū Baderam nomine, cum

Ballabanus Badera præfectus.



quindecim millibus equitum, & tribus peditum misit. Hic vir non minus strenuus & bellicosus, quam rei militaris peritus, & callidus erat, qui præclara facinora multa sub Mahumete adiderat. Nam hic ea tempestate, qua urbs Constantinopolitana à Mahumete expugnata fuit, primus muros urbis ascendit, urbemq; ipsam ingressus est. Propterea Mahumetes ipsum ad præfecturam dignitatem ex infimo gradu promouerat. Erat enim Ballabanus Epiro oriundus, genere & parentibus obscuris, Iohanni Castrioto patri ipsius Scanderbegi subiectis. Qui cum admodum puer esset, à Turcis captus, in seruitutem deductus est. Breui, & modica corporis statura erat, sed peracris ac solertis ingenij, magniq; animi, atque intrepidi, ut de Tideo illo apud Homerum scriptum est, quem corpore exiguum, sed maximum bellatorem fuisse tradunt, viribus & robore corporis pollens, manu promptus, belli percupidus atque ardens. Qui ut primum ad urbem

Tideus Homericus.

ff 2 Alcbria,

Alcubria, & fines Macedonia peruenit, exercitumq; suum perlustrauit, maxima dona & munera ad Scanderbegum sibi conciliandum ( ut quidam uoluerunt ) occultè misit, ne si forte à Scanderbego profligato suo exercitu caperetur, ab eo obruncaretur. Quamuis propius sit fidei, quod id non fecerit, nisi fictè, simulatèq; ut postmodum liquido re ipsa patuit. Nam ipse totis viribus, arte, & ingenio Scanderbegum euertere contendit. Verum Scanderbegus, quem insidia, astus, & Barbara fraus non latitabat, eius amicitiam, dona & munera respiciens, eidem ligonem, vomerem, falcem, aliaq; instrumenta rusticana dono remisit, mandauitq; ei, ut omnis rebus bellicis ( cum ea curatio altior esset fastigio suo ) ruralia & agrestia officia, paterno ac maiorum suorum more exerceret, qui uilem ac paganam uitam semper excoluerant. Quod Ballabanus permolestè atque indignè ferens, Scanderbego valde iratus atq; succensus est, iurauitq; se de hac ignominia ( si tempus ac opportunitas sibi daretur ) omnino ultum iri. Ita q; statuit nocturno tempore furtim, & ex improviso Scanderbegum adori. Itaque contra eum noctu castra sua mouit, sed Scanderbeg ab exploratoribus suis admonitus, statim ei occurrit. Quo cognito Ballabanus exercitum suum gradum sistere iussit, ne ulterius progrediretur, qui ad duo ferè miliaria à Scanderbeganis castris sibi locum cepit. Erant autem in exercitu Scanderbegano quatuor tantum millia equitum, peditum uerò mille & quingenti. Non quod maiores ei ad delectum copia ( si uoluisset ) & militum numerus deesset, sed quia ueteranos omnes, & florem iuuentutis deligebat, quorum uirtuti multum consideret: & melius uidebatur ( ut Fabius ille dicere est solitus ) omnes locupletes reducere, quàm multis rem gerere militibus. Quem præterea dicere solitum audio: Duce[m] illum, siue Imperatorem, qui cum octo millibus, uel 12. ad plus, hostem vincere nesciebat, haud quaquam cum maioribus longe copiis uictoriam reportaturum esse. Multitudinem enim copiarum, & militum numerositatem confusionis causa, ac uictoria impedimento pluries extitisse asserbat. Barbarus autem ( ut prædiximus ) 15. millia equitum, peditum uerò tria millia habebat. Erant autem Scanderbegana castra in ualle quadam amœna, & spaciouosa, qua in longum protendebatur, cui Valchalia nomen erat. Barbari uerò ex altera uallis parte castra posuerant iuxta montem, qui Valchalem ipsam terminabat. In cuius ingressu fauces, & angustia erant, nam Barbari ipsas fauces & montem in sua potestate tenebant. Ibiq; insidias disposuerant, ut cum pugnam commississent, si forte Scanderbegani uictoriam consequuti, fauces ipsas ingrederentur, ut inde ad castra diripienda pertransire possent, ab his, qui ibi in insidijs aderant, perturbarentur, occiderenturue. Scanderbegus uerò, qui in altera uallis parte castra sua collocauerat, uolens inde se mouere, & collem, siue tumulum quendam, qui

Rustica dona,  
qua Scander-  
beg misit Bal-  
labano.

Fabij dictum  
celebre.

Valchalia lo-  
cus castrorum  
Scanderbegi.

sibi à tergo imminebat, præoccupare, quo tutius atq; commodius stare posset, his uerbis milites suos præmonuit:

Commilitones mei, compertum est mihi hodierna die hostes nos ad pugnam prouocatuos esse, sed prius quàm ueniant, hinc castra amoueamus, & collem, qui contra nos est, præoccupemus, quo tutius commodiusq; esse possimus. Verum aduertite, quod hostis, cum nos hinc discedentes uiderit,

Adhortatio  
Castrorum ad  
suos.



nos fugam arripere existimabit, quia numero pauciores sumus. Ideo repente impetum in nos faciet, sed uos uiri fortissimi impetu eorum fortiter sustinetis, in eosq; conuersi acerrime, intrepide ( ut semper facere consueuistis ) irruite, perterrefacite, & in fugam conuertite, quos ( haud mihi dubium est ) statim profligabimus. Sed caute, caute ( quæso ) milites mei optimi, & strenuissimi, cum hi in fugam conuersi fuerint, & uos cadendo, obruncandoq; eos persequuti fueritis, fauces illas, & Valchales furcas nequaquam ingrediamini, nec ulterius procedite, quia in his Barbarorum insidia latitant. Noui enim milites mei amantiissimi, noui, inquam, Barbarorum ingenium, noui eorum stratagemata, & calliditates, in quibus huiusmodi hominum genus plurimum versatur. Hæ enim angustia & fauces, quas uidetis, milites mei egregij, plena sunt armatis, qui nos in insidijs positi expectant. Vbi si ingressi fueritis, omnes profecto ad unum trucidabimini. Satis sit igitur uobis uictoriam ad fauces usque sequi.

His dictis Scanderbegus, cum uniuersus exercitus incredibili alacritate adhortatione eius prosequutus esset, nonnullas præmisit expeditorum cohortes, qua[m] montem & collem, quem castris suis designauerat, præoccuparent.

ff 3 Dehinc

Dehinc ipse collem versus castra mouit. Quod cum Barbarus aduertisset Scanderbeganos aufugere ratus, inordinato milite, & effuso cursu, vallem ipsam cum impetu ingressus in eos irruit. Sed Scanderbegani milites & animo, & audacia pleni, neque clamore, neque impetu Barbarorum perterriti, sed conuersis aciebus, & vexillis, summa vi, totisque viribus Barbari impetum sustinendo, cum eo acerrime pugnam inierunt. Certamen ingens oritur, cades utraq; ex parte valida fit, victoria diu nutans in ancipiti stetit.



Caudinae fauces. Vide Livium lib. 5. de bell. Maced. & Asia.

Sed tanta fuit constantia, & pertinacia Scanderbeganorum militum, & quia Barbari turbato & confuso, ut iam praediximus ordine, ad pugnam irruerant, venerantque, ut victoria proculdubio de hostibus potirentur, qui fusi atque profligati a Scanderbeganis militibus usque ad angustias & Valchales furcas compulsi sunt. Caterum octo tantum viri ex Scanderbeganis bellicosissimi, & fortissimi, quorum quisque certe inter optimos duces & imperatores connumerari poterat, Martis furore, impetuque belli longius delati studio instandi, sequendi, praceptorum ducis immemores trahuntur ad locum insidiarum, & fauces ipsas ingressi sunt. Quas non multo minus forte Epirotico sanguine, quam Caudinas clade Romana insignes dixerim, ubi Barbarorum insidia aderant, quas Scanderbegus, prius eis non falsus vates praedixerat, quo in loco diu pugnauerunt, fauces tandem illas & angustias euasi, egressique, ad castra Barbarorum peruenerunt, ubi etiam manus cum hoste conferentes, ad extremum in montem, qui in Barbarorum pontem erat, confugerunt, ibique rursus in insidias inciderunt. Itaque post

post multa vulnera defessi, ac defatigati, lasique, viui a Barbaris capti sunt, qui ob eorum animi praestantiam, & corporis fortitudinem minime reticendi sunt. Quorum profecto si praclarissimas & egregias virtutes, & quic-

Captiui Epirotici Constatinopolini ducti.



quid ipsi summa cum laude pro Christiana fide semper gesserint, complecti vellem, in longissimam exirem historiam, nunc nuda tantum eorum nomina ponam.

In primis itaque occurrit Moses ille a Dibris, de quo supra multa diximus, Scanderbego vnus maxime charus, ac fidus, cui summa res exercitus ab eo demandata fuerat. Post hunc Giuriza Vladenius, qui Scanderbego sanguine coniunctus erat. Musachus Angelina, nepos Scanderbegi ex sorore, Ginius Musachus, Iohannes Perlatus, Nicolaus Berrisus, Georgius Chucca, & Ginius Maneßius, qui lachrymosiorem casu suo rei Albana statum fecerunt, quam vnquam antea. Nam cum omnes & corporis robore, & animi fortitudine, & militari scientia plurimum excellent, tanto praeterea terrori atque formidini Barbaris fuerant, ut cum Ottomanico Principi illos captos ad se deductos nunciatum fuisset, Mahumetem haec dixisse ferunt: Nunc vere scio, nunc certum est mihi Scanderbegum corruisse, vires eius costernatas atque prostratas esse, fortitudinem & audaciam suam amisisse. Postquam eum solus Ballabanus puer meus, & filius meus ex omnibus ducibus & praefectis meis, qui ante eum fuerunt, strenuus vnus, & bellicosus, vincere, superareque nouit, a quo tot Duces nostri, & Imperatores fortissimi bello, & pugna superati, partim sub iugo in captiuitatem deducti, partim caesi & obruncati sunt. Qui postquam Ballabanum multum

multum satisq; laudauit, aurum & argentum cum alijs plarisque donis & muneribus ei misit, mandauit, ut instaurato suppletoque exercitu contra Scanderbegum bellum continuaret. Verum Scanderbegus, cui maxima cura & sollicitudo de militibus suis inerat, qui à Ballabano capti, ad Mahumetem uincti missi fuerant, confestim nuncium suum cum literis ad ipsum Ottomanum misit. A quo petijt, ut milites suos, qui à Ballabano pugnando capti fuerant, aut auro vendere, aut captiuis permutare uellet. Quos Mahumetes nec auro tradere, nec captiuis permutare uoluit. Sed quum nullum calamitatis, contumeliæq; genus non aditum in eos esset, omnes excoriari more suo iussit. Qua fœditate supplicij aliquanto ignominia Christianorum insignior fuit, eorum interitum uniuersus exercitus maxime luxit, nec victoria de Ballabano consecuta est. Multum gauisus propter huiusmodi uirorum amissionem. Maior itaq; è ciuibus desideratis dolor, quam laticia fuis hostibus fuit, & deplorati sunt omnes, non priuato magis, quam publico luctu. Magnam quoq; partem audire uestem mutasse, multos mortales capillum ac barbam promississe. Scanderbegus ipse etiam absentia & desiderio eorum, magno est dolore affectus, qui tamen (ut erat intrepidi atq; inuicti animi) irritatus magis ea re, quam fractus, statim Turcicum, & hostilem agrum uoliscendi magis, quam prada studio inuasit, omniaq; depopulatus est. Nulla incolumi relicta re, cui ferro, aut igni nocere posset. Caterum Ballabanius, cui prouincia à summo Principe aduersus Scanderbegum belli continuandi demandata fuerat, instaurato, atq; suppleto exercitu suo in Albriam urbem ad Macedonia fines cum 15. millibus equitum, & tribus peditum reuersus est. Qui astu, & fide Barbara simulans amicitiam cum Scanderbego uelle, varia ac diuersa dona ei misit. Quibus Scanderbegus spretis atq; reiectis, respondit ei, ut ruralem & paganam uitam, omiſſa militari, excolere deberet. Qua de re Barbarus admodum succensus, insidijs, atque omni sua calliditate occasionem querebat, qua Scanderbegus improuisus aggrediretur, opprimereturq;. Ita que die quadam sumpta opportunitate, ignorantibus custodibus, & uigilibus ipsius Scanderbegi, castra sua in loco Oronicheo dicto superioris Dibra, & iam eum ex improuiso oppresserat, ni ipse Scanderbegus, qui semper peruigil, solers ac diligens in castris erat, equorum fremitum & strepitum noctis tempore castra obequitans (ut sui moris erat) à longe praesensisset, atque hosti in seruenti mox tumultuario ordine (neque enim aciem digerendi spacium fuit) obuiam processisset, cum quo inito pralio acriter, totisq; uiribus pugnans, in fugam conuertit, uniuersumq; eius exercitum penè deleuit, castrisq; eius potitus est, haud quaquam tamen incremento milite suo. Postquam Mahumeti hac nunciata fuerunt, diu multumq; secum cogitans quid agere deberet, an alium quam Ballabanium copijs suis aduersus

Epirenes excoriati uiri & renui.

Pralium Ballabani & Scanderbegi.

Scan-

Scanderbegum praesiceret, qui omnino inuictus atq; insuperabilis haberetur, qui tot duces & praefectos, tam suos, quam Amurathis patris bello superauerat, Ballabanumq; ipsum re bellica ceteris ducibus & imperatoribus longe praestantior, parua manu fuderat, atq; profligauerat. Ad extremum Ottomanus multis de causis decreuit adhuc ipsum Ballabanum cum exercitu contra Scanderbegum mittere, tum quia ei inimicissimus erat, tum quia Albania oriundus, loca omnia Epirotica terra optime nouerat. Præterea, utpote qui norat animum humanum insatiabilem, ipsius Scanderbegi regnum ei promisit, si illum è medio tollere posset. Itaq; maximo & validissimo exercitu ipsum expedit. Qui quum ad urbem Ochridam decem & septem millibus equitum, & tribus peditum uenisset, imprimis optimos ac uelocissimos equos, necnon uestes ex auro & argento contextas, Scanderbego dono misit, postulans ab eo, ut eius amicitiam atque

Quæ Turca promiserit Ballabano, si uincat Scanderbegum.



societatem non dedignaretur, cui fidem suam mutuamq; beneuolentiã semper praestaturum se, seruaturumq; pollicebatur. Quæ omnia Barbarus fide callideq; agebat, ut si Scanderbegum in suam sententiam adducere posset, incautum improuisumq; opprimeret. Sed Scanderbegus satis edoctus, nullam Barbaro fidem praestabat, sed munera, & amicitiam ipsius explodens, pro uili rustico, & pagano illum semper habebat. Quum iam Ballabanius interuallo trium ferè mensium in Ochridam urbem moram traxisset, nec occasionem aggrediendi Scanderbegum ex improuiso unquam nactus esset, statuit omnino fortunam tentare, & cum Scanderbego palam

gg

bellum

bellum committere, cui cum de aduentu ipsius relatum esset, his breuibus paucisque, milites suos sic ad pugnam, sic pro victoria cohortatus est:

Cohortatio  
Scanderbegi  
ad milites.

Nostis socij & commilitones mei, nos aduersus fures, pradones, atque Reipublica Christiana persecutores, pro eiusdem salute atque tutela pugnare. Quamobrem forti, paratoque animo sitis, ut cum ad rem ventum erit, memineritis vobiscum gloriam, decus omne, praterea libertatem ferre, patriam, liberos, fortunamque vestras. Si superiores erimus, omnia tuta erunt nobis: si imbelles, timidi, nihil infelicius, nihil contemptius. Deus ipse praterea, qui hostes vestros persequitur, fouet nos, viresque suggerit, qui ad iniuriam propulsandam occurrimus, quo audacius aggrediamini pristina virtutis memores. Egressurus itaque Scanderbegus aduersus Turcas, Barbarosque, imprimis Deo optimo maximo pro victoria vouebat. Erat enim in eo Principe Numae quoddam & Romuli ingenium,

Scanderbeg  
præditus inge-  
nio Numæ aut  
Romuli.

nihil nec diuina, nec humana opis prætermittens, qua dehinc in bello opus erant, parabat. Aliquibus ex suis militibus equos donabat, alijs arma, alijs vestes, nonnullis pecunias, alijs verò alia, ut eorum animos ardentius, vehementiusque ad bellum excitaret: hortabaturque illos, ut forti, presentique animo essent, & magnitudine premiorum ac spoliolum mouerentur, nec labore itinerum deterrerentur, nec grauarentur gestare fascem, & solis ardores, ac glaciale frigus constanti animo tollerarent, & ut vallo, fossaque, castra communirent, pro portis excubarent, acriter ancipites inferrent pugnas, vel vera laude pensarent, mortem ignominia potiore existimarent. His peractis, copias suas in amplissima planicie, in agro Sfetigradensi deduxit, ubi Ballabanus cum suo exercitu aderat. Diuiserat enim Scanderbegus exercitum suum in quatuor acies, quarum primam Gouico Stresio nepoti ex sorore dederat, aliam Tanusio Ducagino, tertiam duci Musachio, viris bellicosissimis, quartam verò sibi in cohortem retinuerat. Pedites verò inter equitum alas collocauerat, quibus quatuor viros belatores acerrimos præfecerat, Paulum Manesum, Peicum Manuelli, Demetrium Berissam, & Raianum Chuccam, quo sic in ordine & cornu deducto, intrepidus, hilari animo hostem suum expectans, nec pugnam detrectans. Prouocatus hincinde, elatis vocibus pugnam acerrimè inijt, crebri ex utraque parte cadebant, sed ex Barbaris plures, ingens strages,

Scanderbegani  
milites leones.

& cades undique adebatur. Si quis profecto Scanderbeganos milites pugnare vidisset, existimasset eos non ut homines, sed ut fortissimos & robustissimos leones. Qui in hostes sauiendo undique eos perterrebant, nulla ipsi vi, nullo periculo perterrebantur, vel pedem referebant, quippe quibus semper non minus animi ad mortem ipsam, quam ad cadem erat. Scanderbegus verò Princeps, qui hostium naturam moresque tenebat, maxima cum prudentia, atque dexteritate bellum committebat, multo labore, multaque

cura

cura obuiam periculis eundo. Ipse cum equitibus in prima acie versabat, laborantibus succurrebat, integros pro saucijs suggerebat, omnia prouidebat, multum ipse pugnabat, strenui militis, & optimi imperatoris simul officia exequabatur. Nam sicubi acies flectebatur, illic presto erat, pugnam restituebat, sicubi pluribus labor erat, periculumque imminabat, illic Scanderbegus aderat, rem iam inclinatham sustinebat, in confertissimos hostes sese conijciebat, presentiaque ipsius omnis vis cessabat,



omnis pugna dirimebatur. Ita Turcarum animis nihil terribilius erat, quam ipsius forte oblata species, qui quocumque se intendisset, victoriam secum haud dubiam trahebat. Omnia presente Scanderbego, Marte secundo expediebantur, omnis periculi vis & procella cessabat, adeo ut Albani, Barbari, & Christiani omnes uno ore clamarent, affirmarent, Scanderbegum maximum in orbe terrarum bellatorem, Deum produxisse. Quum ita igitur inter densissimos hostes pugnaret, equus ei à Barbaris letali vulnere confossus, super vetusta arboris truncum prolapsus decidit. Isque in brachio graui ictu laesus est, superque truncum illis propter subitam equi ruinam. Arbitrati sunt Barbari Scanderbegum exanimatum esse, omnesque conglobati ibi ut eum obtruncarent, accurrerunt. Sed à militibus suis subito protectus, à furore, & impetu eorum tutatus est. Adiutusque statim equum insiliit, & lenito, mitigatoque dolore, refocillatisque viribus, pugnam acerrimam cum Barbaris redintegrauit. Qui tanto impetu cum cohorte sua in hostes delatus est, ut quotquot ex illis accurrebant, ab eis prosternerentur, haud aliter cades & strages ex Barbaris fiebat,

Scanderbeg  
pro Deo habetur.

gg 2 quam

quam si videres in campo calamos à vi & tēpestate emulsos radicibus corruere, & ad terram prosterni. Sic Scanderbegus per omnes hostium acies hac illac discurrens prouolabat, atque penetrabat, ut fulminis & fulguris instar videretur. Cui cum Sulimanus quidam ex Ballabani prefectis, vir maximi nominis, atque virtutis occurrisset, illumq; Scanderbegus fortiter obruncasset, tantus terror hostes inuasit, ut Turca de victoria desperantes, neque vim, & impetum Christianorum sustinere valentes, statim qui semper à Scanderbegano milite vinci sueti erant, in fugam conuersi, ab eoq; insecuti, casi ferè omnes, profligatiq; sunt: Ballabanus ipse amissis castris & impedimentis, vix euadere potuit. Qui postquam à Scanderbego fugatus, eiusq; exercitus penè deletus, cum paucissimis ferè militibus ad Ottomanum profectus, ab eo de graui, multipliciq; clade, strageq; à Castrioto suscepta, valde reprehensus est. Apud quem Ballabanus ipse appositis verbis, & longa oratione se excusare nixus, totis viribus intendebat, & Tyrannum in suam trahere sententiam, eiq; persuadere viam quandam, & modum ad expugnandum, subuertendumq; Scanderbegum, quem si ipsi Ottomano tentare, expeririq; placeret, successurum omnino sperabat. Igitur coram eo sic exorsus est. Nihil sanè turpius (ut opinor) Princeps serenissime, nihil scelerius, nihil ingratitude detestabilius, quo vitio, qui aspersi atque contaminati sunt, & non solum ex cœtu & cœlestium col-

Oratio Ballabani ad Ottomanum.



legio, verum etiam ex numero hominum, & ex finibus humana natura prorsus exterminandi. Quum enim saepe sapiusq; Princeps inuictissime, mecum considero, atque mente reuoluo beneficia, qua à tua maiestate semper in

per in me (qua tua est liberalitas) collata sunt, nulli profecto me magis (cum à Deo discesserim) quam tua maiestati debere, atq; obstrictum esse confiteor. Tu enim mihi semper parens, tu benefactor fuisti, per te spiritum, per te vitam, & quicquid sum, habeo. Longum etenim profecto mihi esset, nunc omnes prefecturas, honores, & dignitates, quibus sub imperio & auspicijs tuis functus sum, enumerare, pro quibus omnibus, quem admodum me tibi posse gratum facere, vicesque referre non video, nisi si toto tempore vita mea, diu noctuq; insudarem, inuigilarem, elaborarem, & tandem sanguinem effunderem, & animam desponderem, quod (Deos testor) me semper fecisse, ac in posterum omni fide, sinceritate, atque obseruantia facturum spondeo. De Scanderbego illo, Epirotarum Principe, hoste nostro acerrimo, nunc tota res agi, versariq; videtur, à quo nuper (sic forte Dijs volentibus) profligatus, atque in fugam conuersus sum; ex quo tua maiestati (forte non immerito) me dignum reprehensione fore visum est. Sed nunquid à Scanderbego tantum, an Deorum voluntate potius profligatus sim, nunc tempus differendi mihi esse non videtur, verum potius deliberandum, quid sit cum hoc hoste agendum, hoc tantum me dixisse tua maiestati nunc ero contentus. Testor enim Deos, omnesq; commilitones meos, qui ex hoc pralio & certamine superfuerunt, quod antequam ad rem deuenirem, & cum hoste congressus essem, omnia parauim, omnia disposui, omnia locaui, atque firmaui, non consilium defuit mihi; non tempus aptum, accommodatumq; ad pugnam, non locus, non miles, non ordo, nihil quod pro victoria, & ad victoriam consequendam faceret, aut omisi, aut pratermissi. Verum quia haec non in manu nostra, sed in manu fortuna est, qua pro animi sui libidine humanas res & negotia versat, alternat, variat, eademq; extollit, atque iterum deprimit, ideo non armis tantum Scanderbegi, sed voluntate Deorum potius me victum, superatumq; fuisse attribuo, quorum consilia & decreta nobis occulta, atq; omnino ignota sunt. Sed ad propositum redeo. Multa hercle de Scanderbego supra hominem predicare audio, serenissime Princeps, illum esse fatalem, & diuinum, bello insuperabilem, armis inuincibilem, ferro inuulnerabilem, quem mater eius in utero gestans, per noctem in quiete vidisse dicitur, serpentem immense vastitatis & magnitudinis se parituram, qui aperto ore caput protendens in terram & gentem nostram, omnes nos dilaniabat, atque deuorabat. Pedes verò & reliquas corporis partes in mari extendens, inter Christicolas pacifice, quieteq; tenebat. Qua cum somnij horrore vehementer exterrita expergisceretur, tota tremebunda, viro suo Iohanni Castrioto quod viderat per quietem, retulit: ipse latus atq; hilaris sic eius somnium interpretatum fuisse ferunt, ipsam bono esse animo, nihilq; timere, quia non serpentem, sed filium pareret, qui vir magnis, ar-

mis clarus, & strenuus euasurus, Turcis, & Ottomana legi hostis acerrimus atq; perpetuus foret: Christianorum vero, eorumq; fidei propugnator maximus atq; mirificus. Verum quid ego de homine planè sentiam, nunc proferam, & in medium adducam. Scanderbegum virum strenuum, & bellicosum esse, belli & militia peritum, scientiam, & artem militare peroptimè callere, non eo inficias. Nam semper vel quasi à teneris arma exercuit, pertractauitq; & militè esse, militiamq; inchoasse clarum est. Præterea in bello fortunatum, & velut fulmen, & fulgur in pugnam descendere, & cum hoste manum conferere: tamen illum hominè esse, & mortalem, quem admodum ceteri homines, in super vincibile bello, armisq; superabilem, nec semper victorem fuisse asseuero, nam & ipse alias victus est. Quis enim mortaliū tam demens & fatuus, gloriari se audeat victorè semper, & non victum quandoq; fuisse? vel perpetua in hac vita, felicitate, sinceraq; voluptate usum fuisse? quin ex altero dolio (ut aiunt) degustauerit. Nonne Scanderbegus (ut tua nouit maiestas) in Belgradi obsidione à Sebalia præfecto tuo, viro clarissimo & strenuissimo profligatus, eiusq; exercitus totus penè cæsus, ipse nocturnis tenebris cum parua admodum manu scdisimam fugam arripens, vix euasit? Ad angustias & Valchales furcas nonne à militibus meis pessime habitus cum exercitu suo, omnes fortissimos eius duces, & castrorum præfectos pugna & pralio superatos captos, cum maxima iactura & pernicie, tam eorum quam totius Epiri, ad urbem regiam tuam Serenitati victos misit. Qui postea iussu tuo excoriati, turpissima morte necati sunt. Igitur extenuata sunt iam vires eius & exinanita, ob hac & alia complura ingentia, & assidua bella à nobis ei continè illata. Nec mihi dubium est, Serenissime Princeps, quin (si nobiscum pugnare voluerit) aut eum vinum capiamus, aut pralio & pugna victum, superatumq; profligemus, & cadamus, vel (quod facilius crediderim) non valens armis nostris, copijs resistere, cedens victoria consilium fugiendi capiet, & vacuam nobis Epiri possessionem absque cade, absq; pralio & sanguine deferet, atq; destituet. Nouit namq; tua Serenitas, quod nulla in re plus ambiguitatis, maior incertitudo atq; instabilitas versetur, quam in bello. Nam qui hodie vincit, cras vincetur, & qui victus est hodie, postero die victor erit. Ea propter dici solitum est, incertos esse bellorum exitus. Quod quidem rei nostræ haud dissimum videtur, nam & si pridie victi fuimus, hodie vel cras victores erimus, quia nec semper victi, nec semper victores perpetuo sunt mortales. Et si una nobis non successerit via, aliam qua succedat omnino aggrediamur, nec unquam de victoria desperandum, sed saepe, sepiusq; fortuna tentanda est, qua maxime in bello plurimum dominatur. Itaque & nos bellum ex integro cum Scanderbego experiamur, arma aduersus eum sumamus, exercitus validissimos conficiamus, quia (ut spero) si dictis, & opinioni meæ

Fuga Scanderbegi in obsidione Belgradi.

In bello summaincertitudo.

aures

aures, & assensum præstiteris, Princeps serenissime, victores omnino nos futuros esse, nec Deos semper iratos auersosq; habituros. De quo ego nunc facilem certamq; victoriam nos Dijs propitijs consequi posse, animo concepimus excogitauimq;. Placeat Maiestati tuæ, Serenissime Princeps, discernere, statuerèq;, ut duo optimi Imperatores, duo præclarissimi duces & præfecti, cum valida manu, & florido exercitu aduersus Scanderbegum deligantur, qui non una & eadem via, sed alter ab altero seorsum, separatimq; ab inuicem per diuersa loca & itinera, simulantes alio potius, quam in Epirum tendere, deflexo postea itinere omni cum celeritate atque silentio regionem intrent, ipsumq; Scanderbegum medium intercipient. Nec vnus sine altero hostem adoriatur, aut cum eo bellum committat, sed expectato altero collega, de communi postea consensu, vno eodemq; tempore simul illum inuadant atq; opprimant. Ex quo per facile victoriam consequentur, & illum cum omni exercitu suo obruncabunt, quia fieri non potest, ut hostis undiq; & à tot lateribus interceptus, oclususq;, possit euadere, nec tot copijs & multitudini resistere. Sed ipse profecto victus à nobis, superatusq;, finis Epirotica insolentia atq; belli erit.

Ottomanus satis multumq; verbis & oratione Ballabani persuasus, Tyrannus & Ballabano persuasus, omnia pro arbitrio ei annuit, atq; concedit: illico decreuit, ut ipse Ballabanus pro arbitrio & voluntate sua aduersus Scanderbegum omnia ageret, & bellum conficeret. Et adhibito sibi quencumq; vellet ex præfectis suis in collegam, quocumq; exercitu & multitudine expeditionem Epiroticam omni cura & diligentia quam caute & accurate aggrediendam procuraret. Cum nihil charius diceret, nihil in vita exoptabilius sibi fieri posse, quam Scanderbegum profligatum cum exercitu suo, cæsumq; audire, aut extra imperium expulsus, deiectumq; esse, clamitans nequaquam se felicem videri Regem, nisi Scanderbegum de medio sublatus videret, à quo tot mala, tot damna, tot comilitonum & ducum suorum cades (præsertim patris mortem) sustinuerat. Ballabanus itaque habito ab Ottomano decreto, ut ipse libere in hac expeditione & re ageret, delectu quam maximo facto, ex robustissimis viris & militibus exercitum confecit, & assumens sibi Iagup Arnauth in collegam, partitis cum eo copijs, illum admonuit, ut à parte maritima per Græciam & Thessaliam iter conficeret, & exercitum in Epirum duceret. Cui mandauit, ne solus auderet cum Scanderbego bellum committere, nec omnino illum aggredi, donec & ipse cum exercitu adesset. Qui etiam mox omnibus copijs suis breuius iter per Thraciam & Macedoniam emensus, citius Iagup Epirum ingressus est. Sed omisso hic parumper Ballabano, ad Scanderbegum me conuertam. Cui quum hac omnia, à nuncijs, & exploratoribus, amicorumq; literis de aduentu duorum exercituum aduersus eum nunciata essent, ipse quam maximo potuit silentio, coacto exercitu instructus, accinctusq; ad bel-



Curs Deo est  
pro Scander-  
bego.

ad bellum, hostem continuè expectabat. Auditòq; aduentu & ingressu Ballabani in provinciam, ei occurrere decrevit, & antequam alter Barbarorum prefectus cum exercitu Ballabano adiungeretur, ipse rem cum Ballabano expedire volebat, ne à duobus exercitibus vno eodemq; tempore adortus opprimeretur. Et profecto (ut arbitror) si Ballabani opinio successisset, nulli dubium, quin de Scanderbego actum fuisset, quum tanto Barbarorum furori, & multitudini, vno eodemq; tempore in eum irruentium, resistere non potuisset. Sed Deus omnipotens & summus, à quo cuncta pro libito voluntatis moderantur, cui res Christiana cum ipso Scanderbego maxime cura erat, minime passus est, ut Scanderbegus, qui tanto studio atque sollicitudine fidem orthodoxam tutabatur, pro qua die noctuq; inuigilabat, insudabatq;, turpiter & dolose à Barbaris circumuentus & victus opprimeretur. Namq; Ballabanus alter ex duobus Ottomanis prefectis, qui aduersus Scanderbegum provinciam sumpserant, quamprimum à Tyranno discessit, recta per Thraciam & Macedoniam (ut iam diximus) Epirum ingressus cum 20. millibus equitum, & 4. peditum, in vallem quandam, qua Valchal dicitur, de qua superius mentionem fecimus, tentoria fixit sua. Quo cognito Scanderbegus, qui cum exercitu suo instructus paratusq; aderat, tres speculatores ex suis, qui ad id ipsum experti videbantur, ad formam castrorum Ballabani contemplandam statim premisit. Qui ubi omnia explorassent, & ad eum protinus reuerti deberent, certioremq; de omnibus illum reddere, perfidia impulsus, ad Ballabanum profecti sunt, eiq; omnia Scanderbegi consilia patefecerunt. Nam vnus eorum Ballabano (ut aiunt) sanguine coniunctus erat, quod Scanderbego ignotum fuerat, qui ceteros seducens, multa premia eis à Ballabano futura obtulerat. Quare eius fidem socij sunt secuti, quos cum Scanderbegus expectans, reuersos non comperisset, veritus ne ab hostibus intercepti fuissent, ipse (ut erat ad huiusmodi omnia impiger & intrepidus) confestim equum conscendens cum quinque tantum militibus ad speculandum progreditur. At Ballabanus peritus & callidus, quum cognosceret Scanderbegum in re militari instructum, obsedit clam locum quendam, suspiciens Scanderbegum venturum illuc speculatum, nec opinio eum fefellit. Nam quum Scanderbegus (ut sui moris erat) ad speculandum egressus, antequam ad locum insidiarum peruenisset, equites Ballabani, qui in insidijs ad id ipsum positi erant, detecti prius à Scanderbeganis, illico erumpentes illum adorti sunt, eumq; aliquandiu repugnantem in fugam conuerterunt. Qui fugatus, syluam quandam, qua sibi primum occurrit extra ceruicem Valchalem ingressus est, ubi in arborem vetustissimam, qua lapsa totam semitam occupauerat, incidit, quam, adhibitis equo (quam maxime potuit) calcaribus, prater lapsus est, cum vno tantum ex militibus suis, ceteri ab hostibus casi sunt. Ex Barbaris

Scanderbeg  
elapsus cum  
vno ministro.

verò

verò vnus solummodo Scanderbegum infecutus, truncumq; arboris saltu equi prateruectus, in illum ferebatur. Quem quum solum Scanderbegus à tergo venientem respexisset, conuersus eum obtruncauit: reliqui autem Barbari reuersi sunt. Scanderbegus verò quum in castra peruenisset, qua in locum qui Petralba dicitur procul ab hoste ad 15. millia passuum erant collocata, in quibus 8. millia equitum, 4. peditum valentissimorum inerant, se accingit atq; preparat, ut ad hostem proficisceretur. Sed prius sic paucis milites suos alloquitur:

Turpe & superfluum, Commilitones mei amantiissimi, esse duxi, hodie na die nouo apud vos dicendi genere, longa orationis serie contexere. Cum res gerenda sit nobis non cum nouo hoste, nouoq; Imperatore, sed cum eo hoste, qui à vobis vinci, facileq; superari consuevit. Nonne milites hic est ille Ballabanus Ottomanis prefectus, aptior magis (ut scitis) ad ligonem, vomeremq;, & agriculturam, quam ad arma, remq; bellicam, quem vos non

Adhortatio  
Scanderbegi  
ad milites, an  
te profectio-  
nem suã con-  
tra Ballabanũ



semel; sed pluries profligastis, de eorum triumphum cum ingentibus spolijs reportastis. Nonne hic hostilis exercitus, quem prae oculis habetis, reliquia sunt cladis superioris diei? quas Ballabanus ductor secum affert vobis tanquam debitas, & dicatas victimas, ut de spolijs eorum vos, domusq; vestras & impleatis, & ditetis. Verum enimvero de hoc quid dubij? quid difficultatis est perspicere? Nam ij omnes Barbari, quos nunc videtis, hinc ferè ad horam (Deo propitio) aut captiui vestri erunt, aut à vobis (si volueritis) internecione occisi. Nam illos hoc in loco (ut spero) intra vallum, & tanquam pecora in ouile claudemus, nostrosq; milites per montes,

h h colles.

colles, & itinera, ne inde exire possint, circumquaq; disponemus, atq; locabimus. Igitur omnes hodierna die cum Ballabano eorū duce vobis tanquam victimæ offeruntur. Itaq; milites ostendite vos viros, excitent maiorū vos praconia, excitent laudes, & forcia facta. Capite animos, capite vires & robur, imitemini vestigia, imitemini illorum acta. Acuite ferrū in Barbaros, aternos hostes vestros, sternite equos, praeingite enses, corripite tela, assumite clypeos, procurate omnia qua ad pugnam, & pro victoria faciunt, persequimini hostes. Coercete, conterite infideles, concultate, & pessundate, eosq; penitus delete, quia ecce in fugam conuertuntur. His peroratis, Scanderbegus inuitare inde pro se singulos, & cuiq; offerre, & fatigare precibus, ut qua ipsis iumentis vsui essent, ab se potissimum sumerent. Benigne omnia cum mulata dare, modestia certare milites, ne quid ultra vsum necessarium sumerent, nihil morari, nec ab signis subsistere. Cibum rapientes, diem ac noctem ire, vix quod satis ad naturale desiderium corporum esset, quieti dare 15. ferè millia passuum Ballabanus inde aberat. Itaq; quum Scanderbegus iam appropinquaret, & ad vallum, in qua Ballabanus castrametatus erat, peruenisset, cervicem, & collem vallis occupauit. Ibiq; fixis tentorijs, hostem in valle ipsa, milite undiq; velut vallo in coronam per iuga montium collocato sepsit, atq; circudeat, per loca alta ducendo exercitum, cum modo insideret angustos saltus, ut transitum clauderet, modo à latere, aut tergo caperet agmen, ludificatus hostem omnibus artibus belli fuerat. Postero die consilium habitum, cui & Tanusius Tophia, & Zacharias Groppa, & Peicus Manuelli, praefecti castrorum affuerunt. Multorum eò inclinabant sententia, ut dum fessum via ac vigilijs reficerent militem, Tanusius simul & ad noscendum hostem paucos sibi sumeret dies, tempus pugna differeretur. Scanderbeg non suadere modo, sed summa etiam ope niti, instareq; ne consilium suum, quod tutum celeritas fecisset, periculosum immorando facerent. Dum enim Jagub rerum omnium ignarus immoratur, & torpet, Ballabani exercitum facile deleri posse, quod si procrastinatione differetur nostra, spacium certe illis conueniendi dabimus, securamq; rem nostram ad ancipitem deducemus euentum. Extemplo signum dandum, & exeundum in aciem, abutendumq; errore hostium absentium, praesentiumq;. Consilio dimisso, Scanderbegus exercitu suo quadripartito, vnam partem dat Tanusio Tophia, secundam Zacharia Groppa, tertiam Peico Manuelli. Pedites inter equites interserit, collocatq;, scloponarios cum sagittarijs, hastatis, & aliquibus equitibus ad prouocandum hostem ad pugnam premitit, reliquum verò exercitum cum cohorte sua sibi referuat atq; retinet. Mox signum pugna proponitur, confestimq; Christiani in aciem procedunt. Jam hostes ante castra instructi stabant, moram pugna attulit Ballabanus, quod collegam suum expectabat. Quare receptui pro-

pere

pere cecinit. Iubet speculari, sicubi collega castra apparerent. Animaduertens autem Scanderbeg Ballabanum moram trahere, nec ad pugnam exire, suas acies ad prouocandum hostem paratas, instructasq; ad certamen praemittit (erat enim ferè tertia hora diei) Ipse verò cum reliquo exercitu vallum ingressus, ad castra Ballabani ire pergit, ut rem perficeret, antequam collega Ballabani veniret, ne simul uno eodemque tempore cum duobus exercitibus sibi confliendum esset. Accedens igitur ad vallum & castra hostium, pugnam exposcebat, quam ipse Ballabanus tergiversando, moramq; trahendo recusabat, militemq; intra vallum & castra continebat. At Scanderbegus cum militibus suis avidus, & pugna percupidus, ut rem citius



conficeret, expediret que, ad vallum & statua hostium magis magisque propius accedens, continuè ea infestans oppugnabat, & hostes ad certamen prouocabat. Ballabanus verò miles ira atq; furore plenus, dentibus frendens, quod ad pugnam ei exire non permetteretur. Hinc inde furor, iraque animos militum acuebat, incitabat que. Ballabanus quoad potuit, pugnam remoratus est. Videns autem collegam suum nondum venisse, nec auxilium sibi adesse, nec locus fuga, nec tempus differendi pugnam, quia undique à Scanderbeganis, & Epiroticis militibus circumseptus atque circumdatus erat, continuèq; eius castra infestabantur, posteaquam sibi esse pugnandum vidit, in prima acie ante signa Axappos collocat, circa eos leuo in cornu aduersus Tanusium Tophiam Olophanzios, viros, & milites exercitatisimos, & rei militaris peritos collocat. Contra Zachariam Groppam Acbanzios, contra verò Peicum Manuelli Janizarios opponit, durum genus in armis. Ipse sinistrum cornu aduersus Scanderbegum cum cohorte, & vete-

Instructio acierum à Ballabano ad pugnam.

Axappi.

Acbanzij.  
Janizari.

hb a re mi-

re milite, in quo maxime spem habebat, sibi retinuit, atque sumpsit. Inter Scanderbegum, Ballabanumque, ingens certamine contractum erat. Virorum cades, vringque cadebatur insignis. Ibi duces ambo, ibi maior pars peditum, equitumque, Epiroensium, ibi Croiensis vetus miles, et pugna peritus, et Dibranus durus in armis genius, qui primo impetu turbarunt primam aciem, et signa mouerunt loco: Deinde crescente certamine, et clamore, impotentes iam Barbari, inter duas acies versari, velut incerti, quorum essent, haud dissimiliter equis sine freno vagis. Scanderbegus, quid ergo precipiti cursu tam longum iter emensi sumus clamitans militibus, cum in aduersam partem frustra signa erigere conatus esset? Postquam ea regione penetrari ad hostem non videbat posse, cohortes aliquot subductas à dextro cornu, ubi stationem magis segnem, quam pugnam futuram cernebat, post aciem circumdixit, et non hostibus modo, sed et iam suis inopinantibus in sinistrum hostium latus incurrit, tantaque celeritas fuit, ut quum ostendissent se à latere, mox in terga iam pugnarent. Ita ex omnibus partibus, à fronte, à latere, à tergo trucidantur Achanzij, Olofancijque, et ad Axappos iam cades peruenerat, ibi minimum certaminis fuit. Nam et pars magna à signis aberrat, procedente nocte lapsi, stratiq, somno passim per agros, et qui aderant itinere ac vigilijs fessi intollerantissima laboris corpora, vix arma humeris gestabant, et iam diei medium erat, sitisq, et calor semiconfectos hiantes, cadendos capiendosque affatim prebebat. Ballabanus dux cum saepe alias memorabilis, tum illa precipue pugna fuit. Namque pugnantem hortando, pariterque adeundo pericula sustinuit diu, ille fessos abnuentesque, tadio et labore, nunc precando, nunc castigando accendit. Ille fugientes reuocauit, omissamque pugnam aliquot in locis restituit. Postremo cum haud dubia fortuna Epirotarum esset, nec pugnam amplius sustinere posse videret, concitato equo quam celeri potuit cursu fugam arripuit, omnisque exercitus, omnesque ordines permixtım confusi, et palantes hinc inde per vallem, et agros, et montes, prout cuique fors dederat, conuersi sunt in fugam. Pauci enim ducem sequuti sunt, qui inter cadem et tumultum vix cum eo euaserunt. Reliqui omnes Barbari aut cisi sunt, aut viui capti. Si qui vero ex his inter tumultum et furorem militum elapsi, ex valle exire tentarunt, ab his qui iuga montium et colles insederant, trucidabantur. Sicque exercitus Ballabani eo die profligatus, et ferè deletus est. Hanc tam magnam et praeclaram victoriam à Scanderbego partam, subitus tumultus et nouus aduentus hostilis exercitus excepit. Nondum enim Scanderbegus cum exercitu ex valle ipsa exierat, nondum spolia Ballabani exercitus inter sese milites diuiserant, adhuc hostium corpora palpitantia humi prostrata iacebant, cum nuncius Mamizae sororis à Petrella ciuitate, ubi ipsa cum cohorte et familia sua confederat, cum literis ad Scanderbegum euolauit.

Ballabanus  
fortiter agit.

lauit. Quibus illa fratrem admonebat, Jagup Arnauth praefectum, et ductorem exercitus Mahumetis Principis cum sedecim millibus equitum per viam Belgradi in Epirum irruisse, et omnia depopulatum igni ferroque dedisse. Tuncque in Tyranna minori, iuxta flumen, quod Argilata ab incolis dicitur, castrametatum fuisse. Hic Christianis parentibus Epiro oriundus, in captiuitatem à Barbaris ductus, circumcisus, fidem Mahumetanam induerat, vir strenuus, ac bellicosus, qui alias multa et praeclara apud Mahumetem, et pro eo, tam in Asia, quam Europa gesserat. Venerat enim Jagup Arnauth causa intercipiendi Scanderbegum, una cum collega suo Ballabano, ut supra commemorauimus. Quae omnia vera esse, quidam Barbarus ex castris Jagup, qui à militibus Mamizae captus fuerat, assererat. Quibus auditis Scanderbegus, statim cum exercitu suo, qui in procinctu adhuc instructus, paratusque erat, in Tyranna minori, quo Jagup Arnauth castra posuerat, ire pergit. Sed prius sic milites suos alloquendos putat:

Et si unquam alias exhortatio ducis vel imperatoris ad milites minime necessaria fuisse visa est, hodierna certe die, id mihi muneris apud vos commilitones mei minus necessarium esse duxi, quum superuacuum atque superfluum sit, equo (ut aiunt) currenti, maximeque concitato calcaria adhibere.

Adhortatio  
Scanderbegi  
ad milites.



Video enim unumquemque vestrum, milites mei amantissimi, sine imperatoris edicto, sine ducis imperio libenti animo praesto esse, ordinem seruare, vexilla, et signa propria sequi, vigilias, excubiasque ducere, agereque officia, et munia militaria certatim subire, interdum nocturno sollicitos, permigi-

les, indefessos, nunquam desides, nunquam pigros & ociosos, sed absque stimulis & calcaribus concitatos, promptissimosque, & ad omnia, qua ad victoriam faciunt, & pro victoria consequenda expediunt, intrepidus, inuictissimosque. Hostem quin etiam extra ordinem viriliter, animoseque inuadere, atque opprimere, de victoria nunquam diffidere, neque desperare. Propterea si unquam duci, aut imperatori de militibus suis gloriari licuit, hoc mihi quoque tempore de vobis concessum est. Cum quibus & si semper pauciores hostibus fuerimus, usquequaque tamen superiores, hodie victoriam de Ballabano hoste nostro acerrimo (quod tantopere optastis) praclaram, & egregiam adepti sumus. Qui quum tanta esset apud Ottomanum autoritate, & fide, quicquid ab eo petijt, contra nos obtinuit, eique pro libito voluntatis sua omnia concessa sunt. Nam ipse quum ingentem, floridumque exercitum coegisset, totis in nos viribus intendens (ut compos voti sui esset) & fidem, quam de certa contra nos victoria potiunda promiserat, adimplere posset, duobus quammaximis nos exercitibus medios, insidiosque intercipere, dolo atque insidijs opprimere, atque delere credidit. Sed (Deo propitio, & virtute vestra) factum est, ut nos priores in eum irruentes, illum cum omni exercitu suo profligatum, casumque deleuerimus. Nunc vero nobis nondum lotis (ut aiunt) manibus, nondum finito conuiuio, nondum remotis mensis, Jagub Arnauth, ut bonus & optimus conuiuator, totum vult prandium apponere, & suos conuiuas non fraudare, sed bene & optime illos accipere, ne famescant, exercitumque suum tanquam reliquias afferre. Ecce milites mei amantissimi, antequam vallem egressi simus, antequam a sanguine hostili manus nostras coinquinatas lauauerimus, antequam tela terferimus, & arma purgauerimus, & ea in vaginis & tecis recondiderimus, ipse Jagub ad nos venit, vobis sua munera, dona, & xenia, id est, exercitum, & reliquias ab Ottomano contra vos missas dicatas offerre, ut pro libito voluntatis vestrae ex eis quicquid visum fuerit, aut degustetis, aut deuoretis. Itaque socij & viri fortissimi & felicissimi, accedamus ad nuptias, ad quas Jagub nos inuitat, conuocatur, ut eis ad saturitatem abutamur, & quum affatim deuoremus, tum nobiscum etiam auferamus. Expediamus igitur nos hinc, egrediamur vallem, occurramus Jagub, & exercitui eius, qui quidem tenuis est, & tantummodo profligatus. Nam si Ballabanum ipsum cum 24. millibus concidimus, cur non Jagub cum 16. millibus mactabimus? In hoc maxime vestro belli ardore, qui nondum bellicum furorem, nondum Martiales animos vestros & spiritus deposuistis. Videor enim mihi videre milites, & pra oculis versari Jagub a vobis casum cum omni exercitu suo atque profligatum. Quare acceleremus ad eum, festinemus ad replendos, saturandosque appetitus nostros, & ut spolijs diuitijsque hostilibus pleni, onustique do-

stique domum ad lares proprios, liberos & uxores reuertatis, nunc totis viribus contendite.

Quum hac vix Scanderbegus dixisset, milites tanto sunt ardore pugnandi accensi, ut omnes unanimes sublatam voce exclamarent, in hostem & ad prandij sui reliquias, quas Jagub Arnauth apponendas attulisset, iamiam deuorandas properandum esse, Qui tanquam certi de victoria, promissis signiferis cum aquilis & vexillis, exercitum mouerunt, & ad Jagub, qui in Tyranna minori castrametatus erat, profecti sunt. Qui quum Scanderbegum cum exercitu ad se eunte audiisset, motis inde castris (ignorabat enim adhuc de cade exercitus Ballabani, & fuga eius) in extremam Tyrannae partem & angulum copias contraxit, prope collem, seu monticulum quendam, in quo pagus seu villa est, qua Cassar ab incolis appellatur, ubi tutior commodiorque castris suis locus esse videbatur. Scanderbegus vero eundem locum, quem ipse Jagub prius habuerat, occupauit. Ubi hincinde uterque exercitus per illum diem absque pugna acquieuerunt. Verum Scanderbegus eam noctem qua secuta est, sollicitus, anxiusque transiegit, ne Jagub cum exercitu suo fugam arriperet, si forte de cade & fuga collega intellexisset. Omnes igitur vias, aditusque & itinera obsedit atque praclusit, praesidia undique disposuit atque locauit. Exorto autem die, cum sol regionem illam collustrasset, e regione hostium oculos reuerberabat, quo deprehenso Scanderbegus, fretus se facilius victoria potiturum, spei, animique plenus, instructo preparatoque exercitu, ad Jagub castra peruenit, ubi nonnulla casorum capita exercitus Ballabani, quae seruata cum cura attulerat projici ante hostium stationes, captiuosque uinctos, ut erant, ostendi iussit. Jagub autem tanto simul publico familiarique ictus luctu, agnoscere se fortunam Ottomanam fertur dixisse.

Dehinc Scanderbegus quingentos electissimos equites ad Jagub ad pugnam incessendum prouocandumque misit. Quibus mandatum est, ne certamen inirent, irruenti terga verterent, quod & factum est. Namque Jagub ex omni exercitu suo factis tribus aciebus, repente e stationibus prosiliuit, & Epirenses fugientes insecutus est: tunc pugna atrox hincinde committitur, sed Christianis facilis ea victoria fuit. Nam Scanderbeg aduertens ad Jagub, penetrans omnes hostium cuneos, eum hasta primum transfixit, deinde capite obruncauit. Barbari viso Jagub mortuo, omnes in fugam conuersi, & palantes caduntur, uinique capiuntur. Qui vero ex hostibus manus & militum furore euaserunt, a colonis, habitatoribusque locorum hincinde fusi per agros, sylvas & campos, aut uini capiebantur, aut trucidabantur. Nunquam ex duobus exercitibus uno eodemque feret tempore & bello, tantum hostium a Scanderbego interfectum est. Redditaque aqua Belgradensi clades, & alterius ducum fuga, & eius exercitus interi-

Cassar

Ottomani  
mo de fo-  
na Scanderbe-  
gi.

tu.

tu, & alterius praefecti caede cum omnibus copijs videbatur. Viginti quatuor millia hostium caesa, capta sex millia. Prada magna, alia cum omnis generis, tam auri, argentiq;. Colonorum qui capti apud hostes erant supra quatuor millia capitum recepta. Id solatij fuit pro amissis ad angustias, ad



Valchales furcas. Eoq; pralio (nam haud quaquam incruenta victoria fuit) mille ferme Epiensium desiderati, adeoq; etiam victores sanguinis cadisq; ceperat satietas, atq; lassitudo: Ut quum postero die Scanderbego nunciatum esset, Ballabanum cum vno tantum agmine inter cadem effugisse, & abire sine signis, sine ordine vlllo, posseq; si vna equitum ala ad persequendum mittatur, omnes facile deleri: Super sint, inquit, aliqui nuncij, & hostium cladis, & nostra virtutis, parta de hoste victoria. Ac expeditis omnibus, praefectus castrorum Scanderbegi ad urbem Croia iter suum direxit, quod frequentia minore, quia nemo praecesserat nuncio, laticia vero tanta, vix ut compotes mentium pra gaudio essent, celebratum est. Nanque Croia neuter animi habitus satis pro re dici enarrariq; potest. Nec quo incerta expectatione euentus pauida perstiterat ciuitas, nec quo victoria famam accipiens, vniuersis profusa est gaudijs. Nunquam per omnes dies, ex quo Scanderbegum Principem in hostem profectum fama attulit, ab orto sole ad occidentem, aut procerum urbis quisquam a curia, atq; a magistratibus abcessit, aut populus e foro. Matrona quia nihil in ipsis operis erat, in preces obtestationesq; versa per omnia delubra vaga supplicij, votisq; Deum, superosq; fatigauere. Tam sollicita ac suspensa ciuitati fama incerta primo accessit, duos Dibrenses equites in castra, qua ad si-

ad fines, & in faucibus Epiri opposita erant, venisse ex pralio, nunciantes caesos hostes, quod primo magis auribus, quam animis acceptum fuit, ut maius, latiusq;, quam quod mente capere, aut satis credere possent, & ipsa etiam celeritas fidem impediabant, quod biduo ante pugnam dicebatur. Litera deinde a Tanusio missa ex castris afferuntur, de Dibrensi equitum aduentu. Ea litera per forum perlata in curiam omnes exciuerant, tantoq; certamine, ac tumultu populi, ad fores curia concursum est, ut adire nuncius non posset, trahereturq; a percunctantibus vociferantibusq;, ut in forum prius, quam in curiam litera recitarentur. Postquam vero litera etiam in curia recitatae sunt, & pro cuiusque ingenio alijs iam certum gaudium, alijs nulla ante futura fides esset, priusquam nuncios castrorum praefecti, vel literas audissent, ipsum deinde appropinquare praefectum castrorum allatum est. Tunc enim vero omnis aetas currere obui primus quisque oculis, auribusq; haurire tantum gaudium cupientes, ad milliare usque extra portas ciuitatis continens agmen peruenit. Praefectus castrorum erat Tanusius, circumfusus omnis generis frequentia in forum peruenit. Quum alij ipsum, alij comites eius qua acta essent percunctarentur, & ut quisque audierat, exercitus hostium caesos, imperatoremq; alterum occisum, legiones Epiroticas incolumes, saluum Principem Scanderbegum cum suis castrorum praefectis. Extemplo alijs porro impertiebant gaudium suum, cum agre in curia peruentum esset, multo agrius sumnota turba ne Principibus miscerentur. Litera in curia lecta sunt. Iude Tanusius literis perlectis, ipse plenius omnia qua acta erant, exposuit cum ingenti assensu. Postremo etiam clamore vniuersa curia, quum vix gaudium animis caperent, discursum inde ab alijs circa templa diuina, ut grates agerent, ab alijs domos, ut coniugibus liberisq; tam latum nuncium impartirent. Curia & primates quod Scanderbegus incolumi exercitu ducem hostium cum Ballabano fugato, legionesq; occidisset, supplicationem in triduum decreuerunt. Eam etiam supplicationem vxor Scanderbegi cum consiliarijs edixerunt. Celebrata a viris feminisq;. Omnia templa per totum triduum aequalem turbam habuere, cum matrona amplissima veste exculta cum liberis, perinde ac si debellatum foret omni soluta metu Deo immortalis grates agerent. Statum quoque ciuitatis ea victoria composuit, ac si perpetuam pacem comparassent omnes. Profligato itaque Iagub Arnauth cum eius collega Ballabano, vno eodemq; fere tempore & pralio, eorumq; exercitibus caesis, Scanderbegus subito (ut maiorem hostibus terrorem incuterent) Turcicum agrum ingressus, ad intima usque loca penetrans, cuncta igni ferroq; depopulatus est. Indeq; pradam quam maximam secum auferens victor agro hostili egressus, nullo penitus hoste resistente, aut repugnante latus in agrum suum, & festiuus reuersus est. Qui more suo relicto

Literæ à Tanusio missæ.

Gaudij Croiæ à victoria Scanderbegi.

Responso, & ingressus Scanderbegi in urbem regiam, cum ingentitriumpho & prada post adeptam victoriam ex hostibus profligatis.


ad fines imperij sui consueto presidio, summo cum plausu & iubilo triumphantis more in urbem regiam Croia inuectus est. Ubi per aliquot dies inter ciues suos, & cum his celebrata tam ingentis victoria leticia, laureas literas ad omnes ferè Reges & Christianos Principes scripsit, & victoriam hanc, quam aduersus Barbaros (Deo autore atq; propitio) adeptus fuerat, his impartiuit, dispensauitq;. Quibus etiam varia donorum genera, & munerà ex hostium spolijs, utpote equos alipedes (ut aiunt) & velocif-

Equalipedes



simos seruos captiuos, arma & tela, praeclaras quoque equorum phaleras, & id genus ornamenta misit. Dehinc soluto exercitu, ad propria unumqueng; ire permisit. Ex quo postea annus ille Scanderbeganis non minus insignis, quam hilaris & latus fuit.

MARINI



MARINI BARLETII SCODRENSIS SACERDOTIS, DE VITA ET GESTIS SCANDERBEGI EPIROTARVM PRINCIPIS, Liber Duodecimus.



OSTquam fama tanti facti, & cadis uniuersi ferè exercitus Ballabani, & collega sui Jagub, ad Mahumetem Principem peruenit, is ingenti dolore simul atq; terrore percussus, non parua cura atq; sollicitudine angi, torqueriq; cepit, veritus, ne fortunam, qua tantum propitia ei, & secunda fuerat, duram experiretur imposterum atque aduersam. Anxius itaq; animi, atq; consilij inscius quid agendum esset, & nec secum quidem ipse concors, omnes duces & praefectos suos ad concilium conuocauit. Vbi post multas tandem sententias atq; contentiones statutum est, ut ipse Mahumetes Princeps cum cohorte, & omnibus copijs suis aduersus Scanderbegum progredere-  
tetur. Quare edicto per omnes regiones propalato, ut milites nomina sua darent, coatto ingenti, validissimoq; exercitu, praeterea commeatu abundè, omnibusq; bellicis instrumentis preparatis, castra sua contra Scanderbegum mouit. Quo audito Scanderbegus, omnium ducum & praefectorum suorum consilio adhibito, maximè Pauli Angeli Dyrrachiensis Archiepiscopi, cui summa consiliorum

Scanderbegus  
cōsultat de re  
sistendo Tur-  
ca.

Scanderbegus  
formidolosus  
Turca.

liorum commissa erat, necnon Veneti Oratoris, qui illic aderat, omnium cōsensu statuit, & decreuit, ut vrbes, & loca omnia fortissimo milite, alijsq; necessarijs rebus communirentur, firmarenturq;. Et in primis, ut in Croia vrbe, qua cardo totius regni, atq; caput erat, & à qua cetera omnia dependebant, strenuus & fidus miles, prudens & sapientissimus præfectus poneretur. Verum hoc in loco parumper digredi non erit malum, ut ostendamus quanto terrori, quantaq; formidini Scanderbegus Mahumeti Principi fuerit. Qui quum videret eum in tantum excelluisse culmē, ut nomen eius iam suis omnibus terrificum formidabileq; esset: Verebatur, ne ob eius celebre nomen & famam, qua iam ubiq; peruasera, gens eius, & populi in seditionem versi eum trucidarent, aut e regno deicerent. Itaq; in mortem eius insidijs & dolis machinari, moliriq; cœpit. Nactus est autem duos, qui omni linguarum & sermonum genere eruditi erant, quos edocuit, instruxitq;, cum maximis prius premijs donasset, maioribusq; indies cumulare promississet, ut se transfugas esse simularent, mentirenturq;, & zelo orthodoxæ fidei ad eum defecisse assererent, Christianoq; ritu baptizari continuo peterent. Et postquam ei qua vellent persuasissent, veneno, aut ferro illum interimerent. Qui ubi ad Scanderbegum deuenērunt, vterq; sacro fonte Baptismatis purificatus est, & ab eo in cohortem & familiam suam (ut vulgo aiunt) suscepti sunt. Inde verò ad paucos dies, erat enim cura Deo Scanderbegus, qui nefanda eorum consilia patescit, ne optimus Princeps optime de Christiana fide meritis, tam iniquum & ignominiosum fatum subiret, transfugæ isti insidias, fraudesq;, quas in Scanderbegum moliti fuerant, occultare minime potuerunt. Nam ambo in tantum inter se dissidium, atq; discordiam venerunt, ut ira & furore pleni, in maximas inuicem contumelias prorumperent, & alter alterum proderet, palamq; se patefacerent, quod à Mahumete Turcarum Principe ad ipsum Scanderbegum obtuncandum summissi fuerint. Qui statim comprehensi, & tortoribus adacti, rem omnem explicarunt, sicq; ambo laqueo suspensi, vitam finierunt. Nunc reuertor vnde digressus sum. Postquam enim Scanderbegus omnia loca sua præmunijt, præsertim urbem Croia, in qua firmissimum præsidium tum Albanorum, & Epirotarum, tum Italorum posuerat, quibus Baldesarem Perducem Italum, virum aequè strenuum atq; fidum præfecerat. Interim litera tumultuoso vndiq; nuncio conuolare cœperunt, Mahumetem Principem cum 200. millibus militum ad Croiam oppugnandam breui venturū, præcursores suos, & equites leuis armatura iam iam adesse. Qui etiam paulopost in Epirum irruerunt, & biduo hincinde per vniuersum agrum discurrentes, omnia igni, ferroq; depopulati sunt. Nocte verò qua secuta est, secunda ferè vigilia urbem ipsam Croia obsidione in modum corona vndiq; cinxerunt. Venerat enim ad eius obsidionem Bal-

Subornati oc-  
cificores Scan-  
derbegi.Croia obfi-  
dio.

labanus Badera Mahumetis præfectus cum octuaginta millibus electissimorum equitum, qui ubi castra firmavit atque munijt, quotidie cum Cro-



iensibus, qui ex vrbe erumpebant, vario ac frequenti præliorum, certissimumq; euentu pugnam committebat. Interea Mahumetes ipse Princeps cum reliquis copijs, & apparatu suo insigni ad urbem venit, qui primum ab oppidanis (ut moris est) urbem sub conditionibus petijt, cui cum pro responsio missilia, tormenta, aliaq; telorum genera dedissent, erumpentes mox ex vrbe manus etiam cum hoste conseruerunt, ac non paruum illorum stragem adiderunt, victoriamq; pro parte consequuti, lati & alacres in urbem reuersi sunt, afferentes secum plurima ex hostibus cæsis capita. Ex quo Mahumetes Princeps indignatus, preparatis atque erectis quamplurimis tormentorum machinis, in oppidanos contorqueri iussit. Adduxerat enim secum metalla ad tormenta cuiusvis generis cõflanda, ad urbem ipsam, eiusq; mœnia penitus subruenda atq; euertenda. Artifices præterea in omni re bellica peritissimos. Sed interim egregius & præclarus Princeps Scanderbegus, qui in campo cum valido exercitu & copijs erat, Mahumetis castra quotidie infestabat, nec illum sinebat aliquo momento quiescere, sed ita assidue adoriebatur, inuadebat, infestabat & instar torrentis, qui ex magnis & inundantibus pluuijs è montibus descendens, omnia secum rapit, prosternit, atque euertit: Sic Scanderbeg quoque in Turcica et hostilia castra alio semper & alio irrumpens latere, ea vndiq; vexabat, hosti cadem, cladem, damna, & iacturas maximas inferebat. Ex quo Mahumetes cum aduertisset tantam indies ex suis stragē & calamitatem

Mahumetes  
discedes à Cro-  
ia & Epiro re-  
infecta, Balla-  
banum cum  
innumeris co-  
pijs in Croia  
obsidione re-  
liquit.

sequi, nec ipsi spem ullam urbis potiunda esse (Croia etenim nō tantum non expugnari, sed nec oppugnari commodē poterat) decreuit inde omnino discedere, & Bizantium unde iam venerat, se recipere. Verum quia id non paruo sibi dedecori & ignominia fore arbitrabatur, si nullo à se praclaro facinore aduersus Scanderbegum adito, re infecta tam turpiter abiret, statuit Ballabanum, quem supra commemorauimus, exercitus praeficere. Quem cum viginti tribus millibus electorum militum in Croia obsidione manere iussit. Cui etiam octo alios militum praefectos, viros praeteris & robore corporis praestantes, & ingenio ac militari peritia solertes adiunxit. Quorum cuilibet septem millia militum fortissimorum dedit, qui omnes ad nutum semper & imperium Ballabani starent, nec ab eius consilio discederent, veritus quod solus Ballabanus cum tanto etiam militum numero, tantaque copiarum multitudine Scanderbego resistere non posset. Quo facto, Mahumetes ipse postea à Croia obsidione collectis (ut aiunt) vasis, nocturno tempore intensis castris Constantinopolim versus iter arripuit. Qui dum proficisceretur, quosdam Chaonia populos, & loca quaedam Scanderbegi, quae Chidna appellabantur, multis promissionibus allectos (armis enim expugnare non poterat) in deditiōem & fidem suam accepit, quam (ut sui moris erat) eis minime seruauit. Ex quibus octo millia hominum praeter mulieres & infantes trucidare fecit, eoque truculenti modo Tyrannus innoxim sanguinem effudit, postquam in Scanderbegum seuire non potuit. Grauis profecto est Regum indignatio, grauis Principum ira, quae non plumbea, sed plumbea (ut dicitur) vere est. Profectus itaque Mahumetes Princeps ex Albania maestus & tristis, relicto ibi Ballabano praefecto cum innumeris copijs, cui mandatum est, ut tamdiu Croiam urbem obsidione premeret, donec Croienses longa fessi obsidione, & dura funestaque fame attriti atque enecti, consumptis rebus omnibus necessarijs pro victu sese in eius ditionem traderent. Sed impiger & strenuus Princeps Scanderbeg excandescens, valdeque indignatus, nec id ullo modo concoquere valens, quod Ballabanus homo obscurus, & infimo loco natus, cui parentes ad seruitium & famulatum Scanderbegi patris semper fuerant, sibi oppositus esset, armis cum eo contendere, bellumque gerere decreuit, & eum omnino aggredi, inque eius castra irrumperet. Itaque conuocatis undique Principibus, socijs, & confederatis suis, quo illis animi sui sententiam aperiret, coram eis in hunc modum loquutus est:

Oratio Scan-  
derbegi ad fo-  
cios, Princi-  
pes, & confede-  
ratos, pro  
auxilio ab eis  
impetrando.

Credo equidem vobis haud ignotum esse, Principes & commilitones amantiissimi, quamobrem huc vos conuocauerim, quidue in praesentia sim disserturus. Nostis enim omnes quanta rabie, quantaque immanitate Mahumetes ille Turcarum Princeps in Christianum nomen, & or-  
thodo-

thodoxam fidem conspirauerit, illamque magis atque magis omni tempore insequatur ac premat. Pro qua nobis illi fortiter resistendum, atque etiam si mori contigerit, alacriter pugnandum esse duco. Maiores eius Asiam praeruerunt, dehinc in Europam trajicientes, tot Reges & Principes Christianos prauis artibus de medio sustulerunt. Hic vero illorum sequens vestigia, in nos ceu maiorum suorum reliquias versis (ut aiunt) prorsus furo-



rem suam euomere, nomenque nostrum penitus delere conatur. Mahumetes inquam iste truculentissimus, qui velut sorte quadam prope in aeternū hostis mihi datus, summa vi opeque me rerumque mearum statu omnem penitus euertere contendit. Qui cum pauloante cum toto exercitu suo in me impetum fecisset, nec ex sententia ei res successisset, tanquam furibundus & spe omni destitutus, praemore & tristitia hinc discedens, octo millia virorum ex meis, exceptis mulieribus & infantibus, quos fide sua, vel perfidia potius in deditiōem acceperat, ferro sustulit, atque trucidauit. Qui si profecto nunc mihi essent, viuerentque, nequaquam opus esset alienum implorare auxilium. Proficiscens hinc igitur Mahumetes, Principes inuictissimi, hunc Ballabanum, quem praeculis habemus, sui exercitus praefectis cum huiusmodi copijs in Croia obsidionem reliquit, quo illam tamdiu durissima obsidione cinctam teneret, premeretque, quamdiu in eius ditionem veniret. Quod si quo casu accideret (quod absit) nec de vobis (ut reor) nec de vestris coniugibus & liberis, rebusque omnibus bene profecto esset. Nam sapius me dixisse memini, quod rabidus & truculentissimus hostis iste nihil aliud molitur, nihil aliud mente agit, & expetit, quam nos seiunctos, & abin-



abinuicem distinctos opprimere, atque de medio tollere, regna, imperiaque nostra arripere, sibique vendicare. Quare Principes amantiissimi, nolite pati, ut perfidus Tyrannus iste, atque communis omnium hostis, sub iugo nos infidelitatis ac perfidiae suae subiiciat, fidemque religionem nostram opprimat, regnaque imperia pessundet, uxores, liberosque nostros in seruitutem trahat. Proinde omnes admoneo, rogo, obtestorque, ut hosti sine mora occurrere properetis, qui praeforis et in limine adest, qui festinat, et ad nos opprimendos totis viribus accelerat. Itaque in auxiliumque tutelam fidei vestrae, cui quicquid corporis, vitae, ac sanguinis superest, deuouere debemus. Vos Christiani Principes inuito, inuoco atque imploro, ut Ballabanum hunc communem hostem nostrum, quem videtis ex urbe nostra, e regno, e patria expellamus, reijciamus, qui profecto si me oppresserit, nec vos impunitos relinquet (Epirotica enim gens inimica Turcico nomini est) et ex mea iam iam futura est vestra publica quoque omnium fortuna. In beluas strinximus ferrum, hauriendus illarum, aut dandus noster est sanguis, Caterum fidem meam vobis promitto, quod vestra ope et auxilio mihi praesto existentibus, hunc Ballabanum homuncionem vilissimum et abiectissimum hominum, cuius maiores vitam semper ruralem et paganam sub parente meo traduxerunt, qui et ipse saepenumero (ut scitis) est a me antea multiplici clade sedatus, fusus, profligatus, nunc cum universo eius exercitu in fugam versum, viuum, aut mortuum (ut fors dederit) vobis tradam, victoriamque de eo insignem, atque praclarissimam referam. Jam scitis Patres optimi, me hucusque nullum a vobis unquam auxilium, operam implorasse, sed solus semper cum copiis et militibus meis, propriis viribus contra communes hostes, vos, regna, imperiaque vestra protexisse, atque conseruasse. Nunc vero iam tot bellis attritus, tot expeditionibus exinanitus, tam longo tempore cum militibus meis continuè armis insistendo, viribus ferè exhaustus sum. Quorum maior pars et fortissimi bello ceciderunt. Alij acerrime dimicantes capti sunt, aut vulnerrum multitudine corporibus mutilatis inutiles bello facti sunt. Propterea opus est Socij, ut nunc ad vos confugiam, vestrumque implorem auxilium, quo ab hoc communi hoste, quem in ianuis et oculis habemus, urbem meam, vosque pariter liberem atque defendam. Quare mature succurratis mihi, me me sequamini, et quod ductu meo facere semper soletis, vincite. In hunc Turcicum et hostilem exercitum irruamus, impetum faciamus, quem statim (ut spero) in fugam conuertemus, facileque de eo victoriam consequemur, arma, insignia, aurum, argentum, spolia optima nobiscum referemus, milites nostros exuijs ditabimus. Rem igitur tantam mecum capecite, victores enim (Deo propitio) omnino nos fore spero. Vosque pleni fortunarum, ac gloria simul publice, simul private triumphantes domum ad penates vestros redituros.

Scanderbegus  
Ballabanum vi-  
uum aut mor-  
tuum sperat  
se habiturum

redituros. Nunquam profecto vos decepi, nunquam fefelli, nunc tempus est o socij, quo nos, regnaque nostra, uxores, liberos, aras, focos, et demum fidem Catholicam a tyrannide et iugo barbara seruitutis atque captiuitatis vindicemus, liberemusque. Victoriā cum ingenti gloria et triumpho de hoste reportemus.

His dictis a Scanderbego, duces illi et Principes omnes ea oratione erecti, et gaudio exultantes, frementesque, unanimes libera voce exclamarunt, hostem etiam ad sanguinem usque pro fide Catholica, pro patria salute, pro Scanderbegi incolumitate, omni ingenio, totisque viribus persequendum, in Turcica castra fortiter et intrepidè irruendum, Scanderbegum Principem, ducem, auctorem, parentem, et patriam omniumque protectorem unanimiter sequendum, eiusque in omnibus parendum. Itaque cuncti sese cum omnibus copiis et exercitu suo, in Scanderbegi fidem et arbitrium commiserunt, tradideruntque. Statuto igitur praefixoque ordine, ut quammaximus atque validissimus exercitus undique cogeretur, Scanderbeg interim dum haec geruntur, communicata re cum paucis, sine mora sagulo gregali et vilissimo admodum habitu indutus, ad urbem Romanam pro ope et auxilio a summo Principe patrumque collegio implorando profectus est. Erat enim eo tempore Paulus II. Pontifex maximus. Qui quum Scanderbegum vidisset, ob eius celebre nomen, virique praesentiam et auctoritatē, hilari, perbenignoque



vultu illum suscepit, donisque et honore maximo prosequutus est. Quem quum in Consistorio (sic enim patrum collegium vocant) adduxisset, Scanderbeg coram eis ita concionatus est:

kk

Quis

Quis unquam mortalium Romane Praesul maxime atq; sanctissime, Reuerendissimi amplissimiq; Patres, non lingua dicam exprimere, sed ne animo quidem concipere possit, loci huius & sedis sacratissima, in qua stas, celsitudinem & sublimitatem? Cuius nulla pars est, nullus angulus, quin totus sanctitate, diuinitate plenus undiq; resplendeat atq; resulgeat. Vbi primum Petrus ille beatissimus, sanctissimusq; Christi vicarius, ubi Paulus Doctor egregius, vas electionis, atque totius orbis Christianae religionis buccinator: ubi tot viri sanctissimi, praesules & patres integerrimi diuinitus missi, caelibem & diuinam vitam traduxerunt: ubi tot Reges & Principes inuictissimi, gloriosissimiq; commorati sunt, qui omni sanctitate, omni virtute pradi, omni scientia referti, mundum totum, fidemque catholicam erexerunt, decorarunt, illustrarunt. Quibus tu postmodum, Romane Antistes sanctissime, ad hoc dignitatis fastigium natus magis, quam villo mortalium iudicio vel consensu electus diuino quidem nutu, hac aetate tam aurea, tam felici successisti, qui totius fides & religionis nostra summum lumen esses, summum decus, summus splendor, qui Christianum nomē vel ad vltimas terras transferves, & ab omni Barbarica rabie vindicares. Magna profecto fuit expectatio iam pridem, Pater beatissime, vel animi, vel ingenij tui, quam non ut aequo modo, sed longe quoq; superes omnia. Habes ex voto innocentiam vitam, sapientiam, atque consilij magnitudinem, natura liberalitatem, experientiam rerum, qui in vniuersa natura, in qua quicquid est neruorum, quicquid admirandi, ita es undecunq; complexus, habesq; in manu, ut liceat semper ex te, tanquam ex thesauro aliquo depromere. Felicem me igitur, qui te hodie intueor, alloquor, admiror, quo nihil poterat iucundius mihi, nil optabilius contingere in vniuersa vita. Sed felicitem planē Romanam Rempublicam, qua Principem te, pastoremq; suum sentit, experitur, fruitur, quo meliorem, dignioremq; alium optare non potuisset, nedum inuenire. Cuius anguitatem magis admireris, an pietatem in omnes amplectaris, an maiestatem atque eloquentiam obstupescas, nescias penē. Qui (ut vno verbo omnia perstringam) nulla re alia magis eminet, quam virtutum omnium excellentia, qui omnium maiorum suorum, & superiorum Principum gloriam non aequaturus solum, verum vno omnium iudicio sit superaturus, longeq; à tergo relicturus. Gaudeat proinde & exultet, quicquid est vsquam Christiani nominis, vel splendoris. Latentur gentes, iubilet Dei Ecclesia penē afflictā, qua per te sit spiritum & sanguinem receptura. Nihil iam timeat, tuta quosq; pelagi aestus, bilaris cuncta aequoris discrimina contemnat, Petri nauicula, te rectorem, te gubernatorem nacta, qui Christi fidem & Euangelium semper augere, amplificareq; studes: qui vnus & pastor optimus, & Antistes sapientissimus non solum super oues & gregem tibi

gem tibi à Deo commissum, exactissime omnem curam & sollicitudinem impartiris, sed alienas quoque ouiculas errantes, vagas, dispersas, in tuum ouile, & Ecclesia gremium reducere, ac congregare die noctuq; inuigilas atque insudas. Bone Deus, cur mihi non est tantum eloquentia, ea dicendi vis, qua possem virtutes tuas omni laude maiores, non pro merito dixerim recensere, sed saltem non minores efficere: etsi non debitum persolvere, huic tamen mea tanta, tamq; suauissima siti potum aliquem afferre. Sed & si possem, Pater beatissime, non est integrum hodie mihi per hos rerum tumultus, per tot maxima discrimina. In quo, nescio quo fato cum gentibus, & populis meis sum vnus omnium maxime coniectus atque immersus. Non permittit, non patitur Mahumetes, Turcarum Princeps ille truculentissimus, me vobiscum diutius commorari, Patres sanctissimi, vos contemplari, vos admirari Principes meos, Deos terrarum, ac mundi totius luminaria, qui maiorum suorum vestigia sequutus, ac spurcissima illius Mahumetana secta nephandus professor & propagator, vestrum ouile quotidie inuadit, persequitur, dissipat. Et non contentus malis, cadibus & rapinis, quibus in Asia vsus est, non satiat Christiano sanguine, quem nuper tantum in Europa fudit, ut totam infecerit, polluerit, contaminauerit, & Christi nomē prophanauerit, sed nunc me, gentemq; meam tanquam hoc vltimum certamen relictum sibi euertere, atq; de medio tollere conatur. Cui nisi repente (qua tua sanctitas est atque clementia) occurras, obsistas, tu Principum Christianorum pater, iubar, atque sydus radiantissimum, actum est de re omni, actum de imperio meo, quippe populus Epiroticus tot bellis, tot cladibus exhaustus iam corrui, iam defecit. Huc igitur ego concessi Patres sanctissimi, ad vos ipse confugi, domi incendium maximum reliqui, hostem in ipsis vestibulis, qui non tantum gentem meam, & regionem omnem assidue dissipat, evertit, depopulatur, in seruitutem trahit, sed & ciuitatem ipsam meam Croiam, provincia robur atque caput iamdiu innumero milite obsidet. Neque hanc obsidionem deserendam proposuit sibi, antequam vrbe ipsa aliquo modo potiat. Et potietur (vereor) ni sublimitas tua succurrat atque subueniat. Ita oppidanos in rerum omnium necessitatem, & vltimum discrimen adduxit. Consulti igitur Patres optimi atque sanctissimi (quaso) dum tempus patitur, prospicite, atq; opportune prouidete mihi. Cohibendus est enim impetus, & us nephandissimi Tyranni, reprimendus eius furor, atq; violentia, qui in tantum excreuit, atq; inualuit, ut iam iam extrema omnia Christianae Republicae, ac Dei Ecclesiae, quam orthodoxa fidei audeat minitari. Sed quid amplius? (proh dolor) quid peius? quid durius expectemus? Adidit iam in Christianum populum, adidit in gregem tuum omnia crudelitatis exempla, prophanauit, ita iam scedauit, omniq; ludibrio habuit (pudeat

Populi subie-  
cti Turca.Herbam dare  
fermo prouer-  
bialis est, vi-  
ctorem agno-  
scere. Plin. lib.  
22. cap. 4. &  
Fest. Pomp.

Deorum, hominumq; fidem, religionemq; vestram, ut non minus mole-  
stum mihi sit dicere, quam vobis turpe audire. Videtis, ecce ingentis cuius-  
dam mali, non suspicionem modo, sed apertam speciem observari ante ocu-  
los omnium. Videris Patres amplissimi Asiam ferè omnem huic nephando,  
spurcissimog; hosti subiectã, Gracos quasi cunctos ab eo exterminatos, Ra-  
scianos Principes, Triballos, & Thracos euersos, Illyricos perdomitos, Pe-  
loponnesum subactum, magnam Macedonia atque Epiri partem dire-  
ptam, incensam, deuastatam. Vnus ego super sum, Pater beatissime, cum  
pusillo & tenui imperio, cum militibus meis, adeo tot praelijs attritus, tot  
certaminibus exhaustus, ut nihil iam integri sit in corpore ad noua vul-  
nera accipienda, neque quicquam supersit sanguinis, quod dari amplius  
pro Christiana Republica possit. Hoc est reliquiarum ex tot Principibus,  
tot ducibus, in feraci Macedonia illa regum altrice, quod nunc perfidus  
Barbarus iste totis viribus, arte, ingenio perdere, atque delere contendit.  
Jam nemini ignotum, nemini dubium est. Audisti Antistes sanctissime,  
audisti Patres religiosissimi, quot bella, quot expeditiones cum perfida  
gente ista maiores mei tot armis gesserint. Quibus ego postmodum ordine  
nature, diuino tamen præserruatus auxilio in regno succedens, nullum un-  
quam tempus, nullum diem quieti aut ocio mihi concedere potui, sed cum  
prophana gente, bella maxima semper pertractavi, praesertim cum rabidif-  
simo & truculentissimo Macabumete isto, qui iam tot malis rem meam,  
tot cladibus affecit, ut nihil reliquum supersit mihi, nisi (proh pudor) her-  
bam victori (ut aiunt) dare. Restiti hucusque, reluctatus sum, & diuina  
ope adiutus semper ferè incolumis atque victor euasi. Sed nunc tot malis  
tam praeeritis quam instantibus fessus, tot certaminibus exhaustus, tot du-  
cibus amissis, tot populis, viribus adeo exinanitus sum, ut nihil ferè prae-  
ter animos feroces ex antiqua fortuna supersit. Et Barbarus iste (sic fortè pec-  
catis nostris exposcentibus) supra quam dici possit, suas vires auxit, impe-  
riumq; suum ampliavit. Propterea mundi totius iubar, ac Christiana reli-  
gionis decus splendidissimum, ad tua Maiestatis pedes supplex, & qua decet  
veneratione confugio, tuum nomen inuoco, opem & auxilium imploro.  
Descendas iam Pater sanctissime, prouideas, quo his tot procellis, & bello-  
rum turbinibus obsistere, easq; non ita certo periculo vita, ac rerum mea-  
rum dispendio perferre queam. Fidemq; vestram sanctissimam, sanctissimi  
inquam Patres, contra vim & impetum huius immanissimi Tyranni pro-  
tegam atq; defendam, pro qua & usque in presentem diem omnia extrema  
sum perpeffus. Et imposteum me deuoui, neq; ullum mortis vel periculi est  
genus, quod pro quocunq; vestrum commodo & dignitate, in aliquo vita  
mea tempore subterfugiam.

Postquam Scanderbeg orandi finem fecit, tanto fauore ab omnibus est  
exce-

exceptus, tam liberaliter & honorifice habitus, ut quam celeriter expedi-  
tus, quicquid à summo Pontifice, patribusq; petierat, per facile impetraue-  
rit, & ei quam liberaliter sit concessum. Qui maximis etiam muneribus &  
premijs donatus, maximo auri, argentiq; pondere, grandiq; pecunia cumu-  
latus, latus, alacerq; inde discedens in Epirum, ad suos reuersus est.

Ceterum antequam ulterius progrediamur, describendus mihi videtur  
esse locus, quo Ballabani castra posita erant, quo res, negociumq; nostrum  
melius percipi possit, & oculis legentium subiiciatur. Diximus enim iam  
Croiam Epiri urbem esse, in campis Aemathia positam, in alta saxi crepidi-  
ne, & undiq; praecipiti, nisi tantum ab una parte, qua vix accessibilis, &  
peruia est, a monte Cruino abscisa, qui ei adiacens, eum quasi superemine-  
re videtur. Qui quidem in longum protenditur, & ab ea parte, qua urbis  
arx est, in cliuum sese extendens, paulatim descendit, & plures tumulos si-  
ue colles facit. Vbi Ballabanus castris suis loca occupauerat, ibiq; totam sui  
exercitus molem redegerat, & urbem dura obsidione premebat, mon-  
temq; Cruinum occupauerat, super quem praesidium suum collocauerat.  
Verum omisso hic parumper Ballabano, ad Principem Scanderbegum  
redeamus. Qui postquam ex urbe reuersus est, maximum undiq; exerci-  
tum, ingentesq; copias atq; validas in unum contraxerat. Venerant namq;  
ad eum Reguli omnes confederati, & circumuicini confluerant, quoti-  
dieq; confluebant omnes populi, tam ex Epiro & Macedonia, quam ex  
Illyrico & Dalmatia, ita ut nunquam antea maior exercitus, neque ex  
validioribus, pugnatioribusq; ab eo coactus est. Quem Scanderbegus in duo  
diuiserat, quorum alteri Lecham Duchainum regulum praefecerat, vi-  
rum non minus rerum bellicarum peritissimum, quam fortunatissimum.  
Alteri vero Nicolaum Monetam Nobilem Scodrensem, virum acerr-  
imum, qui ex Lyffo per campos Aemathios, & syluam Ionimorū copias du-  
ctitantes hostem ab eo latere aggredierentur. Ipse vero cum reliquo arma-  
torum robore tam equitum, quam peditum montem Cruinum versus ex  
alio latere adoriretur, quo Ballabanus fortissimum, munitissimumq; pra-  
sidium (ut diximus) locauerat. Hoc constituto, sicq; copijs dispositis, in  
hostem primus progressus est. Qui quum ad montem Cruinum cum exer-  
citu peruenisset, illico nunciatum est ei, Jonimam fratrem Ballabani cum  
praclara Turcarum manu ad fratrem contendere, ut se illi coniungeret.  
Qui (ut fama erat) iam montem Bulgari superauerat. Quo audito Scan-  
derbeg, sine mora electo flore & robore militum, relictoq; ibi reliquo exer-  
citu, per totam noctem ad Ionimam summa celeritate perrexit, eumq; de  
improviso aggressus fudit atque dissipauit, viuumque cum Heder filio suo  
capit. Inde per noctem eadem celeritate in castra sua victor reuersus est.  
Manc vero Jonimam cum eius filio vinctum in conspectu fratris addu-

Croia descri-  
ptio.Fortissimus  
exercitus con-  
fluit ad Scan-  
derbegum.

etum ostendit. Dehinc monte Cruino deturbato, hostium presidio potitus in eius summitate victor euasit. Quo cognito Ballabanus desperata iam victoria de Scanderbegio, a quo toties fugatus sususque fuerat, ira atque furore plenus, stimulis Martis agitat, similis furibundo & insanienti, citato equo, cum aliquibus militibus ad mœnia usque, & portam urbis Croia euectus est. Qui cum à Croiensibus & oppidanis multis promissis & pollicitationibus urbem in deditiōem petere contenderet, erumpentes oppidani & Croienses, maxima vi & impetu eum adorti, in fugam conuert-



runt. Quem quidam etiam ex Croiensibus Georgius Alexius nomine, vir Epiroticus, ictu sclopi fataliter in gutture percussus transfixit. Qui in castra equo reuectus, exanimis mortuusque, ante tabernaculum suum pronus in terram corruit, quo mortuo per omnia castra tumultuatum est. Barbari verò privati suo duce & prefecto, nocte illa, qua diem insequuta est destituta urbis Croia obsidione, mæsto admodum silentio discesserunt. Qui ad locum, qui Tyranna dicitur, octo ferè millibus passuum ab urbe distantem castrametati sunt. Verum Scanderbegus cum ad Barbarorum castra exorto iam die veniret, ea vacua atque deserta reperit, ubi multa impedimenta, sarcinulas, & comœntu abunde relictum inuenit. Postquam vero obsidio dissoluta, & urbs Croia liberata est, Scanderbeg victor de hoste triumphans, cum ingenti gaudio & gloria urbem ingressus est. Qui oppidanos omnes & Croienses publice de fortitudine, fide, & constantia plurimum commendans, maximis muneribus & premijs donauit. Interim verò duo equites ex castris Barbarorum, qui in Tyranna castrametati erant,

erant, ad Scanderbegum venerunt. Qui à ducibus & castrorum prefectis missi erant, ut his relictis castris, equis, & impedimentis, vita tantummodo superstite abire cōcederetur. Timebant enim, ne Scanderbegus eis transitus, & itinera, qua transituri erant, occludi faceret, quo omnes trucidarentur. Ex quo statim Scanderbeg omnes Principes & milites suos in concionem aduocauit, ut quid super hoc faciendum esset, decernerent, & sua capita proferrent. Qui omnes pariter hostem aggrediendum, & cum eo accerrimè dimicandum exclamauerunt. Verum Scanderbeg eos sic breuibus allocutus est:

Noui iam pridem, viri fortissimi, & commilitones mei, virtutem: non ui satis fortitudinem, & constantiam vestram, qua semper Barbarum acriter perterruistis, debellastis, in fugam conuertistis. Neque vereor hodie vobis animum deesse, hunc quoque hostem, quem in conspectu habemus, expugnatum à vobis, profligatumque iri. Sed animaduertendum est, Mi-

Oratio Epirotici ad Principes, prefectos, & uniuersum exercitum.



lites optimi, animo sapius reuoluendum sapientis illud: In tranquillo tempestatem aduersam optare, dementis esse: sanioris verò, quauis ratione ei occurrere, cum tempus aut necessitas urget. Deus cœlitus nobis victoriam sine ferro, sine pugna, sine cade demisit. Vrbs ab obsidione liberata est. Ballabanus hostis noster, qui tot mala adidit, & indies minabatur nobis, extinctus est. Exercitus eius fugam arripuit, sumus in pace, sumus in quiete, omnia arrident. Cur bellum quaramus? Cur aduersam exoptemus tempestatem? Cur fortunam cœcam, & incertam tentemus? Nostis enim

enim milites, quam inemendabilis, quam incorrigibilis sit Martis error. Nam alijs in rebus siquidem erratum est quidpiam, corripi tamen, emendariq; potest. At verò post praliorum delicta, locus emendationi minime conceditur. Ex quo veteres illi duces gloriosissimi non tam numerosos exercitus, quam armis eruditos esse voluerunt. Dubius enim est pugna euentus, incerti bellorum exitus, qui non in manu nostra, sed fortuna magis repositus est. Hostis semper timendus est, nunquam parumpendendus aduersarius, nunquam contemnendus, Quin & post consummatum bellum, post consequutam victoriam, non minori, quam in principio diligentia utendum est. Neq; unquam cum hoste temere confligendum, aut pugnandum. Quare si nos bellum cum hoste hoc, quem in oculis habemus, experiri voluerimus, si fortunam tentabimus, salutē & rem nostram, qua iam in tuto, & in portu est, in summo (quod absit) discrimine & periculo adducemus. Cohibete itaq; impetum istum, inhibete animi feruorem, satis victoria est adeptum. Nunc iam de hoste triumphauimus, contenti esse debetis tot cadibus, tot cladibus de hoste sumptis, tantisq; affatibus fortuna, qua semper tam obsequenti vsi estis. Videtis praeterea has Barbarorum copias innumeratas, ac penē infinitas, neque est hominum certe colluuias, sed eximius flos atque robur vniuersi Mahumetis exercitus, viri electissimi, fortissimiq;, bello accincti atque instructi, necessitate praeterea armati, qua vltimum telum, ac maximum est, nihil praeter pugnam cupientes, quo vindictam de morte Ballabani ductoris sui, & aliquid praecleari facinoris ad Ottomanum Principem perferant, atque reportent. Simulant enim Barbari (mibi credite) se nobis dedere velle, fingunt timorem, & pauorem. Noui commenta & fallacias eorum, noui insidias, dolos, & fr audes, in quibus maxime huiuscemodi hominum genus semper versatur. Nihil profecto magis quam pugnandi copiam expetunt, quam ex nobis vltionē sumere. Itaq; milites cauendum (si fieri potest) cum his bellum committere, fortunam tentare. Sed age nihil sit doli, nihil fraudis, rabidi ferē sunt omnes, spe omnidestituti, ignominia cladisq; pleni. Omnia timentes nihil timent. Nihil periculosius, quam cum eis manus conferere, quibus vnā tantum salus est, nullam sibi salutem sperare. Audacter dimicat, qui nihil sibi reliquit, nihil in spem ponit. Quid & si omnes illos vel deleamus, vel in fugam conuertamus, & non istud ipsum sine malo vestro, sine naufragio, sine cruore, sine vita dispendio. Omnis ea victoria est mihi luctuosissima futura. Quas obres, milites amantiissimi, si me audieritis, si consilia mea capefferitis, profecto sine pugna, sine ferro eos superabimus. Laborant enim Barbari rerum omnium penuria, & maxime re frumentaria, sine qua exercitus absque ferro vincitur. Occludamus vias, & itinera, ne quicquam subsidij, commeatuū quoquo modo ad eos perueniat. Nos interim urbem nostram

Croia

Croia fortissimo milite, omniq; presidio communiemus. Hi verò sic occlusi & obfessi fame teterrima omnino peribunt, & funditus sine ferro, sine pugna euertentur.

His à Scanderbego dictis, militum animi oratione eius sedari minime potuerunt, quin audaciores, ferocioresq; in hostem effecti, magisq; in furorem versi, atque magis elati, excitatiq; sunt. A quibus ingens postea tumultus, strepitus, & clamor undique exoritur, & per omnia castra exclamatum est: In hostem omnino fugientem, & iam iam profligatum intrepidè eundum, & in eum acerrimè irruendum. Nec Scanderbego Principi, qui iam hostem timere ostendit, in hoc parendum esse, quandoquidem ex acerrimo bellatore cunctator factus, arma viris ad arma natis, & arma frementibus velit auferre, & imperator exercitui, non exercitus ipsi Imperatori desit. Quorum vis & impetus vix à ducibus & castrorum praefectis inhiberi comprimiq; potuit. Quibus permissum est, ut cum primis urbs Croia frumento, commeatuq; communita fuisset, hostem ex animi sententia insequeretur, eiusq; castra aggredere. Mandauerat autem Scanderbegas, ut transitus, via, & itinera Barbaris occluderentur, ne per transire possent, neq; ad eos commeatus, aut subsidium aliquod comportaretur. Interea dum Scanderbegani milites triduo circa urbem communiendam sedulo instarent, Scanderbego nunciatur Barbaros, qui in Tyranna castrametati fuerant extrema fame compulsos, inde castra nocte illa signo secunda vigilia, per quod tempus mortales somno altissimo premuntur, clamor amouisse, neque tamen custodias fallere potuisse, sed maximam cum eis atque incolis pugnam commissam, tandem sibi ferro iter aperuisse, ingenti tamen suorum clade, & cade, & maxima impedimentorum amissione discessisse. Quo audito Scanderbegani milites, locis omnibus frementes agrè tulerunt, & maxime de Scanderbego conquesti omnem in eum culpam reiserunt, quod Barbarus impunè euasisset. Quibus tandem multis illecebris & donis placatis, Scanderbeg vniuersam obequitans provinciam, Turcica & Barbaria presidia, qua illic aderant omnia, aut capit, aut trucidauit. Postquam verò vniuersa provincia pacata, tranquillaq; reddita est, Scanderbeg socijs multum collaudatis, muneribusq; illis quampluribus exhibitis, omnes à se sereno, hilariq; vultu dimisit. Qui Barbarorum praedam onusti, leti alacresq; domum reuersi sunt. Ex quo insignis ille annus, & letus Scanderbeganis fuit.

ll

MARINI

# MARINI BARLETII SCODRENSIS SACERDOTIS, DE VITA ET GESTIS SCANDERBEGI

EPIROTARVM PRINCIPIS,  
Liber Tertiusdecimus.



Dolor & confusio Ottomanici Principis, ex morte Ballabani, & dissolutione obsidionis Croia.



Missæ impresentiarum Scanderbegana re, quæ satis florida, satis iucunda & trãquilla erat, ad Mahumetem Principem me conuertam, qui recenti Ballabani præfecti sui interitu, & fœda suorum fuga, & strage vehementer indoluit, afflicta se, & macerans supra modum, quod obsidio urbis Croia dissoluta esset: & quomodo ipse de tanta ignominia aduersus Scanderbegum se vlcisci posset assidue cogitabat, animoq; dies, ac noctes voluebat. Statuit tandem, vt coacto vndique ingenti validoq; exercitu, ipse iterum in Epirum contra Scanderbegum rediret. Quo audito Scanderbegus, delectum accuratiorem quàm ad alia bella vnquam haberi solitus esset, fieri iussit, & omnia loca & vrbes præmunijt atq; firmavit. Peracto igitur anno, expectato veris tempore, quod expeditionibus est magis aptum, quo cuncta in campis germinantia rident, ipse innumeris copijs, vario tormentorum genere, artificibusq; in omni arte peritissimis in Epirum proficiscitur. Qui vt primum venit, in quadã lata & ampla planicie, quam incolæ Sauram appellant, prope Scambinum

binum flamen castrametatus est, vbi Princeps Hyaranites Cominatus Scanderbegi focer præerat. Eaq; tempestate Ottomanus quodam in angulo iuxta populos, qui Iates, Bratescosagni, Cherabi, Buserschi, & Sopotani dicti sunt, urbem Valmorum iam dudum à Gallogracis, & Barbaris funditus euersam, quam nunc nostri ciuitatem nominant, instaurauit, atque reedificauit, qua fortissimo milite, omniq; præsidio munita, firmataq; castra sua inde amouens ad urbem Dyrrhachinam expugnandam profectus est, putans illam ex improviso immunitam, imparatamq; adoriri, sed eum sua fefellit opinio. Nam tum Veneti ipsi, tum Scanderbegus Princeps tam terrestri, quàm maritimo milite omniq; præsidio eam munierant, à qua Ottomanus Princeps cum multa cade suorum turpiter repulsus atq; reiectus est. Caterum eo impresentiarum omisso, pauca de laudibus huius urbis in medium afferre decreui. Dyrrhachium, quod prius Epidamnium dicebatur, urbs est Epiri, ab Epidamno quodam (vt nonnulli voluere) iam primum condita, à quo & nomen assumpsit. Huius ex filia nepos Dyrrhachus nomine portum adiecit, quod Dyrrhachium appellatum est. Verum vt alijs placet, Dyrrachium urbs Epiri maritima, est caput Taulantium, Pireorum, & Pratinorum, inter Lyssum & Apolloniam posita. Quæ cum prius Epidamnium vocaretur, propter inauspicatum nomen (quia velut in damnum ituris omen esse videbatur) à Romanis postmodum Dyrrhachium est appellata, à Cheroneſo, in quo sita est sumpto vocabulo, à Corcyreis (vt quibusdam placet) condita, quam potius ab ijs instauratam dixerim. Nam hæc, si antiquissimis autoribus, & fama credimus, inter ceteras vrbes vetustissimas connumeratur. Cuius laudes & præconia magna multaq; extant. Nam (vt inquit Lucanus) Dyrrhachium opus est non manufactum, sed natura munitum, in rupibus adeò altissimis positum, vt qui nauigant, suspicientes mœnium altitudinem, non solum admiratione quadam, sed periculi timore attoniti fiant. Ea enim mari circumdata præruptis rupibus ab vna parte, qua collis est continenti terræ coniungitur. Hinc portum habet tutissimum, commodissimumq;. Illinc campos latissimos, amœnissimosq;, agrum fertilem, & omnibus rebus copiosum. In ea sunt ædes sacræ, templa augusta atque magnifica. Ibiq; conspiciuntur imagines Regum, & Imperatorum. Ibi visuntur antiquissima Principum monumenta. Ibi statua Adriani Caesaris, seu potius Colossus ingens ex metallo conflatus, in editum locum erectus est ad portam Caballinam septentrionem versus. Arena præterea, siue Amphiteatrum mira arte ingenioq; constructum. Muri urbis munitissimi, turribus, alijsq; insignibus operibus ornati, decoratiq;. Spectanda quoque ea ciuitas est maxime in maritarum specie, salinarum, ac mercium commoditate. Hæc est Dyrrhachina urbs illa, quæ Romanum vidit Senatam, ac per benigne suscepit, ciuili san-

Epidamnium Colonia propter inauspicatum nomen à Romanis Dyrrachium appellata, nam Epidamnus urbs Macedonia à damno deduci videbatur. Vide Plin. lib. 3. cap. 23.

Antiqua monumenta in Dyrrhachio.

guine, atq; intestinis bellis non insignis minus, quam infelix. Quae demum qualis quantaq; fuerit, ipsa ruina docet.

Abfcessus Ma-  
hometis abvr-  
be Dyrrachi-  
na.

Postquam igitur Mahumetes à Dyrrhachinis tam male habitus est, & omnis eius conatus in irritum ceciderunt, credidit Scanderbegum urbis praesidio adesse, propterea quod milites eius plerosque ibi esse nouerant. Quare retrocedens ad urbem Croia ire contendit, eamque in modum corona undique cinxit, & primum petijt ab oppidanis, ut urbem, seq; in eius potestatem traderent. Quibus etiam multa dona & munera promisit. Cui cum Croienses varijs tormentorum, ac telorum generibus responsum dedissent, postea erumpentes ex urbe, acerrime cum eo decertarunt, victoresq; cum gaudio & multis hostium caesorum capitibus in urbem redierunt. Verum Scanderbeg, qui & ipse in campo cum suis aderat, qui nec latere, nec quiescere nouerat, Barbarum impune ire non permisit. Nam eius castra aggressus, die noctuq; eum infestabat, varias cades & damna ei inferens, adeo quod Mahumetes animaduertens, nihil se aduersus Scanderbegum proficere posse, inde discessit, & locum quendam ad littus Adriatici maris non longe à Dyrrhachio positum petijt, qui nunc ab incolis Caput redoni dicitur, ubi Princeps Scanderbegus nuperrime urbem, quam Chiurilum appellauit, ponere coeperat. Quam quum Ottomanus nondum habitauit, nec perfectam reperisset, funditus euertit. Dehinc ad expugnationem quorundam populorum Scanderbego subditorum accessit. Scanderbeg autem assidue illum infestando sequebatur, qui montana etiam & aspera loca incolebant, eum die noctuq; assidue lacebant, à quibus cade, & ignominia maxima affectus, inde discessit. Ad extremum vero desperata de Scanderbego victoria (qui prius omnia munierat atq; firmauerat) relicta Albania & Epiro, moestus ac tristis turpiter discedens, Bizantium unde uenerat petijt. Post cuius discessum illico duo ex suis praefectis, Ali, & Aias uenere, missi ab ipso ad tutandos duntaxat, saluandosq; fines suos, ne à Scanderbeganis infestarentur, quos nullatenus ad bellum prouocarent. Qui cum primum uenere, Barbara arte vsi, quo Scanderbegum in suam atraherent amicitiam, sibiq; conciliarent, multa xenia, dona & munera ad illum, clam admodum ab Ottomano facere fingendo, miserunt. Quibus Scanderbeg, quo animi sui magnificentiam cognoscerent, & ne à Barbaris gratitudine atque beneficijs superaretur, pulcherrima vicissim munera dedit. Interea uero Scanderbeg iussit undique delectum fieri, ut maximo coacto exercitu, ad urbem Valmorum expugnandam, quam nuper Mahumetes fundauerat, proficisceretur. Morbo tamen graui implicitum (prò dura sati potentia) ab ea expeditione eum fortuna subtraxit.

Lyssa Veneto-  
rum vrbis.

Nam quum uniuersam prouinciam ad recensenda capita obequissset, & Lyssum tandem peruenisset (ea enim urbs Veneto imperio parens, Scanderbego

derbego peculiaris, & perchara erat) ut ibi socios & confederatos ad consilium congregaret, in grauem incidit febrem. Vnde morbo indies inualefcente, magis timens sibi, & iam extremum uita tempus aduentasse ratus, omnes socios & Principes, qui ad eum uenerant, conuocari iussit. Praeterea Venetorum etiam legatos, quibus cum maxima erat necessitudine atq; beneuolentia deuinctus, ad haec duces suos, & castrorum praefectos, omnesq; sic benignè alloquutus est:

Summam ueramq; uirtutem atq; religionem, Principes optimi, uosq; Commilitones amantissimi, esse arbitror, Deum summum optimumque imprimis iuste, sanctè, pieq; uenerari, colere, obseruare: Dehinc patriam, remq; publicam, in qua natus quisque educatusq; est, non amare solum, tutari, semperq; pra oculis habere, sed etiam ad sanguinem usque protegere,

Testamētum  
& uerba, qui-  
bus Scander-  
beg ad suos  
duces & praefectos castrorum  
uſus est.



atq; conseruare. His enim omnibus, qui hoc faciunt, proprium in caelo locum diffiniuere sapientes. Quae quidem omnia, quae semper mihi cordi fuerint, ad eaq; omni ingenio, totisq; uiribus contenderim, Deum imprimis, uosq; optimos mihi testes adduco. Jam trigessimus peractus est annus, commilitones mei, quod impias atque nepharias Amurathis Turcarum Principis manus euasi, & in regnum meum auitum ac paternum confugi. Ex quo bella assidua, cum pro rei totius nostrae tutela, tum Christiana Reipublica dignitate aduersus perfidam gentem, & Ottomanam rabiem gessi semper, atq; sustinui, omniaq; propitio Deo fauste, feliciter, & ex animi sententia cesserunt nobis, nec uictum unquam iusta acie, aut profligatum me Principem & commilitonem uestrum, sed uictorem semper

Scanderbeg  
vixit annos  
63.

de hoste ( liceat hoc & mihi dicere ) excepistis: neque memini unquam me praterquam semel sagitta in pede dextro à Barbaro quodam ictum fuisse, quem illico in totius exercitus cōspectu obruncaui, caputq; eius cruentum ante pedes vestros proieci. Alias quidem nunquam ( ut nostis ) membra hac, corpusq; meum tot bellis, tot periculis expositum vel ferrum hostile sensit, vel vulnere aliquo indoluit. Nunc verò ( sic rerum humanarum ordine procedente ) reuoluto tertio & sexagesimo atatis meæ anno, iam in senium vergens, Ecce ò socij, ecce commilitones charissimi, morbo graui correptus, & totus naturali virtute, & robore destitutus, iam iam deficio. Sentio iam commilitones mei, sentio inquam, diuina sic iubente providentia, qua cuncta constare, regi q; non immeritofatemur, deposita fragili hac mortaliq; sarcina, ad alia loca concedendum, vitæq; huius breuitatem, atq; arumnas, cum ijs, quæ vera sunt commutandum esse mihi, neq; cogitatio me hac, aut necessitas potius ( Deum testor ) aliquo modo perturbat. Non inuitus iugum hoc subeo, quod nascentibus nobis fata dedere. Nihil dolendum est; nihil ingemiscendum, quod præter legem non patimur. At ea sumus legē nati, ut omnes in hac mortalitatis necessitate positi simus. Scio autem, quod omnibus necesse est, id ne miserum esse vni potest. Reddenda est tandem terra terra, obtemperandum naturæ, restituenda æterna hac, immortalisq; anima, cælestisq; spiritus illi, qui tradidit, commodauitq; nobis. Neque tamen hanc moriendi sortem idcirco ita æquo nunc animo subeo, amplector, ò socij & commilitones dulcissimi, quo pericula illa fugiam, labores euitem, arumnas me abstraham, in quibus hucusque pro Christiana Republica dignitate & fide, annos omnes exposui, & vitam peregi, quippe quum & plura, & maiora semper pro ea subire paratus sim. Sed video, video iam hanc esse diuini numinis voluntatem, sentio Deum, clareq; perspicio, cui omnino est parendum, ut ex hac terrena fece, ac infelici ergastulo tandem recedam. Satis præterea naturæ indulsi, vixi iam satis, & quem dederat cursum fortuna, peregi. Verum antequam & spiritus me, & vos ipse deseram, atq; relinquam, illud occurrit imprimis, de quo vos alloquendos, ac commonendos putauit, ut solitus sum semper, dum per melioris atatis annos integrum fuit mihi, ut Christiana Republica, ac Catholica fidei salutem atq; dignitatem, sicut pro ea hucusq; viuente me tanto omnium Christianorum Principum favore & admiratione ad extremum usq; spiritum elaborastis, insudetis, ita impostero mortuo quoque unam semper in animis, unam præ oculis habeatis. Habebitis autem ( mihi credite ) facillima semper omnia vobis, felicissimaq; si primum mutuam inter vos pacem & concordiam, qua vel minima quaq; maxima sunt, fidemq; atque beneuolentiam inuicem seruetis, omniaq; semper infra commune bonum, & utilitatem publicam ducetis. Nullum est enim tam potens, validumq; imperium,

rium, quod non corruat quandoq; atque dilabatur, ubi mutuis odijs atq; disidijs præbeas locum, ubi priuatam utilitatem, propriumq; commodum publico bono anteponas. At verò si concordēs inuicem & coniuncti eritis, neque hostis ullus, neque aduersarij impetus obesse poterit vobis: regna, imperiaq; vestra durabunt, semper permanebunt: populos, gentes, uxores, liberos, fortunasq; vestras, in quiete, & felicitate perpetua collocabitis. Non Ottomanis rabiem, non Barbarum furorem timere poteritis, non doli eius artes, vel insidia aduersus vos quicquam proficient, qui ut vos, viresq; vestras separet atque seiungat, dies noctesq; molitur atque laborat, quo vestrum unumquenque ita seorsum, sigillatimq; oppressum, ex animi sui voto deleat atque euertat. Præter hæc, socij & milites fortissimi, Iohannem filium meum, quo maiore possum studio, diligentia, cura, commendo vobis, fideiq; atque virtuti vestra dedo atque trado. Qui propter atatem infirmus, & balbutiens ferè adhuc, neque ad prouidendam, neque ad propulsandam calamitatem est satis idoneus, ne ferè & rabidi tigrides eum deuorent atq; dilanient, ne Mahumetes perfidus, & communis hostis illum, regnumq; eius opprimat ( ad quod semper anxius est ) & ei rabido atque cruento ore omni tempore insidiatur. Et obtinebit ( præ dolor ) obtinebit, opprimet misellum, ni virtus vestra, armaq; eum protexerint, atque conseruauerint. Quum primum enim sentiet truculentissimus Tyrannus me ab humanis ademptum, non stabit vel temporis momento, aduolabit quàm ocissime, tanquam rabida belua, ut tot mala, tot clades, tot iniurias à patre acceptas, in paruulo infeliciq; filio ulciscatur, atque resarciat, adatq; in eo ( heu me miserum ) omnia efferacissimi animi, atque crudelitatis exempla. Amplectimini igitur socij & commilitones amantissimi, rem & imperium eius ea fide, ea diligentia, qua ipse cuncta commoda & ornamenta vestra ( si vera fateri velitis ) omni vita mea tempore sum amplexus. Qui non mihi vixi solum, sed vobis omnibus, liberisq; vestris, itaq; laboraui, insudavi, ut neq; dies, neq; noctes à laboribus, & vigilijs cessarem. Non ocio, non quieti superfuit mihi tempus aliquod in uniuersa vita, non locus certus, non tempus cibi, somniue sumendi fuit unquam, noctes pares diebus insomnes ducebam. Cura & incolumitas regni, & imperij vestri non minus cordi mihi, quàm propria erat. In quos ( Deum testor ) ut nunc saltem, postquam in hunc incidi sermonem, animum meum aperiam vobis, nihil unquam fraudis, nihil doli aut feci, aut machinatus sum. Vosq; non ut milites, satellites, aut ministros, sed ut socios, & fratres semper habui, & dilexi. Nemo vestrum à me unquam ( quod meminerim ) non modo manu violatus, sed ne verbo quidem inclementiori appellatus. In castrensi cura, & labore, in militari officio, in excubijs, in vigilijs nunquam vobis inferior eram, sed tanquam vnus ex

Scanderbeg  
moriturus, filium suum Iohannem commendat.

commi-



commilitonibus me habebam, & facta mea, non dicta sequi volebam, nec disciplinam modo, sed exemplum à me peti. Nullum unquam laborem, nullum discrimen aut periculum recusabam, siue aliqua simulatione, aut tergiuersatione fugiebam. In hoste aggrediendo (absit inuidia verbo) inter primos versabar: è pralio & pugna cum ultimis redibam. Exuuias & hostium spolia, pradaq; Barbarorum vobis imprimis impartiebar, diuidebamq;, nihil mihi de his retinebam. Regnum, imperium, fortunas, mea deniq; omnia communia faciebam vobis. Nihil proprium erat mihi, aut certum, nihil diuisum à vobis, nihil separatum. Nunc commilitones charissimi, ecce morior, ecce vos defero. Quare rogo omnes, obsecroq;, ut hanc fidem, benevolentiam, charitatem, quam in me vos vel nullo temporis momento desiderare potuistis, eam in Iohannem filium, regnum & imperium eius vltro exhibeatis, atq; impendatis, quem ego effigiem, atque imaginem meam, vicarium pro me vobis do, dicoq;.

Scanderbeg  
alloquitur fi-  
lium moritu-  
rus.

His dictis, continuo ad se filium suum aduocans, sic blandis verbis com-  
monendo eum alloquitur: Fili mi Iohannes, fili mi, ecce iam morior, & te  
infantum atq; tenellum relinquo. Equidem tibi ego regnū, & imperium  
trado firmum & stabile, si bonus eris: si verò malus, debile & imbecille. Stu-  
de igitur, fili mi, innitere, ut bonitatem & virtutem solam rebus ceteris  
omnibus anteponas. His enim & te ipsum conseruabis, & regnum, atq; im-  
perium tuum, non tranquillum solum, & quietum efficies, sed augebis quo-  
tidie, in maius prouehes, atq; illustrabis. Verum quia nunc per atatem im-  
potens es fili, neque idoneus satis ad habenas imperij tui suscipiendas: pra-  
terea sunt hostes undique tibi, sunt fera pessima, qua te continue deuorare,  
atque dilaniare student. Est enim Mahumetes ille Tyrannus, communis  
omnium Christianorum hostis, qui, si modo fili mi ita paruulus & infirmus  
paterni regni tui curam suscipias, te omnino opprimet, atq; euertet. Ideo  
anima mi, quamprimum oculos paternos contexeris atq; compresseris, &  
corpus meum tumulo tradideris, confestim cum matre tua in Dauniam  
traicito, & ad vrbes, ciuitatesq; tuas quam mature properato, ibiq; usque  
ad puberes annos moram trahito, quoad imperij tui regendi gubernandiq;  
idoneus efficieris. Postquam verò adoleueris, Venetum adeas imperium,  
ut tibi regni tui auiti & paterni sceptrum reddat, atque restituat. Sub cu-  
ius nunc tutela atque regimine illud relinquo, fideiq; committo, ut curam  
illius gerat, ab hoste protegat, tibiq; seruet. Mancant enim sic inter me &  
Venetos fœdera, sic leges, pacta, & conditiones inita sunt, ut regnum tuum  
ab hostibus & inimicis tueantur, tibiq; seruent, atque in eo te, cum aptus ad  
id muneris fueris, reponant. De quorum fide & diligentia in rebus tuis ni-  
hil dubito, cum soli sint Veneti inter ceteros Christianos Principes (pace  
omnium dixerim) qui cum grauitate, prudentia, & rerum gestarum ma-  
gnitu-

Venotorum  
laus.

gnitudine nemini cedant, tum fidei maxime & bonitatis præstantia impri-  
mis amandi, obseruandiq; sunt. Quod ego toto imperij mei, & vita tempo-  
re, in omni actionū genere, tantis rerum experimentis vnus melius, quam  
alius quispiam cognoui, comprobauit, & expertus sum. Qui & socij mihi,  
ac confœderati, locoq; charorum parentum semper fuere. Eisdem tibi igitur  
fili parentes, eosdem Principes, eosdem tutores relinquo. Ab eorum mo-  
nitis, consilijs, præceptis, nunquam discedas. Soli sunt Veneti patres iustissi-  
mi, sanctissimi, Catholica fidei & religionis tutores assidui, pupillorum, vi-  
duarum, & omnium imbecillium, ac miserarum personarum protectores.  
Adeo præterea charissimi mihi, ut res eorum & imperium, cura mihi,  
cordiq; perinde atq; meum semper extiterit. Tanta nostra in eos fides, &  
benevolentia, ut vrbum, ciuitatumq; suarum ius atque arbitrium, in ma-  
nu mea omni tempore reliquerint, commiserintq;, easq; ita (propitio Deo)  
dum licuit mihi maxima semper felicitate tutatus sum, & ex animi eo-  
rum sententia conseruauit. Itaque fili mi tutus esto, & sub eorum umbra  
atque tutela securus uiuit, ad eosq;, quum atas tua patietur, hilaris, &  
intrepidus accede, quia in sedem te vel cupide reponent. Vrbes ciuitatesq;  
regnum, & imperium perbenigne reddent tibi, atque restituent. In quo, si  
bonus & fidus eris, ab omni hostium vi & impetu, ab armis & telis aduer-  
sariorum protegent te semper, illudq; tibi incolume seruabunt: utpote qui  
Principes potentissimi, sapientissimi, terra mariq; inuictissimi, nullum so-  
cium sibi fidum, nullum amicum deserunt aut destituunt, neminem frau-  
dant aut circumueniunt unquam. Quum verò fili mi in regnum tuum  
pacatum & tranquillum reuersus sederis, illiusq; curam & regimen susce-  
peris, iustitiam imprimis cole, qua omnium virtutum apprime est claris-  
sima: aequitatem serua, faciei pauperis, diuitis, & potentis nullo habito dis-  
crimine, in omnibus modestia & temperantia utere. Regnum tuum ami-  
citiis vallato, stabilitaq;. Nam neque thesauri, neque exercitus sunt præsti-  
dia regni, verum amici, quos neq; armis, neq; auro habere queas, officio &  
fide parantur. Quare extat diuina illa Philippi patris in Alexandrū Re-  
gem obiurgatio. Qua te fili ratio in hanc tam vanam spem induxit, ut eos  
fideles tibi futuros existimares, quos pecunia ad amorem tui pellexisti, a  
charitate istud præstat. Veluti enim terra ista hunc solem, quem vide-  
mus, maxime desiderat, ita vita humana amicitia plurimū indiget. Com-  
parabis igitur fili cuncta hæc, comparabis (mihi crede) deuinces, tibi obli-  
gabis omne hominum genus, si præcepta mea seruaueris. Quum sola quip-  
pe humanitas, sola beneficentia sit, qua Deo grata, hominibus accepta, tu-  
ta ubique, & extra periculum posita, mirabiles in omnium animis sui a-  
mores generant, & ceteras facile superant virtutes, ac longo post se inter-  
uallo relinquunt. Sola vel singulari sapientum testimonio atq; consensu,  
mm cum

Præcepta pro  
Principe for-  
mando.

Amici præsti-  
dia regni sunt

Philippi vox  
in Alexandrū  
Regem.

Laus humani-  
tatis & bene-  
ficentia.

cum omni hominum genere, tum Principibus maximè necessaria. habent enim omnium ingenia in sua manu, possident omnium animos in sua potestate. In arduis demum & aduersis fortis esto, fili. In secundis verò & prosperis felicem fortunam virtute moderaberis, atq; domabis. Mollis, quietis, atq; effæminati ocij impatiens esto, inde enim mala omnia proueniunt.

Ocium fomes omnium malorum est.

Milites tuos ignauia, vel desidia tabescere non permittas, sed laboribus, vigilijs, sudoribus assiduis exerce, eos tamen non ut ministros, sed ut socios & commilitones tractes. In Castrensi labore, & cura militari, non Imperatorem te tantum, verum etiam militem exhibeas. Delicias maximè abhorre, luxuriam fuge, quibus fortissimi etiam & robustissimi viri molles, effæminatiq; fiunt. Seueritatem quoque nimiam, & crudelitatem, qua propriè ferarum est, euitato. In laboribus patiens, & periculis intrepidus esto. Rerum vicissitudinem, & varietatem, fortitudine, atque prudentia moderare. Molestiorem fortunam ita feras, ut calato, dissimulatoque vulnere, nihil habeat hostis, quod de te gloriatur, nihil quod calamitati tuae insultet. Quid enim minus est constantis, & recti Imperatoris, quam cuius animi motum vultus detegit. Barbarorum insidias præter cetera, in quibus maximè huiuscemodi hominum genus versatur, ut fugias semper præ oculis habe. Fuge perfidiam, fuge dolos perfidæ gentis; contemne amicitiam, abominare societatem, & benevolentiam nefandissimi Tyranni, sperne munera, blanditias, & promissa eius, ne, dum allicere cupit, & incautum te opprimat, & in aterna mala detrudat. Ideo consiliarios tibi notos, fidos, charos, omni tempore adhibeas. Hæc sunt, lux mea fili mi, præcepta & instituta, qua ipse à parente meo haud pœnitendo magistro accepi, & didici, quibus delectatus sum semper: his me instruxi, his edocui, his aetatem, & vitam omnem formauit, ex his denique fructus maximos capi. Igitur ut ea nunc tu quoque te ipsum doceas, amplectaris, imbibas, obserues, te maximè hortor, admoneo, & (si pateris) parens, parens inquam rogo, oro, obsecroq;.

Quales consiliarij.

Irruptio Ahamathi Turcarum præfecti, cum 15. millibus equitum in agrum Scodrensem.

Dum hæc Scanderbegus dixisset, interea rumor ingens per uniuersam urbem excitatur, tumultusq; recens ex agris allatus pro nuncio fuit, Turcas iam adesse, agros vicinos percurrisse, incendisseq;. Quo audito Scanderbegus, & si in lecto graui laboraret morbo, tamen animum illum pristinum, & inuictum, spiritus illos viuaces, & Martiales comprimere, aut cohibere nequiuit. Quum è lecto assurgens, membris iam vacillantibus, & tremebundis arma, clypeumq; suum peteret, & equum sibi sterni iuberet, ita vegetum ingenium in viuido pectore vigeat. Sed quum mēbra eius iam viribus & vigore suo destituta, debilitataq; fluitarent (heu bone Deus, quis est tam excelsus & sublimis, quis tam strenuus etiam & fortis,

fortis, non dicam humilis, & debilis, ac imbecillus, qui mortem effugere possit?) prociens in lectum, ad milites conuersus, hæc verba inquit: Egreimini, egredimini milites in hostes & Barbaros, præite, præite me, quia vos statim sequar. Quorum nonnulli equites urbem egressi, ad castra Barbarorum peruenierunt, qui Scodrensem agrum deperdati, iuxta torrentem, qui Clirus dicitur, prope urbem Scodra castrametati fuerant. Venerat enim Ahamathius præfectus cum 15. millibus ad agrum Scodrensem depopulandum. Quos ut Barbari viderunt, Scanderbegum adesse arbitrati, continuo undiq; castris tumultuantibus, trepidantibusq;, relicta maxima parte præde, per aspera & ferè inuisa nocturno tempore aufugerunt: erat enim mensis Ianuarij, niuesq; totam tellurem cooperuerant. Qui quum per ardua, & montium cacumina transirent, à regulis & incolis, qui ea loca inhabitabant, oppressi sunt, qui funestam eius populationem, & cruentam prædam fecerunt. Nam plures fuere capti, multi casti, prædam ferè omnem amiserunt. Scanderbegus vero eadem nocte, qua Turcicus & Barbarus exercitus aufugit, post sacram confessionis pœnitentiam, ceteraq; Ecclesiastica Sacramenta qua decet veneratione percepta, continuè se animumq;

De morte Scanderbegi.



Deo maximo tradens 16. Kalend. Februarias, Anno Domini, M. CCCCLXVI. extremum diem suum obiit. Fertur igitur Scanderbegus 63. annos natus, 24. sui imperij anno è vita migrasse. Auguratus est autem Scanderbegus prima auspiciis imperij sui quarto Kalend. Decembris, anno eiusdem Domini, M. CCCCLXIII. Quem Lechas Duchaginus regulus Epirota, de quo superius mentio facta est, cum mortuum conclamari audisset, in publicum se proripuit, mæstoq; vultu, & voce confusa, barbam sibi euellens & capillos: Concurrite, concurrite, inquit, reguli omnes &

Princi-

Principes Albani. Hodie claustra Epiri & Macedonia perfracta sunt. Hodie praesidia & mœnia nostra corruerunt. Hodie robur omne & vires nostra defecerunt. Hodie sedes & imperia nostra collapsa sunt. Hodie omnis spes nostra cum hoc homine penitus extincta est. In eius quoque obitu equus quem ipse equitabat cum pugnaturus esset, ferus, rabidus, & indomitus factus est, ita ut nullum amplius dorso suo perpeti vellet, qui paulopost extinctus est. Sepultus autem est Scanderbegus in vrbe Lysi in Ecclesia maiori diui Nicolai, cuius exequia & feria, more maiorum ingenti pompa, luctuq; militum suorum, & omnium Principum & Ducum dolore maximo, patrio ritu, deducta sunt. Eoq; loco ossa eius reposita in pace quiescunt, quoad Mahumetes Turcarum Princeps in Albaniam & Epirum ad oppugnandam urbem Scodra venit: de qua oppugnatione siue expeditione iam in alio libello, quem adidimus, diffusius scripsimus. Quo tempore Turca & Barbari potiti vrbe Lysi, corpus Scanderbegi summo desiderio repertum de tumulo extraxerunt, & quem tant opere viuum reformidabant, & ad eius tantum auditum nomen fugiebant, mortuum, & iam dissolutum (nescio an id diuina dispensatione factum sit) videre summopere cupierunt, ne dicam venerari, & adorare ostenderunt. Nam omnes quidem ita ad eius cineres ossaq; certatim consuebant, ut felix, & perbeatus is fore existimaretur, qui ea videre & tangere, feliciorq; tamen, qui minimam ex illis particulam vendicare sibi posset, quam alij argento, auro alij recondere atq; exornare faciebant, & ad collum appedebant sibi, tanquam rem diuinam, sanctam, & fatalem, & summa veneratione ac religione obseruabant, existimantes illos omnes, qui eas secum reliquias ferrent, consimili quoq; fortuna & felicitate in vita vsuros esse, qua ipse

Locus sepul-turæ.

Alius liber de oppugnatione Scodra.

Scanderbegus à Dijs immortalibus impetrata. solus ex omni hominum memoria dum videret, semper vsus est.

FINIS.

MARINI

MARINI BARLETII, SCODRENSIS SACERDOTIS, DE SCODRENSI OBSIDIONE, ET EXPUGNATIONE, Liber Primus.



De prima Turcarum origine, inter eos qui de ea re scripserunt, varia (ut video) est sententia. Nonnulli stirpis Troiana eos affirmare non dubitant: hac vsurratione, quod à multis Teucris vocati sint. hi frivola argumentatione freti, facile conuincuntur. Nulla enim habent monumenta fide digna, unde hanc opinionem mutuati videri possint. Alijs eos gentem esse Scythicam placuit, scdam & truculentam, qua vitam ageret parum à belluis promiscuo concubitu & victu differentem, omnis expers religionis, Augusto duntaxat mense veluti quadam Saturnalia celebraret. Hac Imperium Romanorum magis audiuit, quam sensit: nulli tributum unquam, praterquam Octauio Augusto dedit, & id quidem sponte: quum proximas regiones annua illi tributa pendere audisset. Nonnulli, quorum mihi sententia verior videtur, eos esse asserunt;

De Turcarum origine variâ Scriptores. I.

II.

III.

qui iuxta Tanaim incoluerunt, quorum Pomponius ijs verbis meminit: Geloni urbem ligneam habitant: iuxta Thissagetæ, Turcæq; vastas sylvas occupant, alunturq; venando. hinc quidam certa quadam locorum ratione adducti, Turcas, et non Turcos, aut Teucros dicere maluerunt. Hæc gens, quo tempore Pipinus apud Francos regnabat, Caucasas egressa portas, multos Asia populos inuadens, Halanos primum, deinde Colchos et Armenios, postremo Persas et Saracenos qui tum Persidem tenebant, et agrorum direptionibus, et multa mortaliū præda, innumerisq; cadibus vexarunt. Cum Auaribus quoq; certamine acerrimo Turcæ conflixerunt, in quo utrinq; plurimi desiderati sunt. Minore Asiam non intactam reliquerunt: Pontum et Cappadociam omnem depopulati sunt. Præterea montes et claustra quadam opportuna occuparunt: quorum occasione et commoditate, latronum more, clandestinis quibusdā excursionibus maximas sibi vires quesierunt. Quare assiduis irruptionibus gens ipsa usque adeo aucta est et in tantum viribus creuit, ut a quo Marte cum finitimis populis contendere de Imperij possessione cœperit. Itaq; per interualla temporum non solum Pontum, Cappadociam, Gallatiam, Bythiniam, Lycaoniam, Pisidiam, Phrygiam, Pamphiliam, Cariam, et omnem minorem Asiam à Tauro ad oram usq; Ioniam, et littora Græci maris, occupauit: non unum sortita Principem, sed alij aliorum ducum auspiciis et factiones secuti sunt. Iam tricesimus ferè ac centesimus annus agitur, ex quo Saladinus, qui et Turca, et Ottomanus, vir magni animi, sed non multarum opum, et parui inter priuatos nominis, collectio milite, et modica manu, quam per seditionem comparauerat, non solum Christianos vexare, sed et suos infestis armis inuadere cœpit, et eos sub iuga sua mittere. In hoc secunda usus est fortuna. Nam dum alij Principes discordias inter se (quod est regnantibus et ciuitatibus venenum pessimum) conserunt, et sese inuicem mutuis cadibus lantant: Ottomanus interim undique collectis et accitis, qui rapinarum et prædæ cupidi erant, auctoritatem et nomen magnum breui adeptus est. Oppida complura partim vi, partim deditioe in potestatem suam redegit. hæc tanta et tam felici victoria elatus, tantum sibi nomen et dignitatem peperit, ut et unus omnium primus ex Ottomana familia, incredibili Turcarum omnium consensu Rex, quem illi Amyram vocant, creatus fuerit: et ita in animos barbarorum influxerit, ut alium sui generis Amyram, quam Ottomanum quempiam, in hanc diem patiantur esse neminem. Huic Orchanes filius successit, qui regnandi cupiditate, atque animi magnitudine haud patri dissimilis, alios omnes qui ante eum fuerunt, et disciplina militari, et copijs, apparatusq; longe superauit. Erat enim natura liberalis, ingenio leni, moribus facillimis, et ad imperandum prudentissimus, adeo ut ijs artibus animos omnium ad se amandum alliceret. Ex

Ottomanus, Turca, Saladinus, vnus idemq; creatus Amiram seu Rex.

Orchanes, Ottomanus filius.

ret. Ex quo ingentes copias, maximumq; exercitum undique comparauit, et imperium a patre incoatū mirum in modum auxit. Post quem Amurates filius regnauit, vir quidem animi corporisq; virtute, rei q; bellica peritia plurimum pollens: qui et ipse occasione oblata, dominationem a patre relicta in manus prouexit. Nam quum Theodorus Cantacuzenus aduersus generum suum Ioannem Palaologum, quem Constantinopolitano imperio defraudauerat, quum illius regni tutelam gereret, bellum suscepisset, Amuratem nec renitentem in auxilium suum vocauit: hæc tamen lege et conditione, ut bello inter eos confecto, is ad loca propria unde venerat, rediret. qui quum ex Asia in Graciam per Hellespontum transisset, consulto bellum protrahere cœpit, ut et socerum et generum longinquo bello exhaustos, et eneruatos viribus, et penitus fractos inuaderet: quod Barbarus ex sententia adeptus, illis oppressis Callipolim et Chersonesum primo, deinde maximam Gracia partem subiugauit: hinc effectum, ut postea palam et audacter cetera omnia inuaderet, et ad ipsum Gracorum imperium sibi vindicandum totis viribus intenderet. Sed dum hæc moliretur, à Milosso Cobilichio, viro fortissimo, Mysorum Principe, strenue obtruncatus est. Hic duos reliquit filios, Solimanum et Paiazetem: qui ad reliquam patris expeditionem, et regni administrationem capeffendam, non minus atate idonei, et rerum militarium disciplina, quam ingenio, prudentia, ceterisq; virtutibus fuerunt. At Solimano extincto, res vniversa ad Paiazetem deducta est: qui magna vi animi et corporis fuit, corpore quidem strenuus, laboris patiens, et supra quam cuiquam credibile sit, ingenio acerrimus, magna semper atque difficillima appetens, eaq; ad exequendum perficiendumq; audax, promptus, et belli percupidus, atque ardens, ocij et quietis impatiens. in stratagematis et hostibus fallendis calidus, atque versutus: denique in omni re nauanda, et negotio peragendo, usu, arte, consilio, atque exercitatione peritus atq; impiger: ad cauendum cautus, atque prouidus. Præterea fortuna afflatibus adeo usus est, ut breui tempore post susceptum imperium, fines suos longè lateq; propagauerit. nam et totam penè Thraciam perdomuit: Mysos Thessalos oppressit, in Macedoniam irrupit: Phocidem, Bæotiam, Atticam occupauit: Illyricos, Tribalosq; assiduis excursionibus, repentinisq; depopulationibus, atque oppugnationibus partim euertit, partim sub iuga sua misit. Bizantium verò caput et culmen Imperij, vniuerso agro vastato atque direpto ita afflixit, ut de salute sua ciues solliciti, partim de deditioe cogitarent, partim ad peregrina et externa auxilia imploranda per vniuersos Italia populos, et in superiorem usque Galliam confugerent. Quumq; interea Paiazetes res magnas in Asia atque Gracia gereret, omnibusq; formidini esset, Messageta ille Tomyris,

Amurates Rex.

Gracia occitipata occasio.

Paiazetes Rex.

cogno-

cognomento Tamberlanus, ex Perside profectus, ad occupandam Asiam magna manu contendebat. Cui Paiazetes ingenti validoq; exercitu occurrit, ut fines suos tutaretur. Sed fortuna inuida atq; dolosa, cui vel maxima minime credendum est, quae applaudens ei hucusq; affulserat, quanto altius illum extulerat, eo facilius deiecit atq; prostravit. Nam in Armenia finibus certamine victus, ducentis millibus amissis captus est: & cathenis

Paiazetes à  
Tamberlano  
captus.



aureis currus vincetus, à Tamberlano quasi triumphante circumuehebatur: qui tandem dimissus, nihil memoria dignum egit, mortemq; in Asia inglorius obiit. cuius filij, qui complures erant, in potestatem Graecorum venere. Nam quum capto patre periculum euasuri, ex Asia in Thraciam nauigare contenderent, in naues Graecorum inciderunt, à quibus & capti sunt. Calapinus nati maior emissus à Graecis, regnum quassatum & penè fractum, & viribus exhaustum obtinuit. Quo tempore Sigismundus Pannonum Rex non vniuersis copijs collectis, non acie instructa, Danubium traiciens, ad Calapinum opprimendū accurrat: quo cum, temerario quorundam suorum ausu inito praelio infeliciter pugnans, amissis castris & impedimentis, turpiter ac fœde fusus, profligatusq; est: & ipse vix paruo nauigio Danubium transens, hostiles manus euasit. Qua victoria erecti sunt hostium animi ad maiora, & efferaciores facti, ad fines Christianorum inuadendos, opprimendosq; iam inde intenti fuere. Calapino verò extincto, Orchira filio tenella etate adolescentulo, quorundam Principum ductu & auspicio regnū occupare conanti, Moyses patruus, & ipse à Graecis dimissus, infestis armis occurrit: & magis prodicione, quam pugna oppressum

Calapinus  
Rex.

Vincit Sigismundū,  
Regem Vngarię.

Moyse opprimat  
Orchirā  
Calap. F.

pressum extinxit adolescentem. Haud multo post & ipse, nullo superstite filio decessit: quem Meumethes admodum adolescens frater, tertius ex Paiazeta filijs subsecutus, regnum citra omne domesticum certamen obtinuit: qui magnis rebus in Europa gestis, in Asia quoque complures Turcarum vi atque armis oppressos, regnis exiit. Huic vita functo successit Amurates filius: qui per id temporis in Asia manens, audita patris morte, per Hellespontum in Thraciam conatus traicere, Imperatori Graecorum maritimo apparatu prohibitus est. Et Mustapha natorum Paiazetes reliquus, ut rerum potiretur, à Graecis liberatus, & summa ope adiutus est. Sed Mustapha pugna superato & interempto, Amurates victor vniuersum regnum obtinuit. Quod non solum pacatum, tranquillumq; effecit, ac valide tutatus est: verum magnopere auxit, amplificauitq; nam & in Graecia Thessalonicam, ciuitatem illustrem, celeberrimamq; breui expugnauit. Helidem capit: in Ilyrico, vniuerso agro incenso, atque depopulato, multa oppida partim vi superauit, partim euertit. Isthmum Corynthiacum summa vi penetravit: Peloponnesum, regionem tam rebus omnibus fecundam, quam munitam, magna Graecorum clade expugnauit: oppida multa in ea capit: pradam maximam inde abegit, quam militi omnem concessit: claustra, muros omnes, qui ei munimento erant, perfregit atque dissipauit, ut ubicunque libere, copijs peruagari posset, facilisq; in ea undecunque pateret incessus: quo etiam tempore Graecis maximam pecuniam imperauit. Hic cum Vladislao Pannonum Rege tota acie conflixit: quo fuso, profligato, obruncatoq; omnes eius copias penè deleuit. In Epirum tandem irrupit, quum Croiam in obsidione posuit: quam Scanderbegus, Epirotarum Princeps, magna virtute atque calliditate perpulchrè ab ipso Amurate extorserat. quum ibi duram, longamq; traxisset obsidionem, nec rem ex animi sententia ad optatum finem perduxisset, summo dolore confectus, diem suum obiit. Post quem Meumethes filius successit: qui tot & tanta mala atque damna, tantam pestem, tantam perniciem, tantum denique exitium Christiana reipublica intulit: qui tot prouincias, tot vrbes, tot ciuitates, tot regna & imperia sibi subegit, & denique vniuerso orbi timori fuit. Qui quidem postquam gubernacula & totius Imperij sceptrum suscepit, veteres leges abrogauit, nouas excogitauit, vectigalia imposuit, copias auxit, duces & proceres de medio sustulit. mox ad Constantinopolitanam urbem opprimendam toto animo se conuertit: ex quo castellum iuxta litus ad Bosphori ostium non longè ab vrbe, tam caute quam celeriter extruxit, munitq; bellumq; statim vrbi intulit: quam ingenti, validoq; exercitu, duraque obsidione in corona speciem circumcinxit: cui omnibus bellicis machinamentis adhibitis, omnifariamque apparatu, tum terra,

Meumethes  
Rex.

Amurates  
victor  
Mustapha  
Rex.

Vladislao  
Pannonum  
Rex.

Amurates  
obit.

Meumethes  
Rex.

## De expugnatione Scodrensi,

Constantino-  
polis capta.

tum mari undique eam omni vi atque impetu aggressus, quarto et quin-  
quagesimo post die expugnavit: ubi quanta caedes et strages promiscui se-  
xus et aetatis edita sit, quot virgines et mulieres violatae, templa prophe-

Pera occupa-  
ta.

nata, cetera flagitia et scelera in contemptum et ludibrium orthodoxae  
fidei perpetrata, vel verbis exprimere, vel lachrymis prosequi, vel ora-  
tione complecti qui abunde quarit est nemo. Post vero tanta urbis et im-  
perij excidium, Pera Genuensium colonia tam opulenta, quam clara, quae  
e regione Constantinopolis sita, subito vehementiq; terrore percussa, sta-  
tim Meumethi Principi se in potestatem dedit, qui et muros urbis  
excindi, et templa dirui atque spoliari, et homines ac mulieres ut in-  
umenta vexari, atque in servitutem trahi iussit. Hic est Meumethes il-  
le Paiazetis Principis huius, qui nunc rerum potitur, pater: vir quidem  
magnanimus, fortissimusq;, gloria inflammatus, novarum rerum percipi-  
pidus, et praelijs assuetus, quum maximam auctoritatem, nomen atque  
dignitatem apud suos adeptus esset, ibiq; innumeras sibi copias conqui-  
sisset, suis auspicijs dum viveret, atrocem hanc ferocitatem in popu-  
los gentesq; suas propagans, in eam tandem fortunam descendit, ut brevi  
tempore Mysiam, Thraciam, Peloponnesum, atque uniuersam ferè Gra-  
ciam subiugauerit. Elatus itaque insolentissimus Barbarus his successi-  
bus, tantoq; rerum fortuna afflatu, nesciensq; sibi moderari, magna ad-  
uersus ceteros Christianos moliri capit, magna animo suo voluere, for-  
midanda minari, nequanda appetere, permagna denique sibi et genti sua  
promittere. Progressus est mox in Macedoniam, quae nunc vernaculo  
sermone

sermone Albania dicitur: quia incolentes eam, omnes ferè Epirotica lin-  
gua utuntur: cuius quum apud plerosque dubius sit situs, a proposito pa-  
rum digrediens, eius fines describere conabor. Macedonia enim, teste Pli-  
nio, centum et quinquaginta populorum, ac duobus in clyta regibus, quon-  
damq; terrarum imperio, quae antea dicebatur Aemathia, in Lyssum oppi-  
dum terminans, ad Epiroticas gentes in solis occasum extenditur. Ab O-  
riente Magnesia atque Thessalia per Strimonem fluvium septem lacubus  
memorablem, a Septentrione Paonia atque Pelagonia protecta: ab Occi-  
dente Dalmatia. In cuius ora oppida sunt ciuium Romanorum, Rhi-  
zimum, Ascriuium, Butuauium, Olchimium, quod Prisci Colchinum di-  
xere, a Colchis conditum, et amnis Drino: superq; eum oppidum Roma-  
norum Scodra, a mari decem et nouem millibus passuum distans. Ciuita-  
tes illustres Lyssum et Acrolyssum, et Epidamnum, quod Corcyrae condi-  
dere, hoc tempore Dyrrhachium appellatum, propter inauspicatum nomen,  
et Apollonia ciuitas optimis instituta legibus: in cuius finibus locus est ce-  
leber, quem Nymphaeum vocitant, teste Strabone: ubi petra est ignem vo-  
mens, et metallum semper excrefcens: cui fontes subsunt, qui aquas tepidas  
scatent, atq; ut Posidonius refert, terra est bitumine referta, quae vineis  
pediculosus remedium prabet. Sunt praeterea eiusdem populi multi, quorum  
Cauchones in pluribus locis habitantes, virorum suorum excellentia sem-  
per per se tenuerunt imperia: a ciuitate vero Apollonia non longè excu-  
rit Egnatia via Orientem versus, per singula millia passuum lapideis co-  
lumnis distincta, atq; per stadia mille sexcenta et octoginta protensa. Haec  
est illa Macedonia (ut Plinij verbis utar) quae quondam terrarum ini-  
perio potita est. Haec Asiam, Armeniam, Illyrium, Albaniam, Cappado-  
ciam, Syriam, Aegyptum, Taurum, Caucasum transgressa, haec in Baetris,  
Medis, Persis dominata, toto Oriente possessa, haec etiam India victrix, per  
vestigia Liberi patris atq; Herculis vagata. Ad hanc tam inclytam et ma-  
gnificam, tamq; mirabilem regionem, et Principum semper magnanimor-  
um parentem et altricem, animum aduertens tyrannus, eius fines inua-  
dens, assidue infestare cepit, ratus se eam quam facillimè posse opprimere,  
et sub iuga sua celerrimè submittere. sed eum profecto multum opinio fe-  
fellit, resq; longè aliter euenit. nam diu cum Epirotica gente laborauit. An-  
num ferè tricesimum cum ea in oppugnationibus et assiduis bellis con-  
sumpsit: quam neque vi, neque ferro perdomare aut superare potuit. Oc-  
currerunt enim ei Reguli omnes, et Principes provinciae, qui solida inter se  
firmaq; amicitia, atq; perpetua fide obstricti atque deuincti simul erant.  
Cursitarunt in eum viri fortissimi et constantissimi, acerrimè ei resisten-  
tes: ex quo Barbarus rem difficiliorem, et supra quam arbitratus fuerat,  
nactus, minus tutè, et non sine maxima suorum cade provinciam intrare,

Macedonia,  
nunc Albanig;  
descriptio.Scodra Roma-  
norum oppi-  
dum.

Sc Macedonia oram vexare poterat. Post plurimum vero temporis, siue rerum humanarum cursu Sc varietate, siue caelestium permissu, aliter de rebus humanis, Sc de hoc imperio praescribentium, Reguli omnes, quorum quisq; terminos suos facillime tutari poterat, ex humanis sublatis sunt: ita forte sceleribus nostris exposcentibus, pro quibus iure affigimur, meritasq; persoluimus pœnas. tunc nepharius hostis acrius regnum vndiq; inuadere atq; opprimere cepit: Sc ipsum deinde audacius ingressus, frequentius diripere atq; incendio dare ausus est. Postremò igitur succedens in Imperium is Meumethes Princeps, qui post Byzantij nobilissima ac praclarissima urbis expugnationem, aliud Imperium, quatuor regna, prouincias viginti, ducentas vrbes, Christianis tantum (vt scribitur) ademit. Instabat Barbarus incremento tanta felicitatis, ad summum facinus aspirauit, concepitq; mente, facile se omnia expugnaturum, Sc ad totius orbis principatum breui peruenturum. Callebat quidem astrorum scientiam. Dicebat hoc Sc diuino nutu, Sc fatorum dispositione, ac siderum positione futurum esse. Didicerat Graece, Latine, Arabice, Chaldaee, atq; Persice loqui. Nouerat enim, magnorum virorum gesta, praecipue Caesarum, Magniq; Alexandri: quorum factis is valde accensus, hos omnino sibi sequendos proposuerat. Erat quidem magni atq; inuicti animi, ingenio plurimum pollebat, calliditate atque astutia ceteris praestabat. Decreueratq; prius perdomita Italia Romam proficisci, eamq; sibi subycere: sed in primis Epirum sibi expugnandam dictitabat. Qua, ad id peragendum, vt voti sui compos fieret, nihil aptius, nihil commodius aut opportunius videri, nec aliunde, aliove modo se ad quod instituerat posse peruenire, cum propter loci vicinitatem, tum etiam rerum omnium maximam commoditatem, nam Epirus ad Ionium, quod Italiam quadantenus alluit, mare protenditur. Filic enim sunt sylua Sc arbores excelsae, maxima frequentia, ad naues Sc triremes extruendas conficiendasq;: illic egregij, optimiq; portus ad quancunq; etiam ingentem tenendam, ornandamq; classem. Habet quidem agrum vndecunq; feracissimum, campos amenissimos, latissimosq;: pascua vberissima, flumina, fontesq; saluberrimos ad saturitatem. His itaq; omnibus callidus atque versutus Ottomanus impulsus, Epirotas continue omni conatu vexare, atq; assidue premere aggressus est, vt eos aut in ditionem Sc potestatem suam redigeret, aut penitus subuerteret. sed quum diu apud illos elaborasset, Sc varijs grauibsq; cladibus affectus esset, nec alterum quidem consequi valuisset, palam cognouit, indomitam esse Epiroticam gentem: statuitq; aliam sibi viam eos domandi esse tentandam, vnum negotium subeundum, quo pacto à se proculdubio Epirotica genti imperaturum iri speraret.

Est autem nostra tempestate vrbs Scodra Macedonia ora caput, nec

non

non illius partis Dalmatia, qua ei proxima est. De cuius origine nulla nunc certa extant monumenta, nullaq; certa memoria. nam quum ea bis à Barbaris incensa fuerit, ab Antio quoque Romanorum pratore deleta, tota per se exarsit. Quo quidem tempore constat, vetera vrbs monumenta, omnesq; historias de ea conscriptas incendio perisse: tamen quicquid de ipsius origine inuestigare aut reperire potui, Sc de statu eorum, qui in ea vicissim regnauerunt, quantum memoria hominum comprehendere potuit, diligenter collegi, eaq; omnia breuiter conscribam. Ferunt enim Barbari quidam, eam ab Alexandro Magno conditam fuisse: quibus non est assentiendum. nam ante Alexandrum Scodra iam condita erat. sed ipsi Meumethani hac ratione vtuntur: quia lingua sua Scodram Scanderiam vocant, quod nomen ex eorum interpretatione idem est quod Alexandria. Sed hac est Egypti vrbs ab Alexandro condita. Alij vero dicunt, à quodam Joanne regulo Epirota conditam fuisse: qui quum in ea aliquot annos imperium tenuisset, à ciuibus, Sc ab vniuerso populo, qui eius tyrannidem pati non poterat, eiectus est. qui postea populari moderatione vsifuit. At Joannes ipse regno exactus, dum urbem deserere cogeretur, discedens, quacunque mala, quascunque calamitates Sc diras potuit, in eam imprecatus est. Crederem, si vir ille integerrimus fuisset, ab eo Deum immortalem exoratum fuisse: quoniam Sc vrbs illa, Sc tota regio semper à sauisimis hostibus vexata fuit, Sc nullum genus calamitatis reperiri potest quod non sustinuerit. Verum si mihi cogitanti, qua de huius vrbs antiquitate existimare velim, audacter in medium proferre liceat: urbem hanc tum vetustate, tum rerum gestarum gloria percelebrem non immeritò existimauerim, tam natura Sc ipsius situ, quam fertilitate. Ex quo credibile est, Romanos rerum potitos huc, vt alijs plarisque in locis, ad Barbarorum arcendas incursiones, colonos suos misisse. Hinc apud Plinium legimus, Scodram Romanorum oppidum vocitatum. Quod declinante postmodum Imperio, Sc re Romana pessumruente, à Barbaris destructum, desolatum credi potest: ita vt quancunq; extabant monumentis scripta, maximè interierint. Et ideo de eius conditoribus nihil certi Sc explorati in medium afferre possumus. Verum nuper ad manus nostras fragmenta quadam verius, quam annales, peruenierunt, qua instauracionem potius vrbs huius, quam adificacionem ad Attauorum nostrorum memoriam referant. In his enim vernacula lingua scriptum est: Rosam quendam, cum Pha sorore sua, primos fundatores vrbs Scodra fuisse. Unde eius arx Rosapha appellabatur. qui diu faeliciter, quieteq; regnauerunt: quibus deinde successisse ferunt (ex hac qua inter homines memoria extat) Nemagnanum quendam Imperatorem, qui Epiri, Macedonia, Dalmatia, vtriusque Mysiae, totiusq; nouae

Scodra Macedoniae caput, Turcice Scanderia dicta.

Meumethis res gesta, & quinq; linguarum peritia.

Epirus.

Instauratores Scodra.

Roma imperium habebat. Qui moriens, filium cacum Vrosium nomine reliquit, cui ob virtutem probitatemq; cuncti parebant. Ei Stephanus filius in Imperio successit, & unicum filium Vrosium nomen aui referentem reliquit. Hic vitam silentio & absque liberis pertransiit, cuius Imperium proceres eius inter se partiti sunt. Nam inferior Mysia comiti Lazaro obtigit, superior autem Nicolao Xuppiano, noua verò Roma tribus fratribus obuinit, Vuchastioni, qui etiam regium nomen adeptus est. Andrea, & Exico Moncinus quidam Deno, tantum maritima urbi praefuit. Ex stirpe verò & prole Nemagnami Imperatoris, natus est Balsa, qui oram Boliama proximam ab urbe ferè usque ad mare tenens, tres suscepit alios: Georgium, Strazimirum & Balsam: qui viri praclarissimi fuerunt. Hi enim Scodram, quam ipse Vrosius (de quo supra diximus) tenebat, aggressi caperunt. Nondum enim muris cincta erat, sed partim in plano, partim in colle posita, in quo nunc tota est. Hi quoque Duchainos Regulos, & Sophios, ex Aemathia seu Macedonia expulerunt: & Croiam urbem, qua sub imperio Sophiorum erat, caperunt: qui victoriam sequentes, bellum Stephano superioris Mysiae Regi intulerunt: quem tandem cum uniuerso exercitu fusum profligatumq; ad urbem Ragusium persecuti sunt, & ibi eum obsederunt. Denique intercedentibus Raguseis, pax inter eos facta est, positis consinibus usque ad Neretam fluiuium, qui fines Phariae Dalmatica ciuitatis diuidit. Hic enim erant termini Imperij, quod tres fratres tenebant. Dehinc verò ulterius progressi, Albam Gracam, qua in Epiro est, Castorium seu Castorilium, & totam Aulonem breui expugnarunt: qui quoad vixerunt (quoniam per id tempus faustè feliciterq; vitam duxerunt) Barbari nunquam Epirum, siue Macedoniam ingredi aut vexare ausi sunt. Multo post tempore duo ex his fratribus (minimo natu superstite, qui Balsa appellabatur) ex humanis sublatis sunt. tunc quidam Hieurenesius Barbarorum praefectus, cum quadraginta millibus Turcarum in Macedoniam irrupit: cui quum Balsa tumultuario repentinoq; milite occurrisset, nec uniuerso exercitu suo expectato, nec ducibus castrorum suadentibus, in eum intrepidè irruisset (erat enim impiger, magniq; animi) ab eo in quadam planicie, qua ab incolis Saura dicitur, prope flumen Aoum, iuxta Albam Gracam Epirotica terra, profligatus est, & ipse cum omnibus copijs suis casus. Mortuo verò Balsa, Barbari tunc primum Epirum inuadere atque vexare caperunt. Hinc & Castorio, Alba Graca & Croia potiti sunt. Caterum Balsa postea successit in regno Strazimirus Balsichius, familia Balsichiorum oriundus. Hic Scodram, Drinastum, Lyssum, Antibarium, & totum illum tractum tenuit: ac filium unicum Georgium reliquit, qui Scodram Amurathi Turcarum Regi ultro donauit (nondum enim rudi illi saeculo urbes & ciuitates adeò in honore

Castoriū, Al-  
bati Graca, &  
Croia, occupā-  
ta à Barbaris.  
Scodra dona-  
ta Amurathi  
Turca: & re-  
cepta, atque  
oppignorata  
Venetis.

honore & precio erant. nondum enim caca vesanaq; regnandi cupiditate mortalium animi adeò exagitabantur) quam etiam postea successu temporis iterum ab ipso Amurathe dono recepit, eo quòd ipsi Amurathi virginem quandam formosissimam sibi sanguine coniunctam traderat. Demum Georgius eam urbem (ut fertur) Principi Venetorum pignori dedit, quam amplius non exegit. Quae quidem urbs hac tempestate magnitudine rerum gestarum celeberrima est, eo quòd in monte saxeo posita sit, qui ferè undiq; latissimis campis & feracissimis cingitur. Est enim ciuitas ipsa egregiè natura & manu munita, in immensum edita, circuitu non mediocri. nam ab urbe condita, murorum ambitus amplius duomillia passuum quadrati forma in planum usq; excedebat. Huius partem qua in plano erat, Drino fluiuius per medium secabat. super quo ingens pulcherrimusq; pons lapideus extructus erat: qui tanta longitudinis erat, ut extrema parte Boliama pertingeret. Cuius vestigia his quoque temporibus extant: & locus, ubi arx tantummodo posita erat, nunc totam urbem complectitur. Quae quanta fuerit, illud certissimo argumento esse potest. nam quum ingens Barbarorum multitudo eius fines inuaderet, ex uniuersa ferè iuuentute ad sonum (ut aiunt) campana, quinque millia equitum ex urbe in aciem obuiam prodibant: qua quum prope flumen Drinum, quod ab urbe octo millibus nunc distat, cum hoste congressa essent, stragem quam maximam plerunq; ediderunt. Verum quia Scodrensis miles numero longe inferior erat, tandem magno, continuoq; bello fessus, cladem insignem suscepit. Qui ex ea superfuerunt, una cum familia in arcem confugerunt: hostis verò facto impetu in urbem irruit. Et quum eam destitutam reperisset, sauisimo incendio totam exussit, atq; evertit. Deinde oppugnare arcem conatus est: quam quum expugnare non valuisset, inde discessit. Scodrensis postea urbis reficienda & instauranda curam omisit. Et quoniam arx ipsa tutior locus visus est, ibi totam urbem ponere cepit. Quae quidem undique natura praecipua est, nisi ea parte, qua septentrionem spectat, aditum admodum decliuem habet: à quo collis quidam intra iactum sagitta distat, totus vineis oleisq; consitus: super quo Praefectus noua Balia, praefectus nouus Romae, quem Bassam Turca appellant, priori obsidione tabernaculum suum collocauerat. Ex quo postea Bassa nomen semper obtinuit. Hac praclarissima & nobilissima ciuitas aeris salubritate praepollet, agro facili, negotio bene culto, & omnium feracissimo, aquis satis abundans. Despiciit per uniuersum ferè agrum, nihilq; est quod ex urbe prospicienti impedimento sit: quin omnes tractus, spaciosos & latos campos intueatur, singulaque oculis percurrat. Inde enim cultores aspicias, qui agros colunt: messorum, qui fruges maturas metunt: inde molas frumentarias: piscatores, qui hinc fluminibus, inde lacu amoenissimo magnam piscium capturam faciunt.

Balia, praefectus nouus Romae.

Praterea



De expugnatione Scodrensi,

Noui lacus,  
noua q̄ flu-  
mina.

Præterea vineas, hortos undiq̄, mare, flumina, fontes, lacum, ac omnia, qua ad oblectandos sensus à natura procreata sunt. Cuius quidem urbis radices montis ab Oriente nunc tantum riuulus quidam Drini alluit, ab Occidente autem Boliāna flumen, quæ piscium cuiuslibet generis est abundans: ac iugi celeriq̄ cursu urbem præterfluens, ad duodeviginti millia passuum in mare egreditur. Oritur autem ex illo celeberrimo lacu, quem omnes recentem esse putant: quoniam antiqui scriptores nullam huius fecerementionem, ab urbe fere stadijs sexdecim distat. Ex hoc conicitur, hunc, ut multa alia vel flumina vel lacus ex terra post antiquitatem illa erupisse: de quo (quia non est silentio prætereundus) qui de situ orbis accurate scripserunt, non tacuissent. hanc opinionem, id quod à vetustioribus loci huius incolis accepi, comprobare videtur. nam ubi nunc lacus est (ut illi prædicant) continens olim erat: erantq̄ iuges ac perennes fontes, ex quibus diuinitus lacus ille ingens atq̄ largissimus editus est: qui quidem altissimus, pulcherrimusq̄ extat, cuius circuitus centum & viginti millia passuum & amplius complectitur, aërem quoquo versus saluberrimum diffundens, varietate, magnitudineq̄ piscium omni tempore abundans. prædia feracissima, oppida egregia, vicus complures proximos habet. In eo vero scopuli extant, in quibus cœnobîa pulcherrime extructa sunt, quæ sacerdotes Græcorum frequentes incolunt. Sed nemini hoc mirum esse videatur, si lacum hunc recentem esse dixerim. nam apud præstantissimos celeberrimosq̄ geographos atq̄ scriptores inuenimus, per sæpe & in mari insulas ac scopulos, & in terra fontes ac flumina enasci, atq̄ quotidie emergere. Non abs re fuit in hanc descriptionem diuertisse, quo cunctis exploratum esset, quanti facienda hæc urbs esset, & cur Turcarum Tyrannus tanto opere eiusmodi urbe potiri conaretur. Igitur deinceps quod proposui, pro viribus exequar: quod si forte asse stilo deficiam, legentes boni consulent: quia omnia quibus interfui (ut iam præfatus) & quæ vidi, & passus sum, fideliter exponam.

MARINI


MARINI BARLETII, SCODRENSIS SACERDOTIS, DE SCODRENSI OBSIDIONE, ET EXPUGNATIONE, Liber Secundus.



M igitur Ottomanus Scodram urbem nobilissimam, provincie principem, & caput Epiroticæ gentis, præsidium, oculum, robur & munimentum totius regni, ianuam Ionij Adriaticiq̄, maris, propugnaculum Italia, omniumq̄ Christianorum esse animaduerteret: spem quàm maximã animo concepit, si ea potitus foret, se facilem expeditumq̄ aditum ad totam Dalmatiam, Illyricumq̄ ac Dalmatiam habiturum, planeq̄ voti sui compotem fore. Et quanquam optimè compertum haberet, urbem illam mirum in modum & natura & manu munitam esse, omniq̄ præsidio fultam: tamen fretus vi atq̄ potentia sua, sibi persuasit, eam minime vires suas & impetum tolleraturam, sed breui expugnatum iri. itaq̄, ingentes copias ad illam oppugnandam mittere decreuit. Expectatoq̄ tempore veris, quod expeditionibus commodum &

Scodra obfesa à Turcis.

aptum est, preparatis rebus omnibus bellicis, delectuq, quam maximo habito, Sulimanum noua Roma prefectum toti exercitui praposuit: qui Idibus Maijs promissis speculatoribus, et leuis armatura equitibus (ut eorum moris est) ipse deinceps cum reliquo exercitu maxima pompa incedens subsequutus est, ipsamq, urbem et moenia undiq, circumuallauit: et euestigio ingenti terrore formidineq, obfessos, undiq, copijs atque omni genere tormentorum urgere ac opprimere conatus est: et excisis euersisq, muris, omni



Scodra defensa, duce Antonio Lauretano.

vi, apparatuq, tum machinarum bellicarum, tum fortissimorum militum, urbis expugnatione tentauit. Longum esset comemorare, quot millia Turcarum turpiter amiserit: utq, ciues Scodrenses se, patriam, uxores, liberos, acerrime pugnando protexerint. Quare quum incassum elaborasset, retrocedens quam maxima ignominia atq, clade, ab oppidanis expulsus est. Demum quum omnia, ut urbe potiretur, frustra expertus esset, tribus post mensibus eam obsidionem reliquit. Ex quo Scodrenses ob tam egregiam et praclarissimam victoriam, duce rectoreq, Antonio Lauretano, aeternum sibi nomen et gloriam adepti sunt. Quae quidem res postquam ad Principem Ottomanum delata fuit, summo dolore atq, mero affectus, quod tantam suorum stragem a Scodrensibus reportasset. Et quum antea res Scodrensum non tam arduas, ut expertus est, esse cogitasset: post hanc calamitatem diu anxius et sollicitus diligenter voluere cepit, an amplius Scodrensibus bellum inferret, ab inceptoq, penitus desisteret, an maiori apparatu impetuq, rursus Scodram inuaderet. Tandem recenti clade ac ignominia concitatus, memorq, calamitatum, quas saepius ab Epiroticis populis passus esset,

sus esset, praeterea paterna mortis (ut erat inuicti animi, et cedere nescij) fretus potentia maxima virtuteq, militum, clades acceptas ulcisci statuit: sperauitq, si omnes copias et vires suas in unum contraheret, se fore tandem sui voti compotem. Et ut ad eam expeditionem vehementius excitaretur, constituerat uni quoddam stipendium, ut quotidie sibi Scodra oppugnationem suggereret. Ad quam sane maturius castra admonisset, ni alia negocia haud leuia animum eius ab hoc auertissent. Exactis itaq, quatuor ferme annis a prima obsidione, totum animum totamq, mentem ad bellum Scodrense, quod in animo proposuerat, coniecit. Itaque primo milites undique accersere: atq, omne Ottomanum nomen, omnem militarem atatem scribere iubet: arma, tela, equos parare, camelos innumerabiles ad subuehenda ara, pro tormentis cuiusuis generis conlandis, ceteraq, omnia instrumenta militaria: ad haec artifices cuiuslibet artis peritissimos: praeterea commeatum affatim undique: demum omnia cuiuscunq, rei, quae in bello usui esse solent. Igitur posteaquam ex arbitrio suo omnia parata instructaq, esse videt, ac delectus quam maximos ex omnibus gentibus habitos: ita, ut nunquam antea neque maior exercitus, neque ex validioribus, pugnatoribusq, neque omni paratu celebratior coactus fuerit. Ex compositis igitur clam ex more suo equites leuis armatura, eo tempore, quo cuncta in agris pubescunt, alio pramittere simulauit. Dehinc postea deslexo itinere cum omni exercitu grauis armatura subsequutus, Scodram magno cum terrore inuadere constituit. Haec ubi et fama, et quorundam literis et nuncijs ad Scodram delata sunt, magnus terror totam ciuitatem inuasit, magnusq, tumultus exortus est. Et subito maxima manus robustissimorum iuuenum agrestium, ac nautarum ex triremibus, quae Bolianam ingressae erant, in urbem excepta est: omnes continuo munimenta et propugnacula urbis defendenda moliri, parare, stationes disponere, omnia loca munire, nec dies nec noctes cessare, sed assidue rebus omnibus, quae ad molem tanti belli perferendam opus erant, toto animo inuigilare atque intendere, perinde ac si hostis adesset. Dum hac in urbe geruntur, interea a Septentrione montes omnes ac planicies crebris ignibus, quibus pagi comburebantur, micant, et fumi in sublime tendunt: quae quidem signa futuri belli erant. Et ecce omnia repente misceri ac turbari ceperunt. Omnes properare, trepidare: agrestes relictis agris, pars cum pecoribus et tota suppellectile ad maritima et loca tutiora confugere. Pars vero ad vrbes festinare, denunciante iam iam Turcas adesse, agrum totum vastasse, tecta inflammaisse, et multa armenta et greges cum hominibus capisse. Sic enim intra biduum, incendio atq, ruina cuncta dedere. Erat enim in urbe prefectus, qui iussu Senatus Veneti, tanquam in puppi sedens, clauum et regimen in ea tenebat. Qui quum omnia ad be-

lum necessaria diligentissime preparasset, conuocata concione fortissimorum ciuium, Italorum, aliorumque omnium, qui in urbe erant, decreuit, ut imbelles et minores natu ex urbe ad ciuitates maritimas et proximas e-ducerentur. Hinc acer atque infestus hostis pridie Idus Maias, maximo impetu, nocturno tempore in suburbia irruens, secunda noctis vigilia urbem ipsam undique in corona speciem circundedit, et obsidione durissima cinxit. Ad quam obsidionem uenerat Alibegius ille praecursor Danubij, praefectus cum octo millibus expeditorum equitum, qui lingua sua Achanzij dicti sunt. Hi enim omnes hoc nomine appellati proprijs stipendijs militare coguntur, nam opes atque loca possident, quibus a Principe ob praecleara facinora sua donati sunt. Praefecti autem huius munus atque officium est, summi Principis praere exercitum, depradando, deuastando, urbesque in obsidione premendo. Cui etiam privilegium ab ipso Principe datum est, ut postquam uniuersus exercitus quo constitutum est conuenerit, ex sententia quo uelit, se recipere possit. Sequebatur eum Scanderbegius frater, Mysia superioris praefectus, cum quatuor equitum millibus. Hunc secutus est Malacotius, inferioris Mysia praefectus, cum tribus millibus, omnibus expeditis equitibus. Hic est enim ille Malacotius, uir prudens, corpore egregius: ex cuius luminibus (ut de Augusto ferunt) splendor quidam egrediebatur instar solis radiorum: cuius oculos nemo attente fixeq; intueri poterat. Vbi uero Scodrensis uallo atque copijs undique circumdatum se esse uidet, accinctus ipse, atque instructus ad bellum, pro mœnibus egregie pugnat, et maxima vi atque impetu in hostes ex omni parte ex scorpionibus sagittas atque missilia iacit. Et omne tormentorum genus in eo contorquet: nonnunquam eruptione facta Turcas perturbat, propellit, trucidat atque interficit, ingentiq; gaudio atque laticia in urbem victor reuertitur. Et statim omnium concione aduocata, unicuique statim ac studia murorum assignata. Alijs uero munus hoc iniunctum, ut ubi opus esset, urbem communi-nerent: diuersa loca, quae debiliora uiderentur, reficerent, atque instaurarent. Reliquam ciuium multitudinem simul cum sacerdotibus, alijsque militibus, in foro cum vexillo aureo diui Marci, beatiq; Stephani protomartyris urbis patroni, collocarunt: ut subsidio essent, quo maior necessitas, maiusque periculum eos uocaret. Dimissa concione, omnes unanimes prompte ad loca singulis ascripta accedunt. Et fortissimo animo cuncta exequuntur. His autem sic peractis, interim maxima multitudo tentoriorum apparuit in ulteriore ripa Drinonis fluij: qui ab urbe octo millibus abest.

Taut Gaiola,  
noua Roma  
Bassa genera-  
lis.

Venerat autem illuc Taut Gaiola noua Roma Bassa generalis, cum omnibus copijs suis maximis: qua propter inundationes aquarum transire flumen non potuerant. cui permulti ex Turcis, qui proximi urbi erant, uiri maxima auctoritatis occurrerunt. Hic enim uir omnibus artibus, et  
animi

animi et corporis praeclarus erat, ex Christianis parentibus, licet obscuris, et patria Epiroticus, infimo loco natus. Qui cum puberes attigisset annos, a Barbaris in captiuitatem tractus est: apud quos et uirum robore, et ingenij acumine ac perspicuitate, ita perclaruit, ut ipse solus atque unicus Meumethe primo, Paiazitoque, deinde filio regnantibus, enitescere uideretur: et in tantum creuit, ut ad summum splendorem et dignitatum fastigia peruectus, imperium, summaque res Europa ei semper demandaretur. Qui adeo charus, adeo acceptus omnibus erat, ut quandoque de eo suspicio oriretur, ne tyrannidem occuparet, remque Ottomanorum sibi arriperet, vindicaretque. Is ad nonum Calend. Iunias, transito flumine cum uniuerso exercitu, ante lucis ortum ad urbem uenit: cuius tentorium, quod maximum purpureumque erat, in uertice montis cognomento Bassa extenderunt. Exercitus uero eius totus ad radices collis, ac in plano castrametatus est. Erant enim uiginti quinque millia equitum, camelorum circiter duodecim millia, qui metallis onusti erant, pro machinis tormentisque, conflandis, alijsque munitionibus, bellicisque instrumentis: qui quidem omnes post montem Bassa onera ac sarcinas deposuerunt. Contra, Christiani omnem curam intendebant ad urbis munimenta, praemunientes se ex omni parte propugnaculis et aggeribus, quae trabibus connexis, interiectaque terra et simo constabant, molem quam maximam praemœnibus congerentes: non insciji, neque ignari futura ruina murorum, et tam maxima atrocissimaque hostilis oppugnationis. At uero Barbari aspicientes tot et tanta praesidia, quot ab oppidanis continuè fiebant, fictionem quandam et fallaciam composuerunt. nacti enim sunt duos ex suis, qui Latinam linguam nouerant, quos nauticis uestibus indutos, ad mœnia miserunt: qui edocti Christianis dicerent se nautas esse, et iam iam ex triremibus, quae nuperrimè ad littus appulerant, descendisse, quae caduceator Venetus, qui pro pace ad magnum Turcã mittebatur, uectus fuerat: oppidanos exhortabantur, ne quicquam timerent, asserentes propediem fore fœdus cum Turcis: nec tantopere in urbis munimentis insudarent, quum pax iam certa esset, et Turcã breui essent discessuri. Sed non tam callidè hoc fingere potuerunt, quin eorum commenta ac insidia et doli deprehenderentur. Demum detecta fraude ac dolo cognito, non sine magno uita periculo detecti aufugerunt. nam ideo ea simulatione usi sunt, ut hac spe Christianus inductus, ab omni opere et munimento urbis cessaret: et ipsi hostes praeparatis tormentis et machinis instructi ad expugnationem, urbem ipsam improuisam ac immunita adorti, facilius expugnarent, ac ea potirentur. Versabatur autem hostis quotidie in his dolis atque commentis: sed Christianus iam iam eius perfidiam, fraudem ac uersutiam edoctus ac praemonitus, minimè ab incæpto destitabat: sed eo ardentius celeriusque operi intendens, idque omni ope, studio

ac diligentia exequens; et sibi et urbi consulebat: nec tantum Barbarus comminisci atque fingere poterat, quin Christianus eius versutas fraudes deprehenderet. Postridie vero postquam ipse Bassa venerat, pontem ligneum quam maximum atque munitissimum super Bolianam mille passus ab urbe struere cepit, ut utriusque ripa ius et potestatem haberet. nam amnis ille ob aquarum altitudinem transiri nusquam poterat. Audierant enim Barbari, agrum illum trans amnem opulentum esse, maximamque agrestium multitudinem simul cum gregibus et armentis ad ciuitates, et ad oram maritimam se recepisse. Inde enim maximas praedas et hominum et pecorum, quum pabulatum exissent, sperabant. Peracto igitur ponte Calend. Iunijs, Bassa ipse postridie cum aliquot equitibus pontem transiens, ad quasdam excipulas, quibus magna piscium copia capitur, ut earum structuram contempleretur, prius se contulit: deinde montem sancti Marci, qui in miram altitudinem tendit, euestigio conscendit: inde urbem ipsam, ac omnia loca proxima diligentissime oculis perlustrauit. Perendie vero sub serum diei, circiter decem millia equitum pontem transferunt, ut oram maritimam, et ciuitatum finitimarum agros vastarent, ac depopularentur. Sed quia nocte sequenti magni imbres atque pluuia fuere, mane circiter horam tertiam absque praeda in castra reuersi sunt, et aliquot dies quieti in castris commorati sunt. Non omittendum esse censui, satis praeclarum facinus iuuentutis Scodrensis. Erant fere trecenti iuuenes, robore corporis et animi vigore prestantes, qui quotidie urbem totam, et muros, et propugnacula sclopijs obeuntes, quum multos ex hostibus interficerent, magnum illis terrorem incusserunt, et ciuitatem vniuersam ad spem maximam futurae victoriae erexerunt. Interea sexto Idus Iunii Custapha Begius, cui summa res Asia demandata erat, vulgo Natolia Bassa dictus, ad flumen Drini peruenit: cui quum noua Roma praefectus obuiam properè accessisset, nudius tertius quam castra mouisset, circiter decem et sex millia equitum praemisit, qui in conspectu urbis pratereuntes, in quendam locum, quem supra Scodram accolae vocant, confedere, tentoriaque locauere. Pridie vero, quam ipse Bassa veniret, alias quoque copias, multaque impedimenta praemisit: ipse deinde tubis alijsque bellicis organis, et maximo comitatu subsequutus est. Exercitum enim suum in quinque partes distinxerat, quarum prima sex magna signa ferebat: quorum primum viridis coloris erat, alterum quidem rosei, reliqua vero quatuor candida erant. Secunda legio, duo signa purpurea gestabat: tertia, duo viridia: quarta, duo crocei coloris: quinta vero cohors, numero et multitudine reliquas superabat, ac melius instructa erat, ubi Praefectus ipse esse existimabatur, septem signa portabat, quorum primum candidum, auratumque erat: deinceps duo viridis coloris, et quatuor rosea sub-

seque-

sequebantur. Singula dehinc acies plura alia, sed parua vexilla diuersorum colorum secum afferebant. Erant autem triginta millia Asiaticorum equitum, quos ipse Asia praefectus secum duxerat. Sunt enim Asiatici homines corpore non deformi, sagittarij acerrimi, ac perniciosissimi: non tamen ita robusti ac bellicosi, et ad obeunda militia munia tam strenui ac viriles, sicuti Europam incolentes, et homines noua Roma. Habent enim equos velocissimos ac robustissimos: unde apud nos iam tritum est prouerbijs, Viri quidem Romania, equi vero Natolia. Non statim Asia praefectus tentorium suum aperte ingredi ausus est: admonitus forte, veritusque, ne ab oppidanorum tormentis, quae eo directa erant, percuteretur. Sed interea obequitando, urbis situm, et omnia loca urbi proxima oculis perlustrauit. Postea vero circa dimidium diei cum paucis equitibus tabernaculum suum clam admodum est ingressus: quod magnum quidem ac viride totum erat, in uineto urbis positum, quod ab urbe fere mille passus distabat: cui duo alia tentoria candidissima adhaerebant, septibus valloque communita: ne facile tormentis oppidanorum paterent. Confestim praefectus, ut suos milites ad fortia facta praepraret, praemium quoddam proposuit his, qui equo muros urbis petere auderent. Ex quo postridie duo equites expeditissimi, citatis equis montem subierunt, qua porta principalis urbis est, et muros ciuitatis tangere manibus conati sunt. Sed Christiani eos aduenientes praesenserunt: et alterum quidem lapidibus atque sagittis obrutum coopertumque, una cum equo oppresserunt: alterum vero missilibus quoque confossum, montemque precipitatum vix semianimem sui eripuerunt, qui paulo post animam efflauit. Statimque nonnulli ex iuuenibus nostris robustiores erumpentes, caput obruti obruncarunt, et eo lancea affixo urbem cum gaudio ingressi sunt. Sed quia nondum Asiatica legiones omnes aduentarant, totos illos dies viam, quae proxima amni, qui ad urbem ducit, ingens Barbarorum multitudo maxima frequentia impleuit: nec unquam cessatum est, quin equites ac iumenta in castra cum impedimentis venirent. Decimo septimo vero Calend. Iulias, maximus quidem numerus satellitum ex cohorte Principis Turcarum in castra peruenit, qui lingua vernacula Ianizari vocantur. Sunt autem huiusmodi viri Christiani omnes, ex parentum complexu rapti: nam quum tot ciuitates atque loca Christianorum imperio Ottomanis subiecta atque obnoxia sint, singulis quibusque annis, praeter ceteras rapinas, atque intolleranda tributa, ei etiam tot pueros tradere coguntur: quos Ottomanus in minorem Asiam transmittens, diuersis praceptoribus armorum et belli peritis coalendos, erudiendosque, usque ad pubertatem committit: ubi ad varios usus vitae, sed praecipue militiae, assidue exercentur: nec fere ullam temporis horam vacationem et quietem habent. Sed aspera quaeque et ardua, ac fere intollerabilia perpeti conantur: ut somnum etiam

sub dio

Prouerbium: Viri Romania, Equi Natolia.

Ianizari, Satellites Turcarum Principis, ex Christianis orti.

sub dio capere cogantur, ad tollerandos quoscunque labores. Qui postquam ita assuefacti ad pubertatem venerunt, Princeps eos ad se advocat: quos per triennium alia longè grauiora, asperioraq; subire compellit. nec his quidem fessis, otium aliquod remittit. Somnum etiam parcissimum, nec nisi sub dio permittit: nonnunquam etiam noctes insomnes eos ducere iubet. Peracto triennio, illos in cohortem suam ( ut vulgò aiunt, familiam ) legit: certum ac quotidianum stipendium singulis quibusq; eorum decernit, et indies pro meritis unicuique stipendia et premia auget. Appellantur enim filij magni Principis: cuius lateri semper adherent, ac ei pro muro et munimento sunt, ipsumq; quocunque sequuntur: in his omnis spes, omnis salus est: in quorum virtute, summa res Ottomani sita est. nam quum ad bellum proficiscitur, ei adsunt, ab eo nunquam discedunt, illum continua custodia munitioneq; coronant, vallantq;. Et quum res ad eos deuenit, iam ad triarios ( ut in proverbijs est ) et ad summum discrimen peruentum esse fertur. Qui quidem bellicosissimi sunt, atque strenuissimi, et in omnibus periculis fidsissimi, vitam intrepide exponunt. nam in armis semper crescunt, exercentur, et versantur: et difficillima semper ( hoc enim longa assiduaq; exercitatio facit ) atq; asperrima quaque perferunt. Sin verò ciuitas expugnanda fuerit, hi sunt primi, qui eam aggrediuntur, muros ascendunt, expugnantq;. Et demum quicquid strenui, praeclarive fit ab his, et per eos gestum esse existimatur. Venerant autem inter eos circiter quinque millia, afferentia secum vexilla quatuor niuei coloris: ad quorum aduentum Barbari passim in castris plausum, ac laticiam ingentem sustulerunt. Ex quo in Principis aduentu continue intenti erant. Interim tamen Barbari obsessos, ut pacem maturarent suadebant, atq; exhortabantur. Decimo autem quarto Calend. Iulias, magna vis Barbarorum è via Drinonis in castra affluxit: qui omnes traiecto ponte, ultra Bolianam vicus quosdam, et campos, quos incolae Oblicham cognominant, occupauere. Porro ex Barbaris, qui nuperrime appulerant, duo, magno comitatu prope urbem venerunt ad forum venale, quod extra urbem ad radices montis adiacet: qui praeter ceteris maximam auctoritatem atq; grauitatem praeseferabant, et ab omnibus venerabantur: hi ab oppidanis facultatem secum colloquendi petierunt. Dehinc verbis sui Principis quadam ad praefectum urbis, reliquosq; oppidanos se relaturos esse dixerunt. Quibus ubi, permissu praefulis, fandi copia facta est, maior ex his natu ita breuibus est allocutus:

**Oratio legati**  
Turcici ad ob-  
sessos Scodren-  
ses.

O viri et oppidani, cuiuscunque generis et gradus estis, hac Princeps noster ad vos referre mandat: Videtis enim, in quantis angustijs quantisq; periculis positi sitis: quos longè maiora atque grauiora expectant, si rebus statuiq; vestro mature non consulueritis. Audistis enim aliquando, quanta sit vis ipsius Principis, quantaq; opes. Sed nunc re ipsa sentietis, quam terri-

Filij magni  
Principis.

terribilis, quamq; tremendus sit eius aduentus. Nostis praeterea, quocunque expeditionem fecerit, nullum locum, adeo munitum et inexpugnabilem, viribus illius minimè obsistere potuisse. Testantur namq; id, et omnibus palam exemplo sunt, nobilissima atq; regia urbs Constantinopolitana: Ad hac Eubæa insula, tam opulentissima, quam egregia: Praeterea Taurica regio, aliaq; innumera. Quamobrem vobis omnibus consulit Princeps noster, et exhortatur, ut confestim in eius deditonem veniat, ut Croienses,



qui vestro Principi parebant, deditonem pridie fecere: nec eius iram atq; indignationem expectetis: non tormentorum ictus, neq; machinarum, non militum suorum robur atque impetum, quorum manus nullo pacto euadere potestis: quod si feceritis, omnes vos cuiuscunque gradus et conditionis, summis muneribus et honoribus afficiet. Ciuibus enim, ut in patria liberè et ex voto degant, permittet. Reliquos verò exteros et peregrinos maximis premijs prosequetur: neminem equidem indonatum praetermittet. Sin verò alia mens, aliusq; animus vobis extiterit, varia mortis genera, diuersa supplicia et cruciatu vos expectare iubet. Hi quum dicendi finem fecissent, Petrus Pagnanus, ciuis egregius, vir eruditus, hoc ex sententia omnium Barbaris responsum dedit: O viri, et magni Ottomani nuncij, scire vos velim, in urbe nostra tria esse hominum genera, Italarum, naualium militum, et Scodrensum, siue Epirotarum: inter quos summus rerum omnium est consensus, nec minima alicuius dissidij suspicio: quia omnes Christiani sumus. Vnus Deus, una fides omnibus: non Meumethem, non Lunam, neq; Solem adoramus: non Martem, neq; Mercurium: non terri-

pp Idola,

Scodrensitum  
responso.

De expugnatione Scodrensi,

Idola, nec quenquam alium fictitium, sed Christum Dei filium colimus, atque veneramur: qui unus est idem cum Deo patre est Spiritu sancto fuit ab aeterno, est, semper erit. Qui quidem summus Deus est, optimusque creator atque moderator omnium: a quo cuncta manarunt: in cuius verbo est nomine cuncta sunt posita, cuncta fiunt: cui cuncta parent, flectuntur, est tremunt: nec alius est Deus praeter hunc: nec est qui ei resistere possit. In hoc spem ponimus, huic confidimus: ipse pro nobis pugnabit, ipse nos ab impetu Principis vestri defendet, atque liberabit. Quare, quum Christum Deum nostrum, qui pro uniuersa humana redemptione in cruce mori uoluit, nobiscum certum indubitatumque habeamus: quid Principis vestri vires? quid artes? quid demum copias timeamus, quum omnia ipse solus possit? Proinde sciat Princeps vester, nihil esse tam horrendum quod timeamus, quin omnia pro nihilo habeamus. Adducat secum quascunque copias velit, tormenta bellica, est cuiusuis generis machinas preparat, est tandem omnes vires suas est conatus in nos intendat: iam nos ipsos semel pro Principe nostro, est Veneto imperio, deuouimus: semel pro hac urbe defendenda est sanguinem est animam effundere parati sumus: quasi Princeps vester tanto opere potiri exoptat, ferro, est quacunque vi potest, irruat, est ad expugnandam prodeat. nam ciuibus nihil est patria charius. Italo est nauali militi fides firmissima. premia vero est munera à Principe vestro nobis oblata penitus reijcimus, est aspernamur: quia à Principe nostro longe maiora atque digniora expectamus: qui nunquam de se bene merentes deserere solet. Quare Principi vestro mentem nostram, est quicquid uno omnium consensu decreuimus nunciate. Nam nulla est inter nos simultas, nullaque dissidia: sed idem velle omnibus, atque idem nolle. Haec semel vobis dicta sint, ut in posterum omnem spem alicuius foederis est compositionis abscondatis. Aut Deo bene iuuante victores erimus, aut si res aduersa cadent, interneccione omnes occidemus. quod si alias tale quiddam tentare audebitis, pro responso gladium acutum, pro verbis tormenta, missilia, atque iacula semper reportabitis. Barbari vero hoc accepto responso à Scodrensisibus, nullo amplius verbo facto celerrime abierunt. Post hoc quidam sub Meumethe militantes, qui se verè Christianos esse profitebantur, ad muros urbis clam venerunt, qui de Croia deditioe Scodrenses admonuerunt. Paulo post res ipsa quemadmodum acciderat, intellecta est, quod Croienses non ultro, neque metu aliquo impulsu, sed summa extremaque necessitate coacti, sese Ottomano dediderant. Nam quum urbs illa diu ab hostibus obsessa fuisset, est omnia ad victum necessaria penitus defuissent, nec unde alii possent prorsus haberent (sapius enim penuria quam pugna consumit exercitum, est ferro seuior fames) omnes in hanc sententiam conuenerant, ut potius in deditioe hostis (et si turpiter) pacto aliquo deuenirent, quam tam

Croiensium deditio.

tetra,

tetra, tamque funesta fame, qua etiam fortissimos viros debiliores reddit, perirent. Qua deditio insperata, Scodrenses profecto non mediocri maerore atque dolore affecti, cum propter Christianorum velut patrimonij attractionem, quod indies res Christiana imminueretur, est ad extraneos alienosque deuolueretur: tum propter nimiam hostis vicinitatem, quod tam commodum, tam opportunum locum ad bellum continuandum sibi Barbarus adiunxerat. De cuius urbis situ, eiusque conditore, quantum hominum memoria colligi potest, perstringendo breuissime attingam. Croia ciuitas est Epiri, regni illius validissimum munimentum, est tanquam clavis firmissima. Haec non magno ambitu continetur, in altissima saxi crepidine,

Croia urbis situs & conditio.



est undique praecipiti, posita: campos latissimos hinc est inde habet, ubi Caesar tota acie cum Pompeio conflixit. Quae quidem oppugnari, nec expugnari villo modo potest: quia est natura, est arte, est hominum opere ex omni parte munita est. in ea enim sunt fontes iuges, ac perennes: ex quibus ei nomen inditum fuit. nam Croia, quod Epiroticum nomen est, Latine fons interpretatur. habet quidem agrum feracissimum atque amoenissimum, syluas vero est arbores cateris (ut opinor) uberiores, speciosioresque, est ad classes edificandas (ut quidam putant) nusquam proceriores aptioresque reperiri possunt. Distat autem Dyrrhachio ad quatuordecim millia passuum, Scodra vero ad quinquaginta septem: est quia finibus Barbarorum contermina erat, ab his post obitum inuictissimi Principis Scanderbegij, cuius imperio fidelissime parebat, continuo vexari coeperat. Duo tamen ex Barbarorum Principibus, adhuc ipso Scanderbegio viuente, cum

Cesaris & Pompeij ad Croia conflictus.

omnibus viribus suis eam obsidere tentarunt: sed eorum conatus, fortissimè aduersante Scanderbegio, ad irritum ceciderunt: quin eo viuente nullus Barbarorum exercitus Epirum ingredi (ut ita dicam) et inuadere ausus est. Prius enim Amurathes pater Meumethis, cum omnibus copijs ad eius oppugnationem accessit: quam quum expugnare non potuisset, ex nimia indignatione et dolore consumptus interijt. Postea vero Meumethes, in cuius deditioem nuperrimè venit, vallo eam undique circumdare conatus, minimè expugnare potuit. Hanc urbem tam munitam Carolus quidam Sophia regulus Epiroticus condidit: priusq; vallo cratibusq; eam sepsit, deinde fortissimè muris cinxit. Non longo post temporis interuallo, à Balsichis, de quibus supra memorauimus, interfectus est. Qui tunc Scodram, et totam ferè Epirum tenebant, et tunc Croia potiti sunt. Verum quum Balsa etate minimus adhuc (ut iam diximus) superstes esset, alijs duobus fratribus extinctis, à Turcis, qui tunc primum in Macedoniam et Epirum irruerunt, quibus ipse inuicti animi nondum uniuersis copijs collectis, nec satis ad bellum instructus, non subsidijs firmata acie, non equite aptè locato, incautè inconsultèq; agmine trepido ac tumultuante, licet infesto, occurreret, in insidias precipitatus, in fugam conuersus, ac obruncatus est. Post cuius cadem Barbari Croia potiti sunt, et Alba Graca, qua Epiri est, ac etiam Castorio. Sed Croia non diu sub Turcarum imperio mansit. Nam magnanimus vir, et egregius Princeps Epirotarum Scanderbegius, eam à Tyrannide Barbarorum, Principe Amurathe, strenuè liberauit. quam quum quinq; et viginti annos possedisset, vergens in senium, veritus ne denuò aliquo modo à Barbaris opprimeretur, Principi Venetorum eam liberè tradidit. Sed ad propositum redeamus. Descendebant quotidie ex lacu, qui est Scodra proximus, de quo supra memorauimus, multi lintres et monoxyli Epiroticorum, qui lacum ipsum incolebant, per ostium et fauces Boliana, in castra Barbarorum tumultu quodam repentino ruentes, multasq; cades atq; dāna hostibus inferebant. Alios enim trucidabant, alios in captiuitatē redigebant, et equos aliasq; res auferiebant. Itaq; assiduè, sed maxime nocturno tempore, hostes ipsos plurimum vexabant. Quod quum animaduertent Barbari, ut huiusmodi incursionibus occurrerent, statuerunt biremes extruere: quibus absolutis, ac celeriter peractis, in loco prope urbem, qui Cathilina dicitur, lacum ipsum descendebant, et quotidie cum Christianis pralium nauale conferebant: hac ratione Barbari castra sua, ne à Christianis agerentur, tutabantur. XII. verò Calend. Iulias in vertice montis Bassa castellum ligneum instar theatri erexerunt, quo artifices et architecti machinarumq; periti saepenumero se recipiebant, ut urbem ipsam undiq; cōtemplarentur, et locum aptiorem tormentis ac machinis, quibus muri excinderentur, eligerent. Postridiè

Croia à Scanderbegio liberata, & Venetis donata.

verò, non longè à castello, turres quatuor, veluti quasdam arcas, substruxerunt, qua ex trabibus desectis, simulq; cōpactis constabant: easq; saxis grandioribus impleuerunt, ut tormenta et machina, qua in harum medio collocata erant, simul et ipsi artifices tuti essent, ne ab oppidanorum tormentis opprimerentur. Erant autem sic dispositæ, ut inter binas singulæ tormenta collocata essent: nec suis valuis carebant, ut quum opus esset, aperiri et occludi possent. Sub idem tempus circiter decem millia camelorum in castra bellicis instrumentis, alijsq; rebus onerati appulerunt: qui post montē Bassa, prope torrentem qui Clirus dicitur, sarcinis suis exonerati sunt. Decimo autem Calend. Iulias duo maxima tormenta ad muros euertendos Barbari inter arcas illas collocarunt: quorum alterum spherica saxa pondo quadringentorum, alterum verò trecentorum torquebat: quo die septem tantum saxa intorserunt: quorum primū radices turris, qua ad portam magnam ad murorum munimenta posita erat, percussit. Secundum verò stationem quandā, qua porta supradicta eminebat, ubi vigilia nocturna ducebantur, decussit. Postridiè matutino tempore magnus numerus Asapporum ad sex millia in castra venit, plures diuersosq; manipulos secū afferentium. Sunt autem Asappi milites bello militiq; satis apti atq; instructi: Qui post Ianizaros secundum locum tenent. Differunt tamen inter se habitu, nam illi pileum rubeum ferunt, isti verò candidum: uterq; tamen pedestri milite constat. Quo die nouies tormentorum ictibus Barbari urbis muros concusserunt: postridiè verò octies, perendie septies. Et hæcenus duobus tantum tormentis urbis mœnia deformarunt. Sexto verò Calend. Iulias Barbari tertium tormentum ad muros urbis diruendos in plano ad radices montis Bassa posuerunt, supra viam qua Drinastrum itur: quod torquebat saxa pondo quadringentorum, quo die nouem et viginti ictibus muros percusserunt. Eodemq; tempore circiter duo millia Asapporum, è via Drinonis in castra peruenerunt, plures ac diuersos manipulos secum afferentium. Postridiè verò saxa octo et viginti torserunt, sequenti verò viginti sex. Et complures Asappi eadem via in castra confluerunt: simul et quartum tormentum ab his in umbilico ferè eiusdem montis Bassa è regione urbis supra templum diuæ Venerandæ collocatum, est, quod saxa pondo sexcentorum et quinquaginta emittebat. Sed eo die nullus ictus urbi ab his incussus est. At Calend. Iulij, triginta quatuor spherica saxa in muros detorserunt: et sub serum diei octingenta ferme impedimenta à flumio Drinonis in castra premissa sunt: quo iam magnus Turcarum Princeps Meumethes cum reliquis copijs atq; apparatu suo insigni peruenerat. Cui præfecti nouæ Romæ, et Asia, cum summa pompa et læticia obuiam ierunt. Is sexto Nonas Iulias ante solis ortum, cum omni delectu suo atq; ornatu, equo inuectus, ad locum, quo tabernaculum

Turres ad expugnandam Scodram extructæ.

Tormētis ingentibus Scodrenses oppugnati.

Asappi secuti di Ianizaris.

Meumethis aduentus.

Meumethis  
tabernaculū.

ei constitutum fuerat, profectus est. Quem, ut urbis situm circumspexit, agrumque oculis perlustravit, eum laudasse magnopere ferunt. Sed de urbe hæc ipsum dixisse: O quam præclarum et sublimem locum aquila sibi delegit, ubi ad excludendos pullos nidum construeret. Locus autem in quo tabernaculum Meumethis collocatum erat, ita se habebat. In plano tentoria novem ipsius Principis posita erant: quorum maximum consilij appellabatur, cætera deinde intra iactum sagitta, continua serie cohortis eius altissimo fortissimoque vallo munita, atque circumvallata erant. nam Janizari ex omni parte inter se connexi, in modum corona astabant. Dicebatur autem locus iste circulus, et claustrum Principis: cuius ambitus duomillia passuum et amplius continebat. Vno tantum exitu sine porta, quæ à peruigili strenuissimoque milite assidue custodiebatur. nam antequam ad ipsum Principem aditus pateret, per tres ordines fortissimorum stipatorum transitus fiebat. Deinceps verò reliqua multitudo exercitus Barbarorum disposita, circumquaque extra claustrum, et circum ipsum Principis totam tellurem occupauerat. Adeo, ut circiter quadraginta millia passuum cæpi omnes et montes undique tentorijs albescerent: haud aliter, quam quum brumali tempore tota terra niue cooperta, candida sit: nec in medio aliquod intervallum deprehendisses, ita omnia loca tentoriorum referta erant: nec cessatum est per aliquot dies, quin continue recentes in castra Barbari aduenterent. Ex quo rerum periti, et qui alias cum ipso Meumethe militauerant, censuerunt trecenta et quinquaginta millia Barbarorum in castris fuisse. Quæ tam innumera penè multitudo fidelissimos Christianos ad contemplationem et admirationem sui traxit. Muros autem et vallum ascendentes, primo aspectu non parum territi et conturbati fuere: quum tantam seuissimorum Barbarorum multitudinem in exitium suum et perniciem collectam et accensam aspicerent. Sed quum animaduertent agi de omnium salute, et citam mortem aut victoriam latam instare: quo animos fortissimos et constantissima pectora ad pugnam prepararent, concionem omnium civium, Italorum, Epirotarum, et naualium militum, in adem intemerata virginis conuocarunt. Tunc Bartholomæus Epiroticus, sacra Theologia magnus assertor, ordinis prædicatorum, vir quidem prudens, magnaque auctoritatis, disertus, corpore decorus, haud obscure loco natus, qui olim dum nondum sacris initiatus esset, strenue præclareque rem militarem sub diuo Scanderbegio aduersus Turcas gesserat, eorumque vitam, mores, actaque quam optime nouerat: et in Italia quoque sub clarissimis ducibus stipendia multa meruerat, ac tandem spiritus sancti numine afflatus, diuinoque lumine accensus, derelicta seculari vita, ad religionem et contemplationem sese receperat, in qua diu vitam cælibem traduxerat. Is ita publice concionatus est:

Exercitus  
Meumethis  
350000.

Oportet,

Oportet, viri optimi, et commilitones strenui, eos multa graua, aspera ac dura subire ac perpeti, qui ad veram gloriam nituntur. hoc enim pacto virtutes magis magisque elucescant, præclarioresque reddantur, hisque homines in altum sublimemque prouehantur, necesse est. Traditum est enim à summis viris, præclarissima quoque laboribus assiduis, et vigilijs confici: præmia verò sudoribus ac durissimis rebus rependi. Unicuique nostrum persuasum sit, nos omnes huc solo Dei nutu voluntateque conuenisse, ut hæc urbs



nostra, præclare glorioseque diuino eius numine fauente, à Tyrannide, tantæque Barbarorum multitudinis excidio, virtute vestra hac tempestate defendatur, conserueturque: et ut fides orthodoxa minime pessum eat, sed ad summum splendorem prouehatur: et ut Tyrannus hic insolentissimus et seuissimus, tandem certissimis signis exploratum habeat, solam fidem Christianam veram esse, et indubitatum: et Christum Dominum nostrum, cuius nomen profitemur, colimus, veneramur, verum esse et unicum Deum, omnium patrem, creatorem, rectorem, cuius nutu cuncta regantur, et Tyrannorum omnium violenta imperia statim concidant, et vires, quantacunque sint, corruant, et momento collabantur. Nec impijssimus atque insolentissimus iste Tyrannus sibi persuadeat, speretque ex eo quod tot regna, tot imperia, tantas urbes atque ciuitates expugnauerit et eripuerit, urbem hanc quoque manibus nostris vi, dolo, aut metu aliquo subtrahere posse, potiriue. nam neminem vestrum ignorare arbitror, quemadmodum, o milites, subdolus hic, nefandusque Tyrannus locum nullum munitum Christianorum vi aut armis expugnauerit: sed dolo semper, siue proditione, aut deditioe facta, multis



multis pollicitationibus oppresserit: quas quidem & fidem datam cuiquam nunquam seruasse palam est. Parcetne igitur vobis, o Scodrenses, si in deditonem recipiet? Seruabitne vos impunitos truculentus Ottomanus, a quibus tot cades, tot contumelias passus est? Nonne memoria tenetis, nunc quartum agi annum, ex quo superiori bello, quod vobiscum gessit, tot millia ex suis a vobis casa amiserit? Ignoscet igitur vobis? Dimittetne vos impune? minime profecto. Discerpent membra vestra, & ut lanæ pecora in macello, ita viscera vestra dilaniabit. Nonne Croienses finitimos nostros, quos hesternæ die in deditonem hac lege acceperat, ut eos incolumes abire sinneret, omnes acerbissima morte affecit? In Mysia nonne etiam Regem, qui se se certo fœdere cum patruo suo dederat, Meumethes ipse, qui sanguine humano exsaturari non potest, sua manu (ut fertur) iugulauit? Rasiæ Principibus nonne oculos eruit? In deditone Theodosia urbis, quæ nunc Capha dicitur, in Taurica ripa posita, quot Christianos, quibus fidem dederat, trucidauit? In Lesbo quot puberes palo transfixit? De alijs quid dicam quamplurimis, quos omnes vix infantibus parcens, violata fide, & contra iura fœderis dirè necauit? De quibus si sigillatim recensere vellem, sanè nimis prolixus essem. Sed quid hoc mirum, o commilitones mei? nam quo pacto quis alteri, quo prorsus ipse careat, prestare possit? Quum enim hic perfidus semper fuerit, quomodo fidem nulli seruare possit? Ad hoc accedit, quod omni vitio intemperantia, perfidia atque superbia contaminatus sit, & à teneris (ut aiunt) unguiculis animum suum crudelitati, insolentia, libidini, auaritia, flagitijs deniq; omnibus assuefecerit. An igitur credibile, ut impius impurusq; animus his omnibus inuitritus, in senectute ista deponat, quæ iam dudum ab incunabilis, & à natura insita habet? Nemo enim in animum inducere potest, ut tot & tanta iuste possideat, cum illum tam breui tantam imperij molem propagasse videat. Omnia profecto contra ius fasq; sibi vindicauit. in rebus enim haud quicquam habuit: diuina atq; humana eodem modo polluit: cuncta dolose, perfide atq; libidinose semper egit. Nullus est incestus, nullum stuprum, nullum adulterium, quod non nefarie commiserit. Hic templa violauit, hic sacerdotia omnium sustulit, hic ordines confudit: regna fœdè contaminauit: quicquid religionis, quicquid dignitatis, quicquid honesti fuit, leges, instituta, vitæ, mores, fidem omnem, honesti partes, rectam disciplinam perdere atq; confundere semper studuit. Hæc sunt quæ nos ad insidias tanti Tyranni vitandas admoneant. Aures nostras eius illecebris occludamus: non verba, non mina nos moueant. Pollicitationes eius penitus rejicienda sunt. omnia enim scelera, omnia flagitia, omnem tyrannidem exuperat. Plura quidem catholicis polliceri consuevit, quo in potestatem suam redigat, quorum nemini unquam pepercit, sed eorum cruorem veluti tigris truculenta semper appetijt. Sed

quid

quid hæc tam multa ad persuasos? Bono sum equidem animo, cum nos omnes inflammatos accensosq; ad tuendam fidem catholicam videam, & fortissimos intrepidospq; spem quam optimam victoria in hostem concepisse: præterea constantiam vestram, ac millies (si daretur) pro fide orthodoxa, Venetoq; imperio desiderium expirandi: hoc est, quod me latum, me alacrem, me intrepidum reddit. nam omnes unanimes esse intueor, nihil inuicem discrepare: sed omnibus eundem animum, eandemq; inesse voluntatem, promptissimos labores ad opera die noctuq; peruigiles, indefessosq;. Et quod summum esse existimo, omnes diuinis maxime intentos, Deum summum optimumq; omni cultu, fide ac pietate colere, obseruareq;: qui quidem cum fidelibus suis semper faueat, ac propitius sit, quid est quod timeamus? quod nos dubios trahat? Quis erit contra nos? Quis nobiscum sub tutela diuini numinis pugnare audebit? Veniat igitur Meumethes ille, quem tot & tanta gessisse ferunt cum Spaolanis suis, Charassarijs, Angurijs, Polluis, Cutagys, Menteljs, Sarchanis, Aidinis, Carailis, Pigijs, Prusijs, Macrinis, Alagijs, Amasys, Concellis, Meuesenijs, Giagidis. Veniant Caramani, auxiliares & socij sui: veniant Vrcatinogli, Candelorij, & omnes Asiatici: veniant item Turcambei, Auranes, Castoria, Serra, Constantini, Sophia, Nicopolai, Zacharia, Zermari, Zurulli, Calliopolei, Sfirca, Scopia, Coiazia, Garippides, Saluatarij, Macagullides. Veniat præterea Ottomanus ipse longe stipatus Salestarijs suis, Olofanzijs, Muselinis, Asapis, Mihys, Caripytlerijs, Dochanzijs, Achanzijs, Janizaris uniuersaq; cohorte sua. Veniant præterea ambo Bassæ, & noua Roma, & Asia, cum omnibus legionibus & copijs suis. Veniant postremo uniuersi Barbari, qui sub potente Meumethe, ferocissimo superbissimospq; Tyranno, militant: oblatrent circum urbis muros, exclament, irruant in nos tormentis omnibus atque machinis, ut facere consueuerunt: contorqueant in nos missilia cuiusuis generis: spargant sagittas undique in modum rovis: exercent demum omne tormentorum, machinarum, instrumentorumq; militarium genus, quod omnis ætas adhuc excogitare potuit, vel potest. Quid ad nos? omnia enim sustinebimus, omnia perferemus, omnia denique superabimus ac peruincemus: quia virtus Dei nobiscum est: dextera Domini pro nobis pugnabit. Quis enim potentissimum, durissimumq; Pharaonem perculit, pessumdeditq; nisi manus Dei? Quis Israëliticum populum de manu eius ab Aegyptiaca seruitute liberauit? Quis primogenitos omnium Pharaonis populorum occidit? Quis mare rubrum diuisit? Quis Olofernem maximum ducem Nabuchodonosor prostrauit? Quis populum suum liberauit, qui in captiuitatem breui redigendus erat, nisi Deus: eo occiso, capiteq; à Iudith obtruncato? Hic profecto benignitate sua populum suum electum, sub Assuero Rege captiuum, cum Amian crudelissi-

99

mus,

nis, ut is populus trucidaretur, omni vi et consilio intenderet, exiti-  
 iam sententia damnatum eripuit. Hic inquam, Abraam illum summum  
 Patriarcham de manibus Chaldaeorum, et filium Isaac de gladio et im-  
 molatione patris liberavit, Iacob de persecutione Esau fratris, et Ioseph de  
 insidijs fratrum suorum, Noe à diluuiò, Loth ab euerfione Sodomorum,  
 Saulem in monte Gelboe, Dauidem Regem à vi et oppreßione Saulis et  
 Golia gigantis: tres pueros, Sidrach, Misach et Abdenago de camino ignis  
 ardentis, Jonam de ventre ceti, et Adam de profundo inferni, Petrum  
 de naufragio, et Paulum de vinculis et carcere extraxit. Quid alios quo-  
 que complures ac innumeros commemorem? Quos omnes Deus sua sum-  
 ma potentia protexit atque defendit. Itaque, o milites, hunc inuocate, hunc  
 pia puraque mente colite: huic vos humiles supplicesque commendate: cor a-  
 nimumque vestrum dedite. nam ipse pro nobis pugnabit: nos urbemque no-  
 stram à feritate immanitateque spurcissimi nefandique Tyranni vindicabit,  
 euellatque. Scriptum est enim: Nisi Dominus ciuitatem custodierit, fru-  
 stra vigilant qui custodiunt eam. Ad hymnos, ad preces vos conuertite,  
 quibus peccata delentur: pœna pro his debita imminuitur. hæc enim nubes  
 penetrant, oranti præsidium afferunt, aduersario verò incendium. Quod-  
 cunque, o milites, à Deo immortalis supplici mente petieritis, absque dubio  
 reportabitis. Rectæ enim preces inefficaces esse non possunt, impetrant,  
 exorant. Quis enim Albam Græcam, quam nostri Belgradum vo-  
 cant, à manibus furoreque huius scississimi insolentissimique Tyranni prote-  
 xit, nisi preces? Daniele de lacu leonum, Susannam de falso crimine  
 quis liberavit, nisi hæc? Plus enim Moyses precando perfecit, quam Jo-  
 sue pugnando. nam de Moyses legitur, in bello Maleditarum, quod eo  
 precante, Israel vincebat: eo à precibus cessante, populus fugabatur. Non-  
 ne Theodosius Imperator, ille senior, suis precibus non sine miraculo de  
 Eugenio et Arbogaste victoriam reportauit? cum tela et iacula ho-  
 stium violentissimus ventus in ipsos retorqueret, illa verò Theodosij su-  
 pra vires humanas in eosdem inferebantur? Figitur, o Christiani fidelissi-  
 mi, preces omnes pura et integra mente ad redemptorem nostrum effun-  
 dite, in illis spem ponite, confitemini peccata vestra: Eucharistiam, quo  
 ardore, qua reuerentia decet, sumite. Vos quoque sacerdotes religiosissimi,  
 omni pietate, cultu, et quibus potestis precibus, Deum immortalem flecti-  
 te: nec dies noctesque à sacris hymnis cessate, ut populus Christianus de hoste  
 scissimo victoriam clarissimam consequatur. Credite omnes, o fideles,  
 in Deum protectorem nostrum: in quo spes quidem nullum frustratur.  
 confidite ei: quia nos perire non permittet, nos ab omnibus periculis libe-  
 rabit. Hoc inter cetera vos impellere et concitare debet, ut non vita, non  
 saluti parcatis, cum nobis munus defendendi totam catholicam fidem,  
 et omnes

et omnes Christianos iniunctum sit. An ne vobis parum hoc videtur, quod  
 in hac expugnatione hostili, et salus et iactura vniuersæ Reipub. Christia-  
 na posita sit? Quare ab astutis ac versutis et dolis Barbarorum cauete:  
 in quibus plurimum huiusmodi genus hominum versatur. Laborate, insu-  
 date, vos urbemque vestram vallis ceterisque præsidij ac munimentis firma-  
 te: die, noctu inuigilate. Scriptum est enim: Vigilantibus data est palma,  
 datus est honor, his quoque præmium. Sed quid hæc? cum currentes (ut  
 aiunt) excitem. nam perspicio vos omnia, quæ ad urbem tuendam, ve-  
 stramque incolumitatem conseruandam necessaria sunt, vltro et certatim  
 subire. Bono equidem sinu animo. nam ad victoriam nobis nihil profe-  
 ctò deest. In portu sumus, et in tuto. Arma, tela, bellica instrumenta, mu-  
 nitiones, præsidia omnia nobis abundè adsunt. Non hic enim est multitu-  
 do imbellis et inutilis, non lixa, nec coci, non mulieres, non infantes, non mol-  
 les, neque effœminati: viri quidem omnes sumus, ad arma prompti, belloque ex-  
 perti. Nec est quod multitudinem Barbarorum admiremini, aut formi-  
 detis. nam eorum maior pars ignaua et deses, potius præda et latroci-  
 nio assuetæ, quam prælijs et oppugnationibus. Nos præterea munitissimus  
 et natura et arte locus tuetur. Est enim mons arduus, via angusta et as-  
 pæra. Decem ex nostris mille facile detrudere poterant. nam hostes in ascen-  
 su magnopere laborabunt. Etiam nullis repugnantibus, fessi admodum ad  
 urbis muros venirent. Idcirco nos integris viribus, et recentes: hostes,  
 quanto frequentiores erunt, tanto maiori strage, cade et ruina ad ima  
 montis præcipitabimus. primi cadent, et medij: vltimorum vix aliqua  
 pars ad suos tutum receptum habebit. Turpiter terga dabunt: et eos, qui  
 altera oppugnatione erant successuri, penitus terre bunt. Quamobrem for-  
 tissimo et latissimo animo, vanos et irritos Barbarorum impetus expe-  
 ctate: hostem temerarium, et in manifestam mortem ruentem irridete. Hæc  
 erit æterna laurea, hoc conspicuum immortalitatis diadema, hæc palma,  
 hæc vera victoria vestra, nunc nomen vestrum, nunc urbis toto orbe cele-  
 brabitur. Deinceps omnes gentes et nationes Scodram, scutum et clype-  
 um vniuersæ fidei orthodoxæ, ex virtute vestra merito appellabunt. Pro-  
 inde, o Itali, viri religiosissimi et ingeniosissimi, ut magnanimitatem inge-  
 nuitatemque vestram decet, fortiter alacriterque aduersus hostem pugnete,  
 urbemque et mœnia, diui Marci memores, audacter defendite. Vos quoque  
 maritimi, viri Christo deditissimi, robustissimique et intrepidi, qui semp̄  
 Barbaros oppugnare consueuistis, vestra solita acrimonia, fortitudineque  
 eos perterrefaciendo, in fugam conuertite. Vosque ceteri ciues et conterra-  
 nei mei, viri Catholici, fidelissimi et constantissimi, urbem patriamque ve-  
 stram ferro, vel si moriendum sit, acriter defendite: cui quantum vos de-  
 beat, quis ignorat? In hac primum nati estis, communemque auram hau-  
 sistis.

*fistis. Quid beneficia commemorem, qua ab hac recepistis? Hac vos tutè alluit, honeste ad hanc aetatem perduxit, bonis legibus, optimis moribus, honestis disciplinis instituit. Præterea parentes, uxores, filios charissimos, fortunas denique vestras respicite: pro quibus nullum discrimen à vobis fugiendum est, omnia pericula subeunda sunt. Itaque ut compotes voti esse possimus, vos magnopere hortor, ut prius crucis sacra signum assumatis: pectora vestra illo muniatis, cuius admirabili vi Heraclius ille Romanorum Imperator de Cosroe hoste maximo, Persarum Rege, triumphum reportauit. hoc etenim inuictissimo signo gloriosè fracta sunt Tartara, humanum genus liberatum est. Vexilla eius in muris, propugnaculis, stationibus, & ubiq; erigite: cuius quidem numine benignitateq; omnes ciues tuti & incolumes erunt: si ante signani ante vos ferent, quoties vobis decertandum erit cum Barbaris, tuto in pugnam descendere, pericula studiose subire, hostem fortiter animosèq; pro fide orthodoxa pro libertate, pro vestra urbisq; salute ac incolumitate proterere ac profigare poteritis: cum præsertim Barbarorum primus impetus repentinus sit, post quem statim mollescunt, & eneruati in fugam conuertuntur. Sed qua gloria, qua gaudia, qua præmia aeterna nostris preparata erunt, qui egregie strenuèq; pro fide dimicando ceciderint? ad perpetuam enim felicitatem & ineffabilem tranquillitatem cuncti transmigrabunt: ubi aeterni Regis aspectu, laurea martyrij decorati, perpetuò sempiternoq; æuo persruentur: hiq; cæleste melos, quam suauissimos concentus & hymnos inter choros angelorum, immortalitatis decore vestiti gloriosè referent, hostesq; suos impiissimos in aeternæ calamitatis abisso dilaniatos & extortos contemplantur. Qui verò diuino numine superstites fuerint, talem suorum laborum mercedem à Veneto Senatu reportabunt, ut eis ad honestandam & alendam vitam nulla res defutura sit. Hac quum locutus fuisset, tantus fuit omnium consensus, ut statim omnes pro fide catholica, pro imperij Veneti salute se deuouerint: coniurarintq; quicquid ingenij, quicquid virium sibi esset, id omne absque mortis terrore exposituros. Subito se omnes inuicem complexi sunt, & in mutua oscula abierunt: Eucharistiam deinde pia mente & religioso pectore susceperunt: ades sacratas ingressi, Deum immortalem & sanctos omnes, præcipuè diuum Marcum, precibus exorare, & invocare conati sunt.*

*Interea hostis opus suum & negocium ab eo iam cæptum exequabatur, & ad excidium murorum ac ruinam continue magis intentus erat. nam die qua ipse venit, sex & triginta spherica saxa Ottomanii in urbem contorserunt. Et quoniam in preparandis reliquis tormentis & machinis, quibus muros diruerent, & ciues vexarent, occupati erant, postridie quinque tantum & triginta ictus urbi inflixerunt. altera verò luce, hoc est ter-*

tio No-

*tio Nonas Iulias, duo alia tormenta ad mœnia subuertenda Barbari posuerunt: quorum alterum à latere urbis Orientè versus collocarunt, iuxta Drinonuli ripam, qui radices montis urbis alluit, quod lapidem pondo sexcentorum torquebat: alterum autem in medio montis Bassæ, infra beati Lazari templum: quod quidem ingens erat. torquebat enim pila saxeâ mille & ducentorum pondo. Dicebatur autem tormentum Principis: sub cuius nomine, maximo artificio ac diligentia conflatum fuerat. Ex quo Barbari, quum primum urbem vexare cæperunt, obsecris, ut Principis tormentum expectarent, minati sunt. Circumferebatur enim, Principis ipsius uxorem ad id conflandum, quod in salutem animæ suæ cederet, misisse. Barbaris namque hoc ex moribus suis & legibus persuasum est, quantum scilicet in Christianos exercuerint, tantam veniam & remissionem peccatorum se reportaturos. Dehinc Barbari sex tormentis maximis urbem expugnare cæperunt. primum tribus & quadraginta ictibus muros quassarunt: lu-*

Principis tormentum, ingens, torquebat saxa pondo 1200.



*te sequenti septem & quadraginta: & magnus numerus Barbarorū ultra Bolianam castrametatus est. Proxima verò nocte Barbari aliud tormentum in montem Bassæ collocarunt, quod circiter quingentorum pondo, & quinquaginta, saxa voluebat. Pariter & prima noctis vigilia tormento, quod mortarium vocant, quod pridie clam defixum fuerat, globos igneos in urbem contorquere cæperunt in domos & tecta, ut urbem ipsam accenderent: siue hac spe ducti, ut dum oppidani, & alij milites, nocturno maxime tempore ad ignem extinguendum concurrerent, ipsi urbem intrarent, eaq; potirentur: qua nocte quatuor tantum globos igneos iaculati sunt.*

Mortarium ignis.

Globi ignei  
unde confe-  
cti.

Erant enim huiuscemodi massa seu globi ignei, qui vix extingui poterant, ex resina confecti, pice, sulphure, cera, oleo, alijsque similibus rebus ad fovendum ignem idoneis. Qui quidem ut primum tectis adhaerebant, ea accendebant. Ferebantur enim huiuscemodi globi celeri impetu, summaque vi per auras nimio quodam stridore, et veluti sibilo perstreptentes, ut spiritum vociferantium crederes. hi caudam igneam, flammamque vehementissimam secum trahabant, similem cometae, qua nocturno tempore aere accenso inflammatoque, longiori lucidiorique coma, in modum ignis, caelo progreditur. Hisce dolis atque astutijs Barbarorum perpulchre oppidani occurrerunt. nam deprehensa cognitaque eorum machinatione atque fraude (nihil enim in urbe nisi consulto fiebat, et omnibus periculis consulebatur) nonnullos viros strenuos et celeres elegerunt: quibus tale munus iniunctum est, ut de tectis domibus, qua lignis scandulis tecta fuerant, sublatisque eorum tectis, summo studio atque promptitudine his temporibus inuigilarent, quibus ignis ille dolosus in urbem immitteretur: ut quum primum super tecta caderet, ab his ocius extingueretur. Quod cum ab oppidanis accuratissime, exactissimeque observaretur, Barbari semper incassum conati sunt, et eorum in hoc labor ad irritum cecidit. Pariter eo die urbis muros quadraginta duobus ictibus tormentorum valde concusserunt. Altera vero luce, qua erant Nonae Julij, quinquaginta sex, qua Barbari aliud tormentum deuxerunt mira magnitudinis, ad radices montis urbis e septentrione super delubrum beati Blasij: quod nostra atas mortarium appellat, quo saxum sphaericum mille et ducentorum pondus in altissimum caeli spacium rotabatur: cuius quidem descensus tanta vi impetuque deferebatur, ut omnes qui urbem tutarentur, nihil magis formidarent. nam quicquid decidens tangere poterat, id totum, tanquam flamma quadam, et quodam veluti casmate, deperibat: conterebaturque non aliter, quam qua iactu fulminis aut discutiuntur, aut aduruntur: domos, et tecta penetrando penitus diruebat. si in terram tantummodo cecidisset, in eam palmas duodecim defigebatur: si in saxum aliquod illisum fuisset, in illum tanquam in rem mollem infigebatur. Hoc tormento inuento secula nostra gloriari possunt. nam quamvis antiqua secula a plurimis inuentis se iactent: in multis tamen, quemadmodum et in hoc, nostris cedunt. Apposuerant enim Turca huiusmodi tormentum exitiale, non tantum ad tecta diruenda, hominesque opprimendos, interficiendosque: sed maxime ad puteos fontesque urbis perdendos, evertendosque, ut aqua obsessi priuarentur. Sed immortalis Dei beneficentia Barbari in hoc minime compotes fuere. nam etsi ciues multitudine horum tormentorum undique vexarentur, duos tantum amiserunt. Omnes vero putei incolumes manserunt, nec ullo ictu vel minimo tacti sunt. Appellatur huiuscemodi tormentum a specie mortarij, quo

Mortarij, saxum 1200. pondus in altum rotatur.

Notum in uetum seculi superioris.

quo contundimus. est enim breue et crassum, alvei profundi, ore sursum verso ad iactum, caudam vero in solo fixam: cuius quidem sonus siue crepitus, mugitus maris et strepitum referebat, quum astuatur, et in altum procellis erigitur: illius iactu et crepitu totus mons urbis funditus contremiscere videbatur, omniaque in adibus per aliquod temporis interstitium et tremere, et resonare, et ruinam minari. contorsit enim hostis eo die ex illo pilas saxeas sex: ex mortario ignis duos tantum globos, ex alijs autem tormentis quadraginta duo. Eodem quoque die aliud tormentum Barbari ultra Boliama flumen importarunt, quod septingentorum pondus saxa contorquebat: quod non per pontem, quia illum evertisset, deuexerunt, sed mira arte miroque artificio subter aquas, more fluminatilis ultra amnem vi extraxerunt. Postridie duo alia immensa tormenta ex loco ubi conflatu erant, qui a tergo montis Bassae erat, detraxerunt. Quorum alterum, quod alia tormenta magnitudine longe superabat, in umbilico montis Bassae super ades sanctae Crucis detulerunt, quod saxum sphaericum pondus mille et trecentorum contorquebat: cuius quidem saxi superficies in ambitu novem palmorum erat. Alterum vero ad Drimonuli riuiulum iuxta alia collocarunt, et ab hoc die decem crassissimis tormentis urbem vexare ceperunt. verum eo die quo haec tormenta posita sunt, uno et septuaginta ictibus urbis moenia ac muros valde agitarunt. At Scodrenses quum varia machinarum et tormentorum genera in dies magis atque magis augeri animaduertent, sequi omnibus periculis vita obnoxios esse, et per urbem minime tuto incedere posse, statuerunt in omni parte urbis, qua Turcarum tormenta posita erant, continuos assiduosque custodes ac peruigiles, qui attentè diligenterque inuigilarent, ut quum Barbarorum tormenta in urbem contorquerentur, campanas pulsarent: quo oppidani, qui per urbem incederent, ad earum sonitum sibi consulerent, sequi in tutum reciperent. Rebus itaque sic compositis ad signum ordine praescripto, Christiani audacter per urbem proficiscebantur: sed tanta machinarum tormentorumque vis undique ingruerat, adeo Barbari ad exercendum ea diligentes erant, ut Christiani vix munimenta et propugnacula, quibus se tuerentur, inuenire possent: tanta pariter saxorum multitudo ex diuersis variisque tormentis emittebantur, ut saepenumero in aere inuicem concurrerent, et colliderentur iacula, sagitta. varia enim telorum genera in urbem instar grandinis descendebant, domus omnes, et diuersa urbis loca mortariorum ictibus crebris adeo agitabantur, ut dies noctesque nullus quiescere, aut tutus esse posset. Vallum omnem, aggeres, partim flammis et ardore, partim ictibus tormentorum assidue ruebant. Campanis nunquam ocium dabatur: non locus, non aditus usquam in urbe Christianis, in quo tuto consisterent, reperiri poterat. Postremo enim necesse fuit, ut subterraneos specus

Mortarij unde dictum.

Tormentum saxum pondus 1300. contorquebat.

iaculorum sagittarumque in aere concurrerunt.

Scodrensum  
perturbatio:

specus sibi effoderent, ibiq; cuniculorum more procumbentes, vitam agerent: undiq; angustia & calamitates instabant, undique pericula ingruiebant: tanta erat vis & impetus Ottomanis, ut timor tremorq; omnia confunderet. Non vigor, non sensus humanus pene superfuerat: non modus, non ordo, non regula aliqua ad pericula, mortemq; euitandam seruari poterat. Tanta erat multitudo atq; atrocitas Barbarorum, copia tormentorum cuiusuis generis atq; machinarum, & infinitas telorum, sagittarum undiq; missarum, quibus Christianorum viscera assidue transfigebantur. omnes humani sensus, quibus vita hominum sustentatur, penitus prostrati erant, adeo cuncta sub caelo tremiscere ac ruere videbantur. hinc aliquos ictus mortariorum sub tectis opprimebat: illinc vero aliorum membra à machinis & tormentis carptim discerpta atq; dilaniata, in diuersas urbis partes spargebantur: alij ex vallo sclopis percussi, & iaculis transfixi, exanimis decidebant: humanus iam fauor urbem destituere videbatur. Oppidani iam humanis deficientes, nihil dignum prestare poterant: res ad desperationem propemodum erat, tanto terrori Ottomanus erat. Sed pijs mortalium precibus Deus immortalis exoratus, qui solus tantam molem discutere, nodum illum difficillimum dissoluere poterat, fortissimorum ciuium, & ciuitatis tam religiosae exitium non sustinuit: ideo Scodrensum pectora & animos iam demissos erexit, excitauit fide, spe, constantia, magnanimitate munuit, virtute diuina ac caelesti corroborauit subito: unquamq; Scodrensum & peregrinorum alium vidisses adeo, ut tot & tanta pericula cadem interitumq; minitania, intrepide libentissimèq; adire cepit, & ex insperato spem quam maximam victoriae potiunda contrahere: ad labores, ad opera, & omnia, qua pro urbis munimento videbantur, diu noctuq; alter alterum exhortari, & alacriter inuitare, nullo imminentium periculorum metu cessare, aut retroagi: non machinas, non tormenta Barbarorum continue volitantia undiq;, non spicula, non scorpiones timere, sed horrenda quaq; acri animo subire. Demum omni vi, arte atque ingenio urbis saluti succurrere: hoste etiam extra mœnia hilari fronte ad pugnam prouocare: eiq; fortiter obsistere, omnibus consulere, omnibus prouidere, nunquam cessare: denique sese morti pro fide catholica, pro obseruantia & pietate in diuum Marcum, pro patriaq;, intrepide exponere. ex quo tanta vis, tanta ferocitas, animiq;, audacia ad eos redierat, ut non homines, sed ex gigantum genere viderentur. & ipse hostis sapenúmero eorum virtutem admiraretur. Sequenti vero die ictibus centum & quatuor ex tormentis, diuersis in locis positis, magna murorum pars euersa: simul & duos igneos globos mortario coniecerunt: & vallum ad Bolianam vergens, cui Carlinus peditem Italarum praefectus strenuus praerat, facibus admotis accenderunt. Sed statim sine cuiusquam Christianorum cade ignis restinctus est.

Vallum

Vallum autem omne, & propugnacula omnia Barbari incendere, & flammis consumere conabantur: ut his absumptis, omnis ratio tuendi se ab oppidanis tolleretur. nam quum muri penitus excisi essent, Scodrenses tantummodo vallis ac propugnaculis se defendebant. Multi tamen dum ad extinguendum ignem accurrerent, machinis & tormentis interfecti sunt: id quod Barbari intendebant. Altera vero luce, hoc est, quinto Idus Iulij, alia grandis machina supra montem Bassa in hortum cuiusdam ciuis à Barbaris deuecta est, qua saxum noningentorum & quinquaginta pondo contorquebat. Ex eo tempore Barbari undecim maximis tormentis urbem semper oppugnauerunt. Eo die centum septuaginta octo ictibus, quod nunquam antea, urbem admodum vexauerunt. Videns autem Ottomanus mœnia urbis iam omnia excisa euerasq; obfessos, detectos & denudatos esse, praesidioq; murorum penitus priuatos: concepit animo, urbem expugnari posse. itaq; cepit Scodrenses maximo impetu atque conatu, machinis, atque tormentis undique urgere, deterrereq;, praemisissis omni ex parte Ianizaris, Asappis, alijsq; militibus, qui cratibus vimineis, pluteisq;, cominus die noctuq; vallis inharerent, atque instarent: iussitq; oppidanos quam acerrimè vexari, ur-

Oppugnationis  
Scodrae.

geriq; & ut eos etiam accensis vallis, crebris continuisq; oppugnationibus lacefferent, ac quoquo modo urbem ingredi tentarent. sed illius vota omnia ad irritum ceciderunt. Deprehendit enim ciues, qui illi acerrimè obsisterent. nam timor in urbe amplius non erat, omnis formido Scodrenses reliquerat, audacia pro muro habebatur: pro vallo, pro munitione acriter instabant: quilibet alacri animo periculis sese exponebat: quisque per

Audacia pro  
muro.

r r

virtu-

virtutem emori potius delegerat (necessitas enim vel timidum, fortem facit) quam a Barbaris fœdè trucidaretur. Ex quo Ottomanus id difficillimum reperit, quod facillimum fore sperabat. Interim verò Barbari valla accenderunt, sed ignis ab oppidanis facillime & sine cade suppressus est. Sequenti autem die quâ maximè poterant, ictus tormentorum festinare cœperunt. Centum enim & octoginta septem lapidibus urbem concusserunt. Rursus Barbari turrim, quæ supra portam magnam posita erat, & Carlini vallum accenderunt: hac calliditate vtentes, vt quum Christiani ad ignem extinguendum festinarent, tormentis, quæ ad eam partem vergebant, eliderentur. unde nonnulli ex illis de medio sublatis sunt. Animaduertentes autem Scodrenses hanc Barbarorum versutiam preualere, & ex ea discrimen maximum sibi imminere, damnum interitumque suorum indies consequi, duxerunt non minus ingenio virtuteque animi cum Barbaro decertandum esse, quàm fortitudine viribusque corporis: statueruntque hisce Barbarorum calliditatibus alia vi occurrere. Itaque disposuerunt nonnullos sclopos (vt homines nostri temporis appellant) atque sagittarios, quæ Turcæ ad incendendas munitiones accedere solebant: vt hi, quum facces ferrent, interficerentur. qui postero die reuersi ad negocium facinusque perpetrandum, priusquam ignem coniecissent, aliquot ex suis miserunt, qui ab oppidanis confossi sunt: ceteri re infecta aufugerunt. Sed ne fortassis posteros lateat quid sint sclopi, & unde hoc nomen sibi traxerint, pro viribus eos quoquo modo describere conabor. Est autem sclopus, quem vulgò nunc sclopetum appellamus, tormenti genus persimile bombardæ, ex ferro vt plurimum confectus: cui à crepitu & sono quem edit, nomen impositum fuit: qui breui admodum ambitu & superficie contentus, ad tormentum bombardæ in longum productus atque extensus, glandulam plumbeam seu pilulam paruulam admodum, puluere quodam ex rebus ad fouendum ignem idoneis confecto, vnius hominis opere iniectam atque calcatam, igni adhibito projicit atque contorquet, & ictum lethalem infligit. Interea verò Barbari deduxerunt biremes in Bolianam, quas iam perfecerant, quæ numero octo erant: de quibus superius memorauimus. qui quum è portu soluissent, nocturno tempore per flumen Bolianam in lacum sursum remigârunt, vbi magnum prælium cum incolis commiserunt. Tandem quia res impar erat, Turcæ vna tantum fluuiatili nauicula nostra, cum octo hominibus, capta, ex his, qui castra inuadere consueuerant, eos manè ultra Bolianam, prope sacrum diuæ Magdalene palo transfixerunt. Contorserant eo die centum & octoginta tria spherica saxa, sequenti autem die centum & sexaginta octo. Interim dum Barbari ad incendia munimentorum reuerterentur, is qui ignem affererat, ante alios incedens, antequam ad locum peruenisset, ab oppidanis confossus est, ceteri perterriti

Sclopi descriptio.

Prælium Turcarum cum incolis.

Oppugnationis Scodrae continuatio.

aufu-

aufugerunt: quod quum vanum & irritum esse cernerent, nec sine periculo vita ad munitiones & valla incendenda accedere posse, aliam viam excogitarunt, aliumque modum tentarunt, ad exequendum id, quod proposuerant, & ad quod tantopere inhiabant. Vti enim hoc sunt stratagemate. Ut enim securius munimenta incenderent, & Christianos à restinguendis auerterent, tormenta ad iactum preparauerunt, & aliquantum pulueris seorsum incenderunt, vt oppidani perterriti propugnacula desererent: & ipsi Barbari statim ignem in valla coniecerunt. Quod si Christiani constantissimo animo munimenta ipsa tueri vellent, euestigio à Turcarum tormentis collidebantur. Itaque ignis ille hostilis amplius sine multa Christianorum cade restingui non poterat. Et quanquam multi ciuium interficerentur, non tamen ob hoc à restinguendis ignibus auertebantur. Nam semel potius mori destinauerant, quàm urbis defensionem deserere. Ottomanus ardens, & dentibus frendens excandescibat, nec tantam animorum præstantiam ferre poterat, quum animaduerneret nullis viribus Scodrenses expugnari posse, nec tot tormentis & machinis quicquam proficere. Quamobrem multas balistas & catapultas Jdibus Julij ad mœnia admouit, vt ingenti saxorum multitudine oppidanos obrueret. Præterea vim maximam pluteorum & cratium pariter conuexit, vt his tecti Barbari urbem oppugnarent. At ciues primo aspectu eas machinas esse putauerunt, ad globos igneos emittendos paratas. Idcirco tecta omnia è scandulis facta sustulerunt, ne vim igneam conciperent. Statimque contra huiusmodi machinas munimenta valida preparauerunt, vt Barbarorum conatus omnes ad irritum caderent. Itaque Ottomanus Principis & in hac versutia spes elusa est. nam Donatus architectorum, qui tormentis præerant, longe princeps, ab vtraque parte urbis machinas erexit, quibus Barbarorum balistæ disiectæ & dissipatæ sunt, adeo vt ea instaurare & reficere amplius non curarint. Sed eodem quoque die centum & septuaginta octo sphericis saxis urbis mœnia multum concusserunt. Decimo verò septimo Calendas Sextiles coniecerunt Barbari ignem in prima valla & propugnacula porta Magnæ, vbi erant egregij & strenui viri, Italarumque militum præfecti, Antonius Cortonensis, & Antonius Bouinus, qui in certamine perpulchrè se gerentes, Bouinus vulnere lethali ictus obiit. Alter verò telorum multitudine confossus totus, vix superstes extitit. Item in secunda valla eiusdem portæ, eodemque tempore hostes ignem immiserunt, & (vt consueuerant) tormētis stationes & valla vexarunt, vt ciues his perterriti ad restinguendum ignem non accurrerent. Verum Scodrenses non desides, neque timidi, statim ignem obruerunt. Ex quibus tantum duo desiderati fuere. Quo quidem die centum & octoginta duas pilas saxeas Meumethani contorserunt: altera die centum & nonaginta quatuor. Et hic fuit

rr a dies,

dies, in quo crebrius frequentiusq; nullo alio precedente, aut subsequente iaculati sunt. Sequenti verò luce centum & triginta unum ictum urbi inflixerunt. Verum iam Barbari quotidie inualescebant, magisq; se ad oppugnationem urbis accingebant. Jam turmatim ad urbem irruerant, eamq; corona innumerabili cingebant: pluteis & cratibus aggeres fossasq; transcendebant, easq; saxis & varijs rebus implebant, ut aditus & iter ad urbem oppugnandam facilius pateret. nam à Principe edictum acceperant, ut sequenti die signo dato ad praelium egredierentur. Ex quo tota nocte illa Meumethani ad bellum sese expediuerant. At verò Christiani ubi hostem se accingere ad pugnam vident, absque mora alacriter semper diuino numine confisi, victoriaq; freti, sese instruunt: nonnullas copias in vallibus & stationibus collocant, quæ hostem continuè animaduertent: ut quum ipse è munitionibus suis irrumperet, ei fortiter occurrerent, quoad instructi milites, & reliqua oppidanorum multitudo armata valla conscendisset. Ex quo continuè in munitionibus urbis quadringenti viri armati astabant. Altera verò luce, id est, decimo quarto Calendas Sextiles, ad vespertas, hostes more suo ignem iniecerunt ad munitiones, quæ eregione porta Magna erant: ad quem extinguendum quum multi accurrissent, aliqui tum ex Italis, tum ex Scodrensibus desiderati sunt: ex quibus minime ob præstantiam animi & corporis reticendi sunt, Franciscus Patavinus, militum Italarum præfectus, & Alexius Beganius civis Scodrensis, vir egregius atq; strenuus: qui inter ceteros acriter pugnando à tormentis sublati sunt, & carptim membra eorum per urbem sparsa. Plures enim Barbarorum tormentis, dum in vallibus cum hoste pugnarent, interfecti sunt: inter quos Franciscus à sancto Scorbaro, Italarum militum præfectus, Nicolaus Gradiscianus, Nicolaus Beganius, civis Scodrensis: qui acriter strenueq; aduersus Barbaros dimicantes, cum alijs cecidere. Ad quorum interitum à Barbaris sublato clamore, & dato signo ut ad tormentorū ictus milites statim ad certamē egredierentur, hinc inde pugna acrior quàm unquam antea à propugnaculis porta Magna usq; ad munitiones Boliandæ, ubi Carlinus præerat, commissa est, & ad horam acriter pugnatum est: in qua Barbari nunquam fossam & aggeres pertransire, nec propius ad munimenta accedere valuerunt. Ex quibus multi cæsi sunt, plures vulnerati, turpiterq; reiecti atq; fugati: victoria penes Scodrensem (licet nõ incruentata) stetit. Quam ob rem dies ille oppidano letus & honorificus affulsit, hosti verò fœdus atq; perniciosus: nec illi quicquam centum & nonaginta tres tormentorum ictus, quibus eo die Christianos vexauerant, profuerunt. Sed non tamen defessus, altera lucē centum & quadraginta octo ictibus oppidanos multum agitauit. Natutino sequenti complures ex Barbaris, qui in castris erant, ad urbem conscenderunt. Interimq; in castris magna multitudo

Oppugnationis Scodrensis vehementia.

titudo telorum & sagittarum ad pugnam futuram preparabatur. Dumq; qui his uterentur, sedulo deligerentur, statim innumeri spiculatores ad præsidia urbis omni ex parte ascenderunt. Ex quo Scodrenses arbitrati sunt, Barbarum propediem urbi bellum illaturum. Quam ob rem quisque eorum confestim armatus, in propugnaculis intentus erat, hostem ad pugnam hilari animo expectans, & semper eum obseruabat quidnam factururus esset: qui quidem post meridiem ecce maximo impetu irrupit, & mu-



nitiones & aggeres pertransiens, ad vallum peruenit. Tunc verò manus cum oppidano conseruntur: pugna atrox hinc inde ex omni parte urbis committitur. Cadunt utrinq; plures ex hostibus: ex Christianis quoq; non pauci vulnerati mortuiq; sunt, præsertim à tormentorū ictibus. Miserandum spectaculum erat, si quis ad portam Magnam munimenta penitus diruta vidisset, & omnia referta cadaverū disceptorum, non tam civium, quàm aliorum Christianorum. Jam hostis adeo inualuerat, ut primas stationes & propugnacula suprascripta porta occupasset. Ibi ingens oritur certamē: quia hoc in loco de discrimine magno totius urbis agebatur. nam tanta vis, tantusq; impetus Barbari in oppidanum, pariterq; repentini frequentesq; omnium tormentorum atq; machinarum ictus, tantusq; numerus sagittarum fuit, ut omnes ferè Christiani, qui munitiones eas tuerentur, aut sauciati, aut ex humanis sublati fuerint: sed non propterea hostis diu letatus est. nam ecce robustissima Scodrensum manus, optime armis instructa, fortissimo animo munimenta ascendens, cum hoste acriter pugnans, eum in fugam conuertit, trucidat, fugat, atq; expellit: præclaris-

semam egregiamque de eo victoriam consequitur. Itaque complures ex Barbaris cæsi sunt. Pugnatum est enim illo die satis bellè, ad duas horas: nec amplius Turca, postquam primum ex propugnaculis deiectus deturbatusque est, potuit ad ea appropinquare, sed inde turpiter discessit. Occiderant enim ea pugna inter ceteros nonnulli ciues, qui viri fortiter pro patria dimicando, pro ea emori minimè dubitauerunt: quorum membra dissipata, ac nonnullorum peregrinorum passim collecta, qui cum illis strenuè certantes ceciderant, tumulo, eo honore, quo fieri potuit, pro rerum angustijs, necessitateque tradita sunt. Et hac quidem gesta sunt pridie, quam uniuersalis oppugnatio ab hostibus commissa sit. Eo die centum et septuaginta tribus ictibus ex multis partibus tota ciuitas plurimum vexata est. Si quis diligenter omnes tormentorum ictus, qui hæctenus urbis mœnia concusserunt, supputare velit, duo millia quingentos, et triginta nouem esse deprehendet: præter centum et nouem tormenti, quod vulgo mortarium vocant: igneos globos decem. Postquam certamen hoc diremptum fuit, statim permulti ex Barbaris, qui circa urbis munimenta in assidua custodia fuerant positi, quorum maxima manus ad munitiones urbis die noctuque sub pluteis et cratibus commorabantur, in castra descenderunt. Interimque præfectus Asia una cum duce noua Roma, iussu Principis ad eum profectus est: ex quo statim nonnulli præcones ad singula tentoria præfectorum, militum, et eorum, qui aliqua dignitate præditi erant, accesserunt: eosque edicto Principis ad tabernaculum ipsius conuocarunt: qui postquam conuenerunt, proposita consultatio est, quidnam de urbis oppugnatione decernendum esset? et quum singuli sententiam suam pronunciasent, Princeps ipse breuibus eos allocutus: Credo quidem milites, neminem vestrum ignorare, iam nunc tertium agi mensem, ex quo urbs ista à nobis durissima obsidione cincta sit, ac omni genere tormentorum, machinarumque oppugnata, afflictæ, atque undique exagitata, mœniisque penitus euerfa: munimenta varijs tormentorum ictibus discussa, et (ut cernitis) euulsa. Præterea quoties ignem in propugnacula iniecimus, toties Scodrenses ad certamen prouocauimus: etiam duplici pugna eos multum vexauimus. Postremo verò (ut scitis) nihil in expertum, nihil intentatum omisimus, quod excogitari potuit, ut eos fessos, defatigatosque, et viribus exhaustos, facilius expugnaremus. Quam ob rem (ut mihi videtur) res ulterius non proferenda, nec amplius differendum est: sed antequam hostis vires assumat, seseque præmuniat, crastina luce urbs à nobis corona circumdetur, præliumque uniuersale cum Scodrensibus fiat, et id grauisimum. Itaque unusquisque vestrum se accingat: ceterosque milites in castris hortentur, ut quilibet manè circiter horam primam lucis armatus, instructusque, ad urbem expugnandam prodeat: iam eos experiar, et agnoscam, qui stipendio digni sunt.

1539. tormentorum ictibus mœnia hæctenus quassata:

Oratio Imperatoris Turcici ad milites

sunt. Tu Roma noua præfecte, cum tuis legionibus, et cohorte prætoriam, urbis partem oppugnandam inuade: reliquam Asia præfectus cum suis cohortibus occupare enitatur. Quisque enim qua ad huiusmodi certamen uniuersale necessaria sunt, præparet, secumque afferat: non animus nobis deest, quin crastina luce urbem istam expugnemus. Quis enim nobis resistere poterit? Oppidanus enim (ut videtis) et muro et omni præsidio nudatus est. Munitiones et fossæ undique stratae sunt. facilis nobis ad illum accessus patet. Scodrenses fessi tot bellis, viribusque destituti sunt, nos verò recentes robustissimique: hi pauci rarique, nos autem penè innumerabiles. Adde vim magnam tormentorum, quibus præualemus. Eorum plures dum munitiones tueri volent, machinarum ictibus interficientur. Igitur quis neget, Scodrenses captiuos nostros esse? In eos qui supererunt, iure belli et captiuitatis utar. Agite, o viri, omnes moras tollite. Nonne Scodrense nomen vobis, et genus inuisum est? Quis enim vestrum non cum summa indignatione in memoriam reuocet cades parentum, aut fratrum, aut propinquorum, aut sodalium, qui sanissime sub his mœnibus trucidati sunt? An redire vultis absque extrema ultione? Potestisne odia vestra in Scodrenses, et tantas strages eorum ab his editas concoquere? Verum ut prisca tempora, et quas calamitates iam pridem ab his reportauerimus, omittere: proximas clades, et veluti recentes respiciamus. Jam nondum peractus est quartus annus, quod bellum cum Scodrensibus gessimus. In quo tot millia nostrorum ceciderunt, ut adhuc eorum cades penè ante oculos versentur, et ultionem exposcere videantur. Adhuc mons iste, saxaque omnia eorum sanguine resperfa et polluta apparent. Idcirco properate, o viri: arma in Scodrensem sumite, montem valido gradu conscendite, urbem acerrime expugnate, pristinas inimicitias ulciscimini. Sanguinem Christianorum ad satietatē effundite, ad quod leges nostra magnopere adhortantur: ferro et omnibus viribus agendum, ut Scodrensum nullus superfit: quod quidem per facile consequi poteritis, cum omnia pro vobis ad sint. nam nihil est quod obstat, nihil vobis ad pugna victoriæ deest: omnia parata, omnia in promptu sunt. facile enim est forti debile, imbecillum, viribusque defectum, vincere. Hac quum dixisset, Barbari omnes summo consensu clamorem extulerunt, eundem esse omni impetu in Scodrenses, et huiusmodi oppugnationem suscipiendam esse, ut non prius eam dimittant, quam capta sit urbs, et ciues omnes ad internecionem cæsi sint. Postquam concio dimissa est, decretumque, quid agendum esset, edictum in omnibus castris proclamatum est, ut omnes ad certamen uniuersale, quod sequenti luce futurum erat, se accingerent. Interea enim videres Barbaros omnes hac illac per castra cursare ac permisceri, non aliter quam densissimum formarum agmen, victum quaritans, cursitat, quum alia grana important,

Orationis Turcicæ exitus.

aliâ



alia redeunt, & oneri succedentes fessis succurrunt. Consularij verò omnes, & præfecti militum, tabernaculi ducis egressi, verticem montis Bassæ conscenderunt: inde situm omnem urbem contemplant, capita inter se contu-



lerunt, unusquisque quid sibi de modo expugnandæ urbis videretur, in medium proferebat. At verò in urbe, ubi Scodrensis hostem ad bellum festinare prospicit, & ipse sublata omni mora, quacunque ad defendendam urbem pertinebant, præparare cœpit, ne eum hostis præuenire posset, & ut vigilantior vigilantem opprimeret. Ottomanus enim furtim & improvisus, civitatem incautam inuadere existimabat. nam circiter solis occasum, Barbari cum multa sagittarum telorumque multitudine, ad forum venale urbis, quod ad iactum lapidis extra mœnia est, clam maxima copia Cratum montem conscendere, urbemque circumcingere cœperunt, pugnam dissimulantes: nec unquam totam noctem cessarunt, quin properè montem turmatim subirent, pluteis & cratibus tecti: & ut oppidanos fallerent, tres aut quatuor sub singulis se occultabant. Centum quinquaginta millia ad munimenta ascenderunt: ut qui numerum exactè comprehendere potuerunt, asserere non dubitauerunt. Et hæc quidem erant lecta robora virorum, hic eximius flos inuentutis: hic erat vniuersa ferè manus robustissimorum bellatorum, qui in castris delecti, omnibus alijs pugnaciores habebantur. Erectum erat Principis tabernaculum in vertice montis Bassæ purpureo velamine undiq; exornatum, unde certamen & oppugnationem futuram despiceret. Quum iam dies illucesceret, & Princeps tabernaculum ingressus esset: Barbari callide agentes, temporis occasionem ad inuadendam urbem ca-

bem captarunt, quum Christiani in adibus sacris, rebus diuinis operam darent. Circiter primam diei horam, qui erat diua Magdalena festus, & undecimus Calendas Sextilis, ad signum bellicum, quod ex tentorio Principis editum, & ad quatuor eiusdem momenti tormentorum ictus, additis alijs duodecim, quibus munitiones assidue ferirentur, confestim ex cratibus irrumpentes, & fossas urbis transilientes, omnia propugnacula coronacinxerunt, non aliter densi ac stipati, ac apum examen, cum longe unâ confederit: interim campanarum sonitus per totam urbem exaudiri, Barbari clamorem, & tanquam barritum efferre. his excitati oppidani, ex templis armati celeri cursu ad stationes, ut cum hoste acriter decertarent, accurrerunt. Jamque Christianos manum cum Turcis conferentes inuenerunt: quam pugnam Barbari inierant, magis specie latrocinij, quam veri certaminis & prælij. Sed acrior pugna ad portam magnam committebatur: ibi hostis cum oppidano immixtus manum conferebat, & iam vallum conscenderat, signumque militare erexerat. Princeps nimio gaudio exultare cœpit, quia iam urbem expugnatam credidit: sed Scodrensis, qui nec latere, nec fugere nouerat, ubi Barbarum tanto impetu irruisse videt, munitionesque occupasse, ægerrimè ferens, existimauit iam viribus opus esse. Et fremens, infrendensque, in hostem impetum acrem fecit. Alij verò ex Christianis, gladijs telisque Turcam cominus confodiunt. Alij saxis grandibus & præacutis trabibus cœiectis, eum ex munimentis detrudunt. Aliqui vasa, quæ saxis opplata erant, deuoluunt. Alij vimineas crates, pluteosque pice oblitos & accensos iaculantur: nonnulli ollas calce plenas in eos cõtorquent. Ita hostem perterritum, eius vexillo prostrato & dissipato, ex omni parte deturbant, trucidant, atque in fugam conuertunt: illumque è munitionibus turpiter deiectum, omni tormentorum machinarumque genere confodiunt. Hoc pacto urbs & munimenta, summa cum gloria & victoria, defensa sunt. Quod quum Ottomanus, qui iam urbis expugnationem fore sperabat, de montis vertice prospiceret, ægerrime tulit, adeo ut vix suorum turpissimam cadem & fugam tollerare posset. Euestigio crebrioribus tormentorum ictibus agere cœpit, ducibusque suis, qui assidebant, minabundus iussit, ut milites, qui terrore in fugam versi erant, ad oppugnandam urbem rursus redire cogerent. Erat autem urbs ex parte montis Bassæ ad portam Magnam molli admodum cliuo posita, sed manu tamen & operè egregie munita. nam ad primam portam, & principalem urbis, extra primum ambitum murorum condita fuerat turris eminentis & munitissima, forma admodum rotunda, in qua oppidani stantes à dextra sinistraue spatium illud urbis proximum tueri poterant. Inter hanc portam, & illius quæ extrà erat, alia quoque turris erat, contigua admodum superiori: sed oppidani timentes, id quod euenit, ne turres ictibus tormentorum excinderentur,

Oppugnatio  
vniuersalis  
Scodrensis,  
11. Calend.  
Sextil. prima  
luce.

munimenta validissima ex caeno & varijs rebus contexta prope turres ipsas substruxerunt: nam hostes ad eam urbis partem, qua natura non valde munita erat, omnē oppugnationis molem redegerunt. Et ideo sex tormenta maxima, & sex millia scloporum, & sagittariorū innumeros ad eandem partem admouerant. Subito utraq; turris, & utriusq; ambitus muri solo equati sunt: nil aliud reliquum erat quod urbem tueretur, præter munimenta ex terra confecta. Barbari spe capiendæ urbis eò cum maximo impetu confluerunt: oppidani fortiter & intrepide occurrerunt: prælium acerrimum cominus exoritur, quoniam eo in loco cardo totius rei versari videbatur. hostis vallum conscendebat, ciuis statim eum detrudebat, & præcipitem dabat. Alij succedebant, pariter præcipientes deturbabantur: passim cades fiebant, fossæ vi magna cruoris inundabant. Varia interim tormentorum genera, quibus plures cadebant, nec momentum cessabant. Tum verò præfectus nouæ Romæ, cui prouincia delegata erat expugnandi eam partem urbis, qua à Rota usq; ad Carlini munimenta, Bolianam versus, pertendebant: cum principem excandescere & indignari, & dolore ingenti affici videret, quod oppugnatio ad irritum caderet, unà cum præfecto Asiaticarum legionum ex monte ubi Princeps erat, descendit: & stricto gladio milites fugientes in pugnam redire coegit. Tunc acrior oppugnatio exorta est, hinc Barbaris magno globo ad portam Magnam irruentibus, hinc oppidanis fortiter occurrentibus: non deerant undique tormenta, machina bellica, iacula, tantaq; sagittarum multitudo, ut aër ipse obscuraretur: nec tantummodo munimenta urbis discutere & pertransire conati sunt, sed & Rotam expugnare. Est enim extra mœnia locus urbi adhaerens Orientē versus, rupibus asperis undiq; inuius, in cuius vertice, qui planus est, conditum erat templum diuo Petro dicatum, ubi Græci rei diuina operam dabant. Tunc omni genere tormentorū & machinarū munitus erat: quoniam & arci, & parti urbis propugnaculum munitissimū erat, unde Barbari cum maxima eorum strage deturbati sunt. Verum horrendū certamen ad munimenta portæ Magnæ committebatur. Clamor strepitusq; ingens exoritur. Inde tanta Barbarorum vociferatio ululatusq;, tormentorum machinarumq; crepitus, tympanorum sonitus, æra crepitantia ad eò inualescebant, ut auditus simul & visus hominibus tolleretur: terra caligabat, & cælum ipsum misceri & corruiere visum est, ita omnia confusa, perturbata, obscurataq; erant. interim verò Meumethani undiq; irruunt, propius accedunt, cominus pugna committitur, nihil interstitij inter Christianū & Turcam erat, quàm propugnacula ac tabula quadam munimentorum, quæ ad oppidanorum pugnantium tutamen contra sagittas hostium posita erant. Contorquentur tela, ferrum perstringitur utrinque, cominus res gladijs geritur: hincinde alij cadunt, alij in pugnam succedunt.

Rota etiam  
oppugnata.

Scodren-

Scodrenses quo ordine & gradu munimenta semel tueri cœperant, ab eo dimoueri non poterant: hostes ex munimentis ipsis deturbabant, eosq; cratibus, pluteis pice oblitis, stupa adhaerente, præterea dolijs ligneis oleo perunctis, unà cum puluere & igni admoto inuadebant. Quibus ex rebus plures eorum adusti & elisi, ad ima montis deuoluebantur. non saxa magni ponderis deerant, non scorpiones & varia machinarum genera, quibus obtererentur: qui quum se tectos ex altera parte esse crederent, ex altera qua minus suspicabantur, crebri transfigebantur. Erat enim portæ Magnæ proximus cuniculus subterraneus in saxo viuo excisus, ubi multa tormenta posita erant, quæ fossas & partem illam urbis, qua ad Bolianam vergit, tuebantur. Inde crebris ictibus magna hostium multitudo cecidit. nam per diuersos exitus cuniculi ipsius tela in Barbaros contorquebantur: quorum plurimi undiq; vexati, aut cæsi, aut in fugam versi sunt. Verum præfecti castrorum, partim minis, partim adhortationibus cateruas & globos suorum militū in pugnam impellebant: nemini præterquam vulneratis parcebant: quin aut cum strictis gladijs trucidarent, aut in oppidanos obuertent. Ideo densissimi & collecti in globum Barbari, ad portam Magnam, & ad eius munimenta irruerant: tabulas & trabes & stipites munitionum manibus apprehendebant: nec inde auelli, priusquam animam cæsi effunderent, poterant, cominus gladijs cum Christianis dimicabant: qui etsi pauciores, nunquam tamen ordinem suum & stationem quam tuerentur, deseruerunt. superiores etiam loco diu pugnam accerrimam sustinuerunt. Sed quia totius certaminis articulus ad portam supra dictam versabatur, tanta Barbarorum multitudo eò confluerat, tantaq; tormentorum & machinarum vis Christianos vexabat, ut plures eorum tum gladijs, tum omni telorum genere caderent. hoc pacto multi iam interfecti, plures saucij, alij longo certamine defessi, vix iam tueri ex paucitate munimenta poterant. Ecce Barbari stationes inuadunt, ascendunt, signa in munimentis figunt. Princeps Meumethanus, qui de specula hæc omnia contemplantur: in ingentē læticiam effusus, iam sibi rem factam putans, urbem captam esse credidit, ignarus quid virtute & prudentia Scodrensum ad urbis tutelam prouisum esset. Astabat in medio Scodra foro delecta cohors iuuenum & virorum robustiorum, ut his qui magis ab hostili oppugnatione vexarentur, succurrerent. Ab hac abunde vires ad defendenda mœnia supererant, nullus ex alijs stationibus se ad auxilium aliorum mouerat. quam ob rem alia urbis loca satis munita tutaq; erant. Ex quo apparuit, Principis vanam & irritam fuisse læticiam: qui nondum omnia Scodrensum consilia, nondum eorum præclarissima facinora perceperat. Interim clamor ciuium exoritur: Rumor ad delectam iuuentutem in forum perfertur, quo iam hostes victores munitiones ascendisse, &

Christianos defessos iam cedere significatum est. Tunc iuvenes fortissimi, qui iam diu votis expetierant pugnae locum contra Barbarum offerri, ad portam Magnam properato gradu accurrunt, vallum confestim ascendunt, et certaminis audito classico, diui Marci vexillum, discisso hostili, in medio firmiter statuerunt et erexerunt: securiq; omnium tormentorum et telorum hostilium, quae innumera erant, in confertam multitudinem irruunt, Principis potentiam aspernati, et in eius saeuitiam et fidem Meumethanam obscenissimam, acerrime inuecti, gladijs, telis, saxis, ignium globis, pluteis, cratibus, et varijs tormentis hostem proterunt, deturbant passim, obtruncant, signa eorum auellunt, ultra fossas propellunt, fortissimum quemq; trucidant. Qua ex re perterriti Barbari terga vertunt, sine mora in castra se recipiunt. Scodrenses, eos eo persecuti sunt, unde liber reditus ad urbem daretur. Princeps vero Ottomanus, qui ex spe vana potiunda urbis ingentem leticiam conceperat, tanto dolore affectus fuit, tantaq; indignatione correptus, ut furibundo similis, se ad tabernaculum tacitus demisso animo contulerit. At Christiani victoriam ingentem adepti, summa cum leticia et crebris plausibus in urbem

Scodrenses  
victores.



reuertuntur, plurima hostium spolia secum deferentes, nec non capita caesa, quae in munimentis, ut Barbaro terrorem incuterent, suspenderunt. Confestim templa et aras sacras petunt, immortalis et omnipotentis Deo gratias innumeras agentes, quod benignitate sua immensa animos fortissimos, et vires immensas sibi dedisset: hostes vero ingenti terrore, et eorum maxima strage, ab urbis moenibus auertisset. Intemerata Virgini post Deum

Deum immortales gratias agunt, hymnos pia mente concinunt, quod muros et munimenta urbis quibusdam religiosissimis Christianis tutari visa sit: et speciem Barbaris ipsis magnorum numinum, quae Christianos tuerentur, obtulerit, ut hostes post oppugnationem testati sunt. Praeterea plures ciues circumferebant, sibi genitricem redemptoris nostri in somnijs occurrisse, quae eos ad fortiter pugnandum hortaretur, futuramq; victoriam polliceretur. Postremo, debita gratia Magdalena persoluta sunt: quod tutela urbis cum Regina caeli die suo festo non defuerit. Postquam vero tam praclare, tam strenue pro victoria eo die pugnatum est, et omnis tumultus quieuit, quisque pro virtute et meritis palam laudatur. In concione militum animi, quorum praestantia et robore moenia defensa erant, laudibus meritis tolluntur: ad similia facta et amulationes incitantur, saucij et confossi curantur. Corpora illorum, qui gloriose in bello ceciderant, eorumque membra passim per tecta et urbis vicos a tormentis disiecta fuerant, colliguntur: quorum sepeliendorum munus sacerdotibus iniunctum est. Desiderati illo die quadringenti fere fideles, vulnerati vero omnes fuerunt, nemo enim intactus remanserat. Ex Barbaris autem, ut ipsi asseruerunt, supra duodecim millia trucidati sunt, saucij innumeri. Verum inter pugnandum quot ictibus tormentorum ciues vexati fuerint, nemo ad liquidum animaduertere potuit ex ingenti strepitu et tumultu, et ex varijs et promiscuis hinc inde cadibus. Fuerunt tamen qui collegerint, in die pugnae fuisse supra centum et sexaginta, sequenti die nonaginta quatuor, altera vero luce, hoc est, nono Calendas Sextiles, centum et triginta quatuor: postridie centum et quadraginta quinque, perendie centum et sexaginta quinque. In primis id quod mortarium appellant, ingenti et formidine, et detrimento ciuitatem totam replebat: hi qui integri erant, aut interficiebantur, aut celeri cursu huc et illuc vagabantur. Qui vero saucij erant, aut egrotantes in lectulis iacebant, audito strepitu illius machinae, statim vacillanti gradu a stratis surgebant, et miserando habitu domos egrediebantur. Et alicubi per fugium dubia salutis quarebant: et nonnulli (quod mirum pluribus forsitan fuerit) febricitantes ex ea fuga et terrore pristinae salutis redditi sunt. Interim Ottomanus Princeps, cuius dolorem et excandescentiam supra dixi, dum biduum se in tabernaculo macerasset, tum ob cladem ingentem suorum militum, tum quia sibi ut plurimum res secunda semper euenerant, nunc vero aduersam fortunam experiri coeperat: praeterea deceptus spe potiunda urbis: in Scodrenses magis quam antea inflammatus, duos praefectos, alterum nouae Romae, alterum Asiae, et duos consiliarios conuocauit: cum quibus consilium inijt, ut de integro oppugnationem nouam adorirentur. quod diceret, non iam credibile esse, Scodrenses tot cadibus, tot vulneribus ac certaminibus exhaustos, amplius resistere sibi

Omnes Scodrenses in oppugnatione vulnerati: 400. c. ff. Turcarum vero trucidati 12000.

Febricitantes terrore curati.

et repugnare posse. Nunc, inquit, facilem victoriam habebimus: quoniam ciues, qui fortissimi erant, iam absumpti sunt. Et si quid virium aut roboris in eis erat, id omne in superioribus praelijs impenderunt: nostri vero milites nullo negotio urbem ingredientur. Quam sententiam cuncti comprobauerunt: et statim conuocatis Imperatoribus, ceterisque castrorum ducibus atque praefectis, demum omni militari ordine, ad eos verba fecit. Ad quem cum vniuersa Barbarorum multitudo certatim conflueret, astarentque ex primoribus, qui confertam turbam auerterent, Princeps unumquemque admitti, quod res omnium ageretur, iussit. Tunc alto folio subnixus, sic orsus est.

Turcici Imperatoris oratio ad milites.

Non me fugit, viri et commilitones mei, vos, qui mecum semper in laboribus, certaminibus, periculis, aliisque casibus grauioribus atque durioribus interfuistis, continuè animo magno, forti, praesentique affuisse, vitamque,



etiam si millies opus fuisset, intrepide ingenueque exposuisse, et semper Dijs fauentibus victoriam reportasse. Ideo hanc expeditionem libenter suscepi vestris viribus fretus, sperans vos eosdem futuros, qui semper in alijs oppugnationibus fuistis. At in praesentia miror vos animum illum remisisse in re tam facili, et prope peracta: vobisque fortitudinem solitam deesse in expugnandis his, qui penè expugnati, strati, viribus defecti et destituti sunt. nam quid facilius leuiusque, quam fessum exanimatumque, non repugnantem, et se deditum vincere? Nec miremini, o milites, si superiori proximaque pugna urbem ingredi non potuistis. Nam non verum (ut nostis) neque legitimum certamen à nobis urbi illatum fuit, sed leuissima admodum pugna,

pugna, nullo seruato ordine, tumultuaria, et latrocinij potius similis, quam veri praelij. nam non vniuersus exercitus, non omnis ordo affuit, non acies instructa: pauci enim montem conscenderant: nunc autem aperto Marte omnes cuiusque gradus conditionisue certamen subeunt, ordine incedant: nullus recuset, nullus remaneat: nemo pugnam reuolat, nemo causetur, non nostra cohortis milites robustissimi, non alij, qui nostris praefectis et ducibus parent, non milites gregarij, non serui, non liberi, non summi, non infimi, sed cuncti se accingant, cuncti se preparant, cuncti ad pugnam prodeant. nunc agnoscam viros, nunc pugnaes et bellatores, nunc qui stipendio meo digni sunt. Partes urbis oppugnanda turmatim assignentur. Exercitus instruat, et in suos ordines diuidatur. Leges, conditiones oppugnandi praescribantur, legiones aciesque in cornua diducantur. Alij alijs succedant, fessis quieti atque recentes, vulneratis integri atque intacti. Cuncta palam, cuncta composita atque ordinata fiant. Noua Roma Bassa cum cohorte mea urbis partes obtineat, quas superiori bello tenuit. Asia vero praefectus alias urbis partes cum reliquo exercitu inuadat. Edicto tamen prius omnibus iubeatur, quo die armati ad certamen prodeant, et cuncti extra omnem spem venia praesto adsint. Deinde ipse Princeps militibus premia proponere cepit. Alia fortioribus et dignioribus, qui primi muros ascendissent: alia militibus cuiuscunque conditionis, si vel muros ascendissent, vel aliquod praclarum facinus edidissent. Seruis libertatem et honorem pollicitus est: his qui maiores honores gesserant, et multis titulis ornati erant, maiora munera promisit: et unumquemque se cumulatuum pluribus donis quam enumerasset, attestatus est. Itaque eos longe maiora pollicitis sperare iussit. Praeterea ad fortia facta adhortatus est, ut singuli vires et animos resumerent, nec in maximis periculis sibi parcerent, victoriam iam in manibus esse crederent, quod urbs iam valido praesidio orbata esset, in eam undique aditus paterent, stationibus relictis, et muris varijs tormentorum generibus excisis. Si qui oppidani superessent, eos iam fessos et semineces, confossos et vulneratos esse assuecabat. Post haec his verbis usus est: Dijs nostris propitijs, qui et gloriam et aeternam beatitudinem pollicentur, in pugnam prorumpite, oppidanos fortiter inuadite, vestras iniurias, eadem commilitonum acriter vindicate: hinc honor, hinc laus, hinc premia accumulatisima vobis euenient. Totius urbis diuitiae, omnis praeda vestra est. Cum orationi Princeps finem imposuisset, cuncti Barbari clara voce dicta ipsius comprobauerunt, et omnes in Scodrensum eadem vna coniurarunt.

Interim edicto Princeps iussit, ut omnes se ad recens certamen accingerent. Quo latati Barbari, expediti et prompti arma continuo ceperunt, et ardentius quam antea pugnam affectauerunt. Econtrario oppidani cum edictum

Apparatus  
nae oppugnationis.

edictum illud percepissent (nam nonnulli ex his linguam Turcarum callebant) non segnius quam antea, sed promptius & alacrius futurum certamen expectabant: & omnia quae ad defensionem pertinebant, diligentissime preparabant: id plurimi facientes, quod ab hostibus non contemnerentur, sed sua virtus illis formidabilis esset. Prius ex more solito, Deo optimo ac maximo supplicationes agunt: vota pro victoria faciunt. Intemerata Virginis auxilium summis precibus implorant: saepius hostem experti, animo certam victoriam concipiunt: eum non timent, sed cum eo congregi, manum conferere cupiunt, diuino freti auxilio, viribus suis & fortitudine animorum confisi. Iam illis persuasum erat, Barbarum maiorem cladem, quam antea, suscepturum: maioremque suorum stragem cum magno dedecore & ignominia reportaturum. Iam Meumethani ex edicto Principis ad oppugnationem instructi erant. Verum lunam nouam pro ritu gentis expectabant. Solet enim Ottomanus prima luna, & ea religiose salutata, pugnam, quam uniuersalem appellant, committere. Ad sextum igitur Calend. Sextiles, qui diui Pantaleonis dies festus erat, & à prima pugna uniuersali dies quintus, conglobati Barbari montem ex omni parte conscendere coeperunt: urbem undique circumuallare: vallos, pluteos & crates vimineas, quibus tecti se tuerentur, sigillatim ferentes. Tanta eorum confluxit multitudo, ut mons totus, & quicquid campi circa erat, ad mille passus penitus adopertus esset. Tam densi & conferti, ut, quod trito prouerbio cir-

Prima Luna  
Turci uniuersalem  
pugnam  
aspiciantur.



cumfertur, Nec milij granum proiectum solum contigisset, nullus ferme ad castrorum custodiam remanserat. Iam collecti ad fossas venerant, in aggerre gradum fixerunt. Si quis Christianus aut oppidanus in munimentis aut propu-

propugnaculis apparuisset, vel interficiebatur, vel multis vulneribus confodiebatur. Ad noctem usque & tormentis & sagittis Christianos agitare non desierunt, semper eos ad pugnam varijs insultationibus prouocando. Prima verò noctis vigilia undique voces, & solitas vociferationes extulerunt: humi procumbentes, lunam salutauerunt. Eorum sacerdotes quosdam hymnos cecinerunt, ad quos caetera turba tantum clamorem emisit, ut terra & caelum ipsum resonare videretur. Interim Bartholemaus ordinis diui Francisci, religiosissimus, de quo iam mentionem fecimus, per uniuersam urbem equo vectus, munimenta omnia diligentissime perlustrauit, cum Nicolao Moneta equitum praefecto, qui bellator summus erat, & rei militaris peritissimus. Uterque populum & milites multis verbis adhortabatur, ut strenue fortiterque agerent, & pro fide & patria salute pugnare non desisterent. Praefectus si quis Bartholemaum ex aliqua comparatione commendare vellet, talem se, qualem Ioannes Capistranus in oppugnatione Albae Graecae, quae in Danubij ripis posita est, contra Turcas gessit, nam eius vita sanctitate, & sacratis ad Deum immortalem precibus Pannonij fortissime decertantes, Barbaros in fugam cum maxima eorum cade & strage verterunt. Pariter Bartholemaus integram illam noctem ab adhortatione oppidanorum, & à sacris hymnis & precationibus non cessauit: cui merito magna pars liberata Scodra ascribi potest. Ideo prius quam Barbari pugnam illam horrendam inirent, huiuscemodi precibus Deum immortalem placare conatus est, ut exposceret veniam & salutem fidelibus Christianis. Adhortatus est populum Scodrensem ad veri Dei hymnos & laudem, eludens Barbarorum vanas & irritas supplicationes.

Omnipotens & misericors Deus, qui es Dominus exercituum, pater & creator omnium rerum, rector & moderator optimus, in cuius manu sunt omnium potestates, & omnium iura regnorum: cuius voluntate ac nutu nos miseri peccatores in his angustijs positi sumus: qui non vis quempiam turpiter iniuria affici: Respice in nos quasumus, & miserere Christianorum tuorum, quibus in nullo alio spes est, nec fiducia, quam in summa potentia, clementia & bonitate tua: ut gentes Barbarorum, quae in sua immanitate confidunt, dextera tua potentia conterantur. O Iesu fili David, propitius esto nobis peccatoribus, defende seruulos tuos, & miserere nostri, & populi tui Christiani, pro quo mori, & tot cruciatus pati non dubitasti. O Redemptor noster adueni, & succurre nobis: quia torrentes & aquae inundaauerunt in nos. Ecce obruimur, ecce immergimur, nisi adueneris, & eripueris nos. Tu solus es Redemptor, tu solus qui liberare potes. Ecce Orcus, ecce Pluto nos deglutire paratus est. Terram iam dehiscere videmus, terram aperiri, ut nos absorbeat. Ecce furor, ecce rabies Barbarica gentis adest, quae ad fidem tuam sanctissimam scindendam euertendamque accelerat: pro

Precatio Scodrensi.

tt qua tu,

qua tu, o Redemptor, Petro dixisti: Pro te, o Petre, rogavi, ne fides tua comminuetur, siue deficiat. Ergo potentissime et clementissime adueni, ne moreris: circumcinge nos muro tuo inexpugnabili, et armis tuae potentiae protege. Libera nos semper Deus Israel, clamantes ad te: da gloriam nomini tuo, et erue nos in mirabilibus tuis: qui pro sanctissima fide tua et religione tutanda, tam diras tamque acerbis procellas, tot damna, tantas caedes patimur. Et emittere digneris angelum tuum percutientem, qui iussu tuo hostes, Meumethanamque gentem prosternat, fuget atque pessundet: nec aliter quam pro liberatione populi tui Israelitici contra crudelitatem Sennacherib: ex cuius exercitu, imperio tuo et voluntate, una tantum nocte, centum et octoginta millia hominum interfecit: fac illis Domine, sicut Madian et Syhare, sicut Iabin in torrente Cyson: disperierunt in Endor, facti sunt ut stercus terra. Pone Principes eorum sicut Oreb, et Zeb, et Zebca, et Salmana. Deinde ad intemeratam Virginem conuersus suppliciter has preces effudit: O gloriosissima et beatissima Virgo, mater summi Regis, caeli, terra, maris Regina, hospitatrix, tutela et aduocata nostra, suppliciter ac submisse misericordiam tuam exoramus, ut fidelibus et Christianis tuis adsis: qui pro honore et sanctissima fide unigeniti filij tui pugnare totis viribus non desistunt. Quibus etenim nulla est alia spes, nullaque fiducia, nisi in suprema potentia misericordiamque summi Regis regum filij tui, et precibus, ope atque auxilio tui numinis, tuaque deitatis. Tu enim sola es, qua nos ab immanitate feritateque impiissima seuissimamque gentem Meumethanae tueri, eripereque potes: quia nihil est, quod apud filium tuum impetrare non valeas. Omnia enim tibi ex arbitrio tuo conceduntur. Quare age, o Regina et imperatrix, protege et succurre (res enim festinatione indiget) contere brachium peccatoris et hostis maligni: debilita et enerua eius virtutem, tolle potentiam, obcaca lumen oculorum, colliga pedes eius, et manus, ne fera pessimaque gens nobis dominetur. Dum hac geruntur in urbe, interea vero ingens vis et flatus ventorum undique exortus est, qualis nec hyberno tempore oriri solet, adeo violentus erat: ut, quod aiunt, secum et urbem rapere videretur. Tunc vero Barbari, qui facile his superstitionibus ducuntur, et libenter auguria obseruant, arbitrati sunt se bello superiores fore, victoriaque potituros, propterea quod flatus ille ventorum summa magis perflabat, in urbemque versus erat. nam propugnacula stationesque oppidanorum per auras tollebat, eosque mirum in modum vexabat: unde ex continuo maximoque eius flatus stridore, ex nimio clamore Barbarorum, qui undique efferebatur, praeterea ex motu armorum, crepitu tormentorum, veluti mugitu montium (eo enim tempore, utpote quieto facilius cuncta audiuntur) imago quaedam ingentis terrae motus reddebatur, quo funditus terra concuti et hiscere videretur. Barbari enim per totam

ferè

ferè noctem vociferare nunquam destiterunt. Jam ferè noctis extrema pars erat. Ecce vis illa ventorum ad ima et inferiora conuersa, diuino numine (ut creditur) Turcas ipsos plurimum agitare cepit, et usque ad solis ortum adeo, ut turpiter et cum strage maxima à Christianis retro detrusi sint: quo ventorum in eos verso impetu et animos abiecerunt, et Scodrensibus victoriam adiudicauerunt. Praeterea miraculo fides manifesta accessit: per totam noctem illam visi sunt carei passim per stationes et munitiones in cuspide lancearum et hastilium et trabium ardere: quos in signum victoriae non nisi diuinitus praemissos fuisse, credendum est. Nec quisquam humanas mentes illas esse putet, quoniam nautis hoc saepenumero in mari contigisse ferunt: qui quum à tempestate et fortuna aduersa iactarentur, diuum Nicolaum aliosue sanctos inuocando, deprecandoque, luminaria accensa et candelas in naui arduas attestati sunt se vidisse: licet Castori et Polluci id vana antiquitas superstitiose assignet. Plinius verò id in maiestate naturae reconditum esse asserit. quia ex re Scodrenses erecti, et spei et victoriae pleni, non assidue Barbarorum clamoribus ac ululatibus, quod ad terrorem continue edebant, amplius mouebantur: sed ad preces conuersi, redemptorem suum, et intemeratam matrem, diuum Marcum et Stephanum supplici voce inuocabant, ardentius et accuratius custodia sua vacantes: nihil quod ad defendendam urbem pertinebat, nullis temporum interstitiis omittebant, tum votis ac precibus, tum bene agendo victoriam in manibus habebant. In animum introduxerant, quod certissimis patet experimentis, Deum immortalem his succurrere, qui non segnes et desides sunt, sed ad laborandum et vigilandum accincti. Ideo alij vallum et munimenta reficiebant, nonnulli tormenta locis suis disponebant: quidam pluteos preparabant, et ollas calce replebant: vasa oleo, pice, resina oblinebant: cados, et diuersorum vasorum genera puluere et saxiis optebant: nemo alicuius muneris expers erat. Intenti omnes, festinare, parare, quae ad imminentem pugnam pertinebant: nihil intentatum relinquere: omnes, quod agendum instabat, sedulo perficere, mutuis adhortationibus se inuicem ad victoriam intrepidi et alacres excitare. Par animus in matronis erat: quae nulla ex parte, nec sedulitate, nec promptitudine, nec labore assiduo ad preparandum ea, quae ad salutem ciuitatis pertinebant, viris cedebant. Eo maior profecto harum laus, quanto sexus debilior. mixta viris munimenta ascendebant: strenue cum hostibus dimicabant: plures earum tormentorum ictibus interfectae fuerunt. Ottomanus pugna signum dederat, ut in lucem ad crepitu tormentorum ex munitionibus erumperent, et oppidanum aggressi, propugnacula viriliter conscenderent, et ad urbis expugnationem totis viribus intenderent. Christiani verò haud ignari, Barbarum aperto Marte ante lucem de more urbem esse aggressurum,

t t 2 ubi

Ventorum violentia paulò ante oppugnationem exorta.

Miracula apud Scodrenses.

Feminarum labor in defendenda urbe.

Ad portā magnam tota vis belli.

Primus impetus vehementior.

Oratio Iacobi Moneta ad Scodrenses.

ubi cuncta ad bellum composuerant, ordinarantque, hostem ad pugnam instructi omnes atque accincti expectabant, præcipue ad munimenta et turres portæ Magnæ (cætera namque loca urbis, ut prædiximus, satis tuta munitaque erant) ubi summa pugna, totaque vis belli futura erat: ubi cardo totius certaminis erat, omnis labor instabat, omne periculum ingruebat: quo fortissimus quisque Barbarorum conuenerat: quo Princeps ipse cum omni apparatu suo venturus erat. Quo enim loco, quanquam et Itali, maritimique milites adessent, tamen maxima pars copiarum ciuibus constabat, fortissimaque manus iuuentutis agrestium conuenerat. Aderat quoque et ipse prætor urbis: apud quem sorte constitutum est, quisnam primus cum copiis vallum ascenderet, et cum hoste confligeret, et primo congressui Barbarorum sese opponeret. nam terribilior magisque ferox est prima vis, primusque Barbari impetus. Fortissimi enim primi, et robustissimi omnium pugnam subeunt, triplici autem congressu rem maximè expedire conantur. In his nihil proficentes, segniores remissioresque, viribus efficiuntur, belloque admodum penitus deficiunt. Stabant utriusque ad pugnam accincti. Inter Christianos vero, quamuis nullus aduersus hostem primam pugnam prærogatiuam recusaret, nihilominus prodijt in medium ante omnes Iacobus Moneta ciuis egregius, et summus bellator: qui atate ingenioque grauis armis, rerumque militarium peritia cæteros antecellebat, procero corpore, facundia præditus, parentum splendore et diuitijs ornatus. Hic dum instaret acerrima pugna, eius partes primas sibi dari poposcit. nam præsto erant ei centum viri et amplius robustissimorum corporum, ex ciuium agrestiumque iuuentute. Aderat quoque Moncinius eius frater, vir quidem satis bellicosus, solers et industrius in munimentis consciendis, in ciues et in milites munificus. Verum Iacobo propter auctoritatem grauitatemque, et quia antea semper præclare res militares gesserat, libentissimè omnes assensi sunt. Ita que collecta manu militum, animos eorum sic in pugnam tali oratione accendit, sic pro victoria exhortatur. Exploratum atque compertum iam nimirum vobis milites esse arbitror, quanti Ottomanus vos, virtutemque vestram faciat: cum is diebus superioribus tot edicta, tot minas in suos ediderit, ut unumquemque absque vlla exceptione in pugnam contra vos prodire cogat. nam quum eorum ignauiam accuset, timorè suum indicat, et quanti vos faciat ostendit. Iam non fretus virtute et robore militum, collecta vilissima ex omnibus nationibus colluue, quos omnes gregarios milites et seruilis conditionis censeas, rerum bellicarum prorsus ignaros, expertes, sola multitudine vos perterrefacere putat. Sed quorsum hæc Ottomanus? nam si cum veteranis suis et expertis militibus nos expugnare minime valuerit, quomodo nunc cum abiectissima turba et mechanicorum manu debellare credat? Scitis iam, o milites, quod quoties nobiscum manus conseruerit,

ruerit, certamenque commiserit, toties à nobis repulsus est, et usque ad statua maxima clade atque ignominia profligatus. Fortissimus quisque suorum iam interijt: veterani et bellatores eius iam ferè omnes cecidere. putatne Ottomanus cum aquarijs, lignarijs et cocis urbem nostram ingredi? Credibile est iam discessurum fuisse, nisi dedecore et ignominia moueretur. Tentat nunc Ottomanus, tentat astutia et sagacitate sua. Hic est eius ultimus conatus: non amplius oppugnationem tentabit. Vidistis iam ipsum cum sua versutia et calliditate nihil profecisse, ita nec in posterum (sumus enim cura Deo) quicquam profuturum confidite. Reliquum est nimirum, ut ij qui à clade ei superfuerint, hodierna luce à vobis humi prosterantur. Exanimati sunt omnes Barbari, et perterriti. nouerunt enim virtutem vestram, experti sunt iam vires: timent quidem vos, sed vi coactique ad bellum trabuntur. Ecce tanquam bellua ad occisionem et interitum ruunt. Ottomanus tanquam pecora ad necem impellit. Sed dicat mihi sana mentis aliquis, quid præclari animus timidus atque inuitus gerere possit? Quare, o ciues fortissimi, lares proprios, patriam, qua hodie ferro defendenda est, respicite. Misere mini coniugum, liberorum vestrorum, quos tanto labore, studio atque cura educastis. Nolite sinere eos iugulari, atque in seruitutem rapi. nulla est enim pietas in Barbaro, nulla profecto misericordia, hic dies et periculis vestris ultimam manum imponet, nolite hosti ignaui ac imbelli cedere. Omnes enim si cesseritis, ad unum tanquam bellua trucidabimini: nusquam est vobis fuga, nulla spes alicunde, nec ex alieno presidio. Incolumitas vestra, patria, liberorum, hodie in manu vestra sita est: qui si fortiter animoseque hosti repugnaueritis, victus hostis à vobis abibit. nec putetis Turcas inuictos esse: vinci enim possunt, et sæpe à vobis victi fuerunt. Quantum autem Turca valerent, eorumque arma, virtus vestra prima obsidione ostendit. Minor sanè est Turcarum potentia, quam fama feratur. hæc copia Barbarorum, hæc multitudo, qua ad hoc bellum venit, inermis est atque imbellis, quam tanquam pecudum gregem nobis dissipare licebit. Tumultus, volubilitas, multitudinem eorum nolite timere. Virtus spectanda est magis quam numerus. In multitudine exercitus non est victoria belli, sed diuinitus. Tam facile est Deo in paucis, quam in multis vincere. Causa nostra Dei est: nos iure pugnamus pro lege Dei, pro fide, pro patria, pro aris et focus, pro liberis. At ij contra, quod nunquam habuere, vi atque iniuria petunt. pro libidine enim vnius, pro auaritia imperandi, nos vita, patria, bonisque priuare contendunt. Sed bono quidem, o viri, estote animo: quia Deus, cuius prouidentia cuncta reguntur: qui nemini vim inferri, nec iniuste quenquam vexari patitur, ipse hostes in conspectu nostro hodie conteret: hodie nobis de cælo victoriam mittet: cuius quidem ut non simus compotes, quid timeamus? quid dubitemus?

Summus enim egregia bellatorum manus, multitudoque militum delecta, armis exercitata: non desunt nobis militaria arma, non bellica instrumenta, non qui his perite utantur. Præterea nos locus eminens et acclivis tuetur. illi in ascensu trepidi, et semianimes, more puerorum timido et titubanti gradu, iniquitate loci plurimum laborabunt. Itaque hodie Barbarus vires nostras sentiet: hodie Christiani virtutem fidemque Christi experientur, quod vera sit, ceterisque potentior. hodie Turca vincetur: hodie efferata Ottomanis rabies proteretur, conculcabiturque: hodie eius superbia ruet, atque cadet. Sumamus igitur arma lato hilarique animo, munimenta viriliter intrepideque conscendamus, in hostem fortiter audacterque irruamus. Hodie hanc pestem, hunc morbum, hanc contagionem à nobis ex urbe, è regione nostra rejiciamus. Debilis est hostis, nec ab eo vinci poterimus nisi volentes. primo enim congressu profligabitur, in fugam conuertetur. Quid dubij? quid difficultatis? Nam Barbari, qui è tot cladibus superferunt, partim perterriti et fessi, partim confossi vulneratique sunt. Hi timidi atque inermes, nos vero armati omnes, optimisque lorice, thoracibus, galeis induti atque instructi. Corpora nostra tota ferro teguntur. Quisque nostrum aut hastam ferratam, aut manuabilem catapultam fert. Unus cum mille strenue pugnabit. Quamobrem minime durare poterunt. Iis enim omnia incommoda aduersantur: nobis vero cuncta adiumento sunt, et nos defendunt. Sed in primis beatissima Virgo, diuusque Nicolaus: cuius, o milites, ecce templum, ecce adem, quemadmodum tormentis sauisimi perduelliones, diuinique cultus corruptores violarunt, deturbaruntque. Memento te, o ciues, illud diuinum, non reticendumque miraculum, quod is sanctus in prima obsidione in Barbaros (ut ipsi attestati sunt) ostendit. nam primum saxum sphericum, quod ipsi Barbari in hoc templum et hanc adem contorserunt, beatus Nicolaus non sine magno periculo in eosdem reflexit, ex quo plures interfecti sunt. proinde, o commilitones mei, ipsum inuocate: est enim mihi quoque venerandus. Ipsi confidite, quia erit nobis adiumento: hic retorquebit tela à Barbaris emissa, in eos: hic tormenta, hic eorum vires comminuet: hic eos in fugam conuertet: hic nos ab impiissima scelestissimaque gente defendet atque liberabit, quæ hodie penas suorum scelerum luet. Quamobrem, o Christiani et commilitones mei, in hoc die, in quo Deum propitium habemus, exultate, letamini, et illi soli pro tanto in nos beneficio gloriam date: hodie fama vestra per uniuersum orbem euolabit, hodie nomen urbis nostræ ubique propagabitur: hodie palmam et triumphum summam cum laude et gloria ex hostibus diuino fauente numine reportabitis: hodie arma et spolia ab eis arripietis: hodie fidem catholicam, cuius incolumitas in manibus nostris est, conseruabitis: hodie nomen diui Marci penitus illustrabitur, labores vestri non erunt irriti, merces vestra copiosa erit.

nam à

nam à Veneto imperio quisque vestrum summis honoribus et præmijs decorabitur. Christiani omnes vos in cælum efferent, et æterna gloria celebrabunt. Quare agite, perstringite gladios in Barbarum, sauite in fures, et orthodoxæ fidei hostes, perfidosque latrones. Obtruncate, tela et igneos globos et cætera machinamenta bellica contorque. O mulieres, o matronæ, saxa sedulo suggerite. O iuuenes, irruite in Turcas: ecce vincuntur, ecce terga dant, aufugiunt. His dictis militum animi tanto bellandi ardore accensi sunt, ut non ad certamen, sed tanquam ad ludum intrepidi festinantesque descendere viderentur. Erant autem armis necessarijs pulchre instructi, leti et alacres, minime de victoria dubij. Dixisset quispiam, qui eos tam animatos vidisset, tot veluti leones acerrimos. igitur re diuina peracta, vexilloque crucis præmissa, ad pugnam cuncti maturabant.

Interea nondum orta luce Princeps Ottomanus iugum montis Bassæ conscendit, unde pugnam despicere solitus erat. In eo ut primum constitit, undecim tormentis crassissimis, et duodecim alijs minoribus, munimenta et propugnacula urbis dissipari et prosterni cœperunt. Barbari quibus illud signum datum fuerat, irruptione facta undique euolare, et ingenti tumultu clamoreque (ut moris est) urbem circumuallantes, propugnacula et munitiones scandere: qui quidem tanta promptitudine et celeritate visi sunt, ut priusquam nostri vallum portæ Magnæ conscendissent, iam illud occupauerant, et vexilla sua ibi erexerant. At vero ubi Iacobus Moneta, quum eò cum sua cohorte sine mora accurrisset, hostemque in munimentis urbis conspexisset, ad suos conuersus, ita inquit: O viri, o Christiani, quid immoramini? quid expectatis? Et vibrato ferro (res enim moram prohibebat) pugnam cominus cum hostibus acerrime inijt: qui quidem erant ex hostili exercitu prima et delecta manus (solent enim Turcæ primos in certamine mittere, qui fortissimi et validissimi sunt) hi ut terrorem nostris incuterent, elata voce, vultu horrendo, atque habitu et aspectu terribili tremendos præbebant. Tamen tanta fuit vis ducis, Christianorumque constantia atque virtus, ut ipsi hostes non veriti, eorum insignibus disturbatis, illos acriter protererent, et in ipsis munimentis passim obtruncarent. Sed tanta Barbarorum multitudo undique ad inuadendam urbem confluebat, ut confertim cum his cominus gladijs dimicandum esset. Ideo tanquam pecora sædè trucidabantur: nec tantum gladijs prosternebantur, sed et omni genere tormentorum et machinarum: præterea saxis, calce, igni, multo maior eorum strages sequebatur: quoniam tam densi, tam stipati erant, ut tela in irritum non caderent: nec præterea propter frequentem multitudinem retrocedere poterant. Qua ex re Christianis creuit animus, qui acrius in certamen ruebant. Hoc pacto in luccem utrinque acriter pugnatum est. Barbari ter usque ad fossas et aggeres turpissime profligati sunt. Jam exorto sole

Jacobus

Turcæ munimenta portæ magnæ celeriter conscendunt.



Iacobus Moneta, qui nocturno illo certamine praclare cum sua cohorte se gesserat, ut aliquot ex suis partim casos partim vulneratos cōspexit, acrius incensus in hostes fuit: Quamuis ipse totus vulneribus cōfossus esset, quamuis facies eius à robustissimo Barbaro, quem in ipso vallo strenue prostrauerat, grauiter percussa esset. nam quamuis totus validissimis armis munitus esset, tamen ex omnibus membris sanguinis veluti riuus defuebant: bis telis hostium, et crebris sagittis toto corpore collapsus, bis erectus et sustentatus: sed diuino numine constantissimus in pugna perseuerauit, qui milites suos ita alacri voce hortatus est: Christiani virorum fortissimi et constantissimi, hodierna luce felicissimi. Ecce iam bellum peregitur, Barbarorum vicimus: timorem omnem deponite: hilari, intrepidus estote animo.



ter enim hostem fregimus, propulsauiusque: tergeminam de eo victoriam, triplicemque triumphum gessimus. Ecce retro turpiter cecidit: vires, animum, impetum amisit. Vix hæc dicta finierat, euestigio Barbarorum tormenta in confertissimam turbam suorum militum immissa, partem eorum validis ictibus dissiparunt: partem ingenti strepitu attonitos ita reddiderunt, ut proni in terram ceciderint: quod quum Barbari conspexissent, receptis animis subito clamore iterum in certamen inualescentes ruere cœperunt. Sed praeclarissimus Princeps nihil admodum perterritus est, sed impigre, animoseque vim conatusque Barbarorum cum paucis sustinuit, quoad reliquum Christianorum subsidium vallum conscendit: suos semper ad pugnam et victoriam excitauit: nec inde unquam discessit, quoad bellum diremptum atque peractum fuit. unumquemque Christianorum stricto ense in pugnam impel-

impellebat: neminem etiam, quamuis grauiter confossum, à bello et loco suo discedere permittebat. Interim vero conscenderunt vallum egregij ciues, et strenui viri, Blasius Humoi, et Petrus ei affinitate iunctus, cum egregia manu armatorum, quae et ciuibus, et incolis, aliarumque nationum turba constabant: qui omnes cum hostium furori se animose intrepideque opposuissent, maximum asperrimumque certamen commissum est. Quod quum in longum protraheretur, utrinque et prosternebantur, et passim sedem trucidabantur. Satis prospera pugna à Christianis sterisset, nisi Barbarorum tormenta in monte Bassa posita, ordinem ciuium turbassent, et Christianorum vires protruisissent. nam tam crebri ictus hinc et inde immittebantur, ut nonnunquam munimenta protectoribus carerent. Turca vero, qui quum longè numero superior esset, continuè succedebat, validiorque factus ad vteriora gradum promouebat. Sed ecce eò conuolauit impiger egregiusque iuuenis Lucas Moneta, ex fratre Iacobi natus, de quo supra dixi: quem magna virorum multitudo armata sequebatur: quae tanto impetu in hostem delata est, ut is grauiter percussus aliquantulum retrocesserit. Verum quia maxima Barbarorum multitudo, ingenti numero pluteorum cratiumque aggeres et fossam transierat, inde peli minimè poterat. Sed hi praemunitioibus astates, acriter cum oppidano decertabant. ter enim fossam praetergressi, ad munimenta ascenderunt, et semper à Scodrensibus turpiter reiecti sunt. Quamobrem quum Ottomanus virtutem, constantiamque Christianorum aspexisset, valde perturbatus, iussit castrorum praefectis, ut omnes copiae omnisque multitudo, quae urbem circumuenerat, euestigio ad portam Magnam concurrerent, ibique renouato certamine acrius grauiusque quam antea, pugnam intenderent: nec inde descenderent, sed unumquemque in praelium impellerent, terga dantes grauius caderent: nec à bello desisterent, etiam si omnes à Christianis interficerentur, quoad urbs expugnaretur. Ecce omnis multitudo Barbarorum, seu maior pars validissimorum militum, conuersis signis ad portam Magnam, et ad eius vallum festinauit, cuius eregione Princeps morabatur, ubi dato signo tubarum tympanorumque sonitu, sublato ingenti clamore, praemisissis signis, summa vi impetuque irruerunt: et praetergressi aggeres et fossam, ad vallum peruenerunt: ubi signis fixis cominus cum oppidano, gladijs dimicabant: et tanta fuit profecto vis furorque Barbarorum, tanta multitudo tormentorum, telorum atque sagittarum, ut Scodrenses, qui pro munimentis res gerebant, penè omnes aut interempti sint, aut grauitè sauciati, ita ut hostis nullum ferè aduersarium, nullum oppugnatorem haberet. Princeps vero, ut Scodrensem sic oppressum, et signa sua in vallo fixa animaduertit, ut auditum ex his, qui tunc ei proximi astabant, magnopere letatus, in hæc verba prorupit: iam nunc perspicio Christianum defecisse, iam Scodrensem debellatum esse,

urbem expugnatam. En quis est qui militibus meis repugnet? Quis locus tam arduus inexpugnabilisq̄, qui ab his non expugnetur: neminē ex Christianis iam video, neminem qui pugnet. Aedepol urbs iam mea est. Tunc verò aiunt praefectum castrorum, qui prima obsidione urbem oppugnauerat, his verbis Principem allocutum esse: Inuictissime Princeps, vereor equidem ne decipiantur. Opinor rem aliter se habere, nondum urbem expugnatam esse, nondum oppidanū debellatum. Simulat equidem, crede mihi, fallax subdolosq̄ Christianus: nam abhinc annos quatuor, dum obsidioni superiori praessem, probē expertus sum. Solet enim vaser callidusq̄ Scodrensis copias in bello recentes ad nouissimum subsidium conseruare, et hostem exhaustis viribus fessum, ipse integer et refectus penitus opprimat, ac prosternat: nondum copias instructas, nondum munitum praesidium eorum vidimus. Vix haec dixerant, en euestigio Christianorum copias, quae in foro paratae erant, ad portam Magnam cum vexillo aureo conuolauere, et statim edito sonitu tuba, nomineq̄ Iesu inuocato, hostem armis, ferro, telis acerrimē aggressi sunt: illumq̄ gladiatorio animo undique cadentes, ferientesq̄, e vallibus deturbauerunt, eorumq̄ insignia prostrauerunt et dissipauerunt. Ubi verò Ottomanus, qui prius victoriā iam parta laetus gloriabatur, suos tam fœdē deiectos, profligatosq̄ videt, signa disturbata, prostrataq̄: contristatus valde ingemuit, et excandescens, tormentorum peritis statim iussit, ut crebris tormentorum ictibus, vel cum suorum strage, Christianos passim et crebrō caderent. Tunc verò vidisses omnia Barbarorum tormentis, quae in monte Bassa posita erant, misceri, et vexari: urbem et munimenta velut à grandine discuti: duces, et castrorū praefectos, qui in inferiori parte erant, properē strictis gladijs ad superiora ascendere: unumquemq̄ in pugnam impellere, increpare, in certamine acrius instare: Barbaros iussa Principum pertimescentes, eorumq̄ praesentiam nō sine pudore formidantes, summo furore in pugnam sese conuertere, Scodrensem acerrimē opprimere, propugnacula undiq̄ oppugnare: oppidanum verò contrā fortiter instare, pugnare, urbem tueri, hostem armis et ferro repellere, tum saxis, igni, caterisq̄ tormentis deturbare: Barbarum undiq̄ cadi ac trucidari, humiq̄ passim procumbere, non secus quā cum calami, vi tempestatum ac grandinum fracti, penitus ad radices corruunt. Caterū tanta erat vis frequentiaq̄ hostium, qui assidue subibant, praeterea tantus erat numerus impetusq̄ tormentorū atq̄ spiculorum, quae semper undiq̄ cōuolabant, ut vix Christiani iam amplius vim furoremq̄ eorum sustinere possent. omnes enim aut à tormentis absumpti erant, aut à sclopis interempti, aut à sagittis confossi: nullus fermē erat, qui gradum sistere posset: et quum omnis moles oppugnationis et cardo totius negotij ad portam Magnā verteretur, per totam urbem clamor ingens exaudiebatur,

Scodrensiū  
fortitudo.

batur, ut omnis manus protectorum ad eam in auxilium conuolaret, quod hostes in eo essent, ut iam iam ingredi viderentur. Ecce praecleara manus Christianorū, armis egregiē instructa, vallum conscendit: cum hoste viriliter dimicat. Praclarum erat videre Christianos non ut homines, sed more leonum aspectu sanguinis animatos, feruore fidei accitos, in praedium contra Barbaros ruere: nihil aliud pensi habentes, quā contra tyrannicam ferocitatem Christi iniuriam suorumq̄ eadem ulcisci. Omnes enim certatim tanquam ferocissimi leones pro vallo pugnantes in Barbaros sauebant, illosq̄ semper omni tormentorum genere prosternebant: et praecipue igni, à quo infinitus numerus profocabatur. Contorquebantur autem Barbarorum tormenta in Scodrenses assidue. nihil enim magis Christiani vires proterebat: ex quibus strages calamitasq̄ maxima ac miseranda redabatur: nihilominus Christiani nihil admodum territi, sed vitam nihilipendentes, prompti in pugnam ruebant. Et quanquam in tot periculis et in tanto discrimine essent constituti, tantoq̄ impetu Barbarorum oppressi, atque continue vexati, nunquam ab inuocatione nominis Christi beataq̄ Virginis desistebant: et mutuis adhortationibus, oblitī priorum nominum, fratres se inuicem appellabant. Omnes unanimes tanquam ab una origine manantes (ut de gente Fabia traditum) Barbarica sauitia fortiter occurrebant: ut merito in illorum commendationem illud praclarum decantari possit: Pulchrumq̄ mori succurrit in armis. Certatim robustissimi milites inuicem se exhortantes, vallum conscēdebant: super strage corporum suorum intrepidē hostem propulsabant. Videres enim martium in conspectu uxoris occumbere, filium sub oculis paternis prosterni, patrem non morte filij consternari, neq̄ misereri, filiam patrem mortuum seu laborantem non aspicere, tormenta Barbarorum amplius non formidare, iacula, sagittas, scloposq̄ pro nihilo habere, feritatem et immanitatem hostilem, numerum penē infinitum paruipendere. Sola cura, unicus amor omnibus inerat, urbem seruare atq̄ defendere, patriam supra vires et ad sanguinem usque tutari, unumquemq̄ pro fide Christi alacriter pugnare, emoriq̄, et vitam semel Deo deuotam exponere. Ottomanus Princeps quum ex montis specula prospexisset Scodrensem pugnacem in bello, fortem atque constantem esse, nec villo pacto loco suo pelli aut superari posse, stomachatus, ira atque indignatione valde commotus, iterum atque iterum omnibus tormentorum peritis iussit, ut crebrō et indiscretē, sine suorum et hostium discrimine, tela et saxa contorquerent: pariterq̄ imperatoribus ducibusq̄ castrorum, ut collecta ex omni parte uniuersa multitudine, cunctis viribus atq̄ conatibus, omniq̄ ope, arte, atque scientia ad urbis expugnationem intenderent, illiq̄ iam extremam manum imponerent. Insuper minas horrendas adiciebat, grauissimāq̄ supplicia, nisi

In armis mori  
pulchrum.

rem ad effectum perduxissent, proponebat. Confestim ad nutum Principis Meumethani, omnes vel ignavi et imbelles ad portam Magnam summo impetu, ac ultimo conatu erumpebant. Præterea tormenta omnia tam in ipsos Turcas, quam in oppidanos obstrepebant, ex quibus pariter permulti tollebantur. Quare ter maxima cades stragesque ipsorum Barbarorum à tormentis suis edita est, ita ut id non parum ad victoriam oppidanorum contulerit. Sed quanquam his auxilijs succincti essent Christiani, tamen tanta vis tormentorum, furorque Barbarorum inualecebat, ut nisi Dei omnipotentis diuinum auxilium, et beatissima Virginis, diuique Nicolai affuisset (ut verè affuisse creditur) tunc fortè de urbe actum esset. nam visi sunt per urbem heroes et Dijs pro mentibus contra Barbaros pugnare (ut ipsi postea Barbari fœdere ictu asseruerunt) non imaginem humanam habentes, sed hominis formam excedentes, qui Barbarum è vallo et munitionibus deturbabant, propulsabantque, ne urbem ullo pacto ingrederentur. Interea præclara et egregia manus Christiana iuuentutis, quæ ex alijs stationibus et locis euocata fuerat, maxima vi et impetu atque audacia illuc conuolauit, vallum turris portæ Magnæ conscendit, acriter cum Barbaris decertare cepit, ubi ex utraque parte frequentissimi cadebant. Sed quia Barbarus numero et ingenti multitudine abundabat, recens semper certamen instaurabat. Christianus paucitate vix resistere, vix se tueri poterat. nam ex Barbaris alij alijs succedebant, et strata cadauera calcabant, ex quibus veluti gradus ad urbis ingressum faciebant. Machinæ et tormenta eorum sine interuallo in Christianos immittebantur: nunquam eorum ictus irriti erant, plures de medio tollebantur. Semel (quod reliquam stragem significare potest) vnus tantum ictu lapidis duodeuiginti Christiani desiderati fuere. Clades multiplex semper oppidanorum sequebatur: tormenta sine numero obstrepebant, iacula et sagittæ undique confluabant, nec tantummodo eam urbis partem, ad quam mittebantur, infestabant, sed ex illa ad plura alia loca non sine magna cade exiiebant: et tam densa spicula atque sagittæ in omnem urbis partem ferebantur, ut undique terra his contacta ad palinum esset: non campanarum funes præ sagittis infixis cernebantur: adeo, ut Scodrenses per integrum mensem nullis alijs lignis ad conficiendos ignes visi sint. Fœdum aspectu erat, membra Christianorum tormentis dissipata per aërem ferri: nulla munimenta, nulli parietes erant, qui non his referti essent. Vici omnes urbis, viæ, semitæ Christianorum cruore contaminata atque polluta erant. Domus sternebantur, templà ruebant. Aër ipse perniciem et calamitatem Christianorum deplorare videbatur: nunquam tormenta innumera, et machinæ bellicæ cessabant. Tanta telorum multitudo erat, tam densi eorum ictus et crepitus, ut grandini merito comparari possent. Quid dicam de horrendo tubarum clangore et tym-

Vno ictu tormenti 18. Scodrensi de-fiderati.

panorum sonitu? Quid de ingenti ululatu, efferatisque vocibus Barbarorum? quibus omnium aures ita obtundebantur, ut nihil aliud audiri posset: sed cælum ipsum terris misceri videretur. Turpe ubique spectaculum oculis omnium occurrebat. ubique cruor, ubique cadauera, passim cæsa membra, disiecta, et à reliquo corpore vi tormentorum auulsa: profecto si quis stragem, quæ ad portam Magnam edebatur, animo quieto contemplari potuisset, non minus tetram et variam esse dixisset, quam ea, quæ de varijs suppliciorum generibus apud inferos traduntur: adeo res fœda, tetra, horrenda urbem ipsam consternabant. Clamor iam per vniuersam urbem, et voces undique personantes cuncta impleuerant, exclamantium: O Christiani et fideles, o viri, o mulieres, o pueri, o puella, o sauciati et confossi, o languidi et agrotantes accurrite ad portam Magnam, festinate, properate, laborantibus Christianis et iamiam defectis succurrite: quia hostis irrupit, inualuit. Barbarus iam urbem expugnauit, ingressus est. Interim tantus erat tormentorum omnium strepitus, tam densa tela, tantus sagittarum numerus, tantus puluis ex certamine concitus, ut cælum ipsum ex omnium aspectu sublatum esset, nusquam terra conspiceretur, nihil aliud quam cades, clades, strages, et cadauera prostrata videbantur, nihil quam velut tonitrua, fulgura et coruscationes sentiebantur, nihil quam strepitus, tumultus, ululatus Barbarorum, et horrenda voces audiebantur, gemitus, clamorque oppidanorum inuicem se adhortantium, ut ad portam Magnam ubi cardo totius rei vertebatur, omnes subito concurrerent. nec solum hi qui integris corporibus erant, sed et vulnerati, et qui in lectis diu agrotantes iacuerant, resumptis viribus facto globo in Barbaros impetum fecerunt, non salutis suæ parcentes, nec tormenta ulla, aut telorum densam veluti grandinem formidantes: subito magna hostium edita strages, passim à Christianis cadebantur. non tamè à pugna deterrebantur, sed alij cæsis et saucijs succedebant, pugna acrior insurgebat: quia hinc Barbari totas vires exponebant, ut expugnationem toties infelicitè tentatam tandem expedirent. Inde Christiani, cum ageretur de ultimo suæ salutis discrimine, nil aliud moliebantur, quam ut hostem à cervicibus suis auerterent. Vtrinque plures cadebant. Modò Barbarus victor erat, modò pellebatur, et fœdè cadebatur. Interdum oppidanus densa et conglobata multitudini cedebat. Certamen in multam diem protractum erat, Mars incertus, victoria anceps diu stetit. Tandem quum ex utraque parte ferè omnes præter casos, percussi et multis vulneribus confossi fuissent, pugna remittere cepit. Impetus ille pristinus languescere, nihil prædarum edi. Omnes et longo certamine fessi, et viribus propter vulnera defecti, vix ulterius gradum promouebant. Christiani tamè constantissimè munimenta et urbem defendebant. Quumque Barbaros penitus defessos deprehendissent,

Scodrenses  
victores.

instauratis viribus & reuocatis animis in eos impetum fecerunt: qui confestim in fugam conuersi, cum maxima clade usque ad tentoria fusi fugatiq; sunt. praeterea Ottomanus quum de victoria iam desperasset, & immensam suorum stragem vidisset, receptui canere iussit. Subito tanquam fulmine perterriti hostes terga dedere, & omnem deseruere expugnationem. Hoc quum Scodrenses, qui semper inuicti atque intrepidi extiterant, animaduertissent, obliti vulnerum & cadis suorum, Barbarum fugatum usque ad castra insectati sunt, & post multam hostium cadem, in urbe veluti triumphantes cum amplissimis spolijs, qua hostibus detraxerant, simul & multis militaribus signis, magno numero capitum hostilium reuersi




sunt. Ex quo ingens laticia mœrori permixta, totam urbem inuasit. partim enim patria seruata lætabantur, partim mœrore summo conficiebantur, cum alij parentes inter caesa cadauera, alij filios trucidatos, alij fratres, nonnulli amicos & sodales conquirerent. Eo maiori dolore afficiebantur, quod membra passim dissecta, & in multas partes dispersa, colligenda, & in unum congerenda erant. Qua tamen pietate & religione potuerunt, ea tumulis mandârunt. Et ne Christiani diuini auxilij, quo plurimum adiuti fuerant, immemores viderentur, ut gratias debitas Deo immortalis pro tanta victoria persoluerent, triduo integro rebus diuinis & pijs supplicationibus intenti, hymnos sacros redemptori humana salutis cecinerunt: & in omnibus templis se gratissimos esse ostenderunt. Non tamen interim urbis custodiam deseruerunt, nec à munimentis instaurandis & resar-

resarciendis recesserunt. non enim aliter cuncta muniebant, & in stationibus excubabant, quàm si de integro hostis urbis oppugnationem inuasurus esset. At Ottomanus Barbarorum Princeps post tam turpem & foedam suorum fugam, tantamq; calamitatem, dentibus frendens & ingemiscens, suscepti negocij pœnitentiam nephandis querelis ostendit, & in hac <sup>Turci querela.</sup> verba voce iracunda prorupit: *Vtinam Scodra nomen ad aures meas nunquam peruenisset. Frustra veni, & omnes mei conatus ad irritum cecidere. Deinde temerario impuroq; ore de Deo immortalis questus est, qui non sua vota secundarit: quod non est sibi, ut olim Alexandro Macedonum Regi, & Casari, imperium orbis terra concederet, potiri rerum permetteret. Satis ei cœlestium curam esse debere, si sibi aduersari vellet.*

*His dictis, vehementi furore correptus, ab urbis conspectu in tabernaculum suum se proripuit: ubi biduum se afflictaus & macerans, neminem admisit, se inexorabilem prœbuit.*

MARINI



De expugnatione Scodrensi,  
**MARINI BARLETTI, SCODRENSIS SACERDOTIS, DE SCODRENSI OBSIDIONE, ET EXPUGNATIONE,**  
 Liber Tertius.



Vum verò dies tertius illuxisset, Princeps Ottomanus confestim generale concilium conuocauit, ut de integro nouam orbis oppugnationem aggredere-  
 tur. hoc enim coniectura quadã assequebatur, Chri-  
 stianos tot cladibus, tantis pralijs obrutos, amplius  
 resistere nõ posse: & ob hanc causam facilem sibi vi-  
 ctoriam fore sperabat. Cum hac & alia plura in  
 medium protulisset, ab omnibus magna voce prope-  
 rè succlamatum est, id minimè esse faciendum: quod quicumq; ex suis certami-  
 ni superfuissent, aut magnis vulneribus confosi essent, aut ita viribus  
 exinaniti & debiles facti, ut nullo pacto quicquam strenui amplius edere  
 possent. non enim sibi cum hominibus instare certamen vociferabantur,  
 sed cum Dijs pugnandum esse. Quis enim contra Deos arma ferat? Sa-  
 tius esse asseuerabant, ut ipsi inter se mortem inferrent, aut ipse Princeps  
 proprio

proprio gladio sigillatim vnumquemq; iugularet, quàm tam fœde, tam tur-  
 piter à Christianis trucidarentur. Tunc vnus ex consiliarijs, Ahamates  
 Begius nomine, surrexit; qui alios & atate & rerum gestarum præstantia,  
 autoritate, facundiaq; excellibat, oriundus ex Ieueneorum familia, qua  
 vetustissima est, atq; omnium aliarum (ut aiunt) præclarissima, qua nunc  
 legem Ottomanum in Europa sequuntur. Triginta enim viri ex hac familia,  
 summa auctoritatis atque dignitatis sub Meumethe floruerunt, secutiq; sunt  
 primum Ottomanum, quum ex Asia in Europam traiecisset. Item dua alia  
 familia memoratu digna, Principem nouam Romam petentem comitata  
 sunt, domus scilicet Mialbergij, qui olim Danubij præfectus extiterat, &  
 domus Alutbassa. Verum Ahamathes in concione Principem allocutus, hu-  
 iusmodi orationem habuit.

Summa quidem virtus tua est, inuictissime Imperator, laudes tuas quis  
 vnquam enarrare poterit? Mens hominum eas non capit, animus his stu-  
 pet, lingua hæret, nec ad enumerandum eas tempus omnino suppeteret.

Ahamathes ora-  
 tio ad Turco-  
 rum Princi-  
 pem.



Verum illud ab omnibus pulcherrimum existimari solet: Si quis, serenissi-  
 me Princeps, à maioribus suis imperio accepto tutari conseruareq; intègre  
 potuerit; hoc autem maius, si illud cum gloria auxerit, & ampliauerit:  
 maximum verò, si ex nihilo, vel ex minimo ad summum præclaris gestis  
 perduxerit: hoc extremum virtuti tue ac felicitati ascribendum esse omnes  
 censent. Sed inter omnes ego certissimum huius rei testimonium asferre pos-  
 sum. à maioribus enim meis sapius accepi, qui Asia fines relinquentes, Otto-  
 manum secuti, has sedes incoluerunt. Maiores tuos, ut primum in Euro-  
 pam appulerunt, angulum (ut sic dicam) circa Hellepótum tantummodo  
 tenuisse:

senuisse: quibus tu postea diuinitus succedens, tot regna, tot prouincias, tot imperia, tua singulari & eximia virtute adiunxisti, ut ea commemorare longum esset. Quis enim dignè enarrare posset, ut in Europa Thraciam domueris? Constantinopolim caput Imperij orientalis? Tu Adrianopolim, tu Calipolim, Helleponti urbem clarissimam, tu Achaiam, Graciam, Bœotiam, ubi Thebæ tanti nominis, capisti. Attica prouincia, ubi quondam Athenæ ciuitas præclarissima & mater bonarum omnium atq; præstantissimarum disciplinarum floruit, tibi cecidit. Tu verò Trapezuntium imperium, expulso Imperatore, expugnasti: tu utriusq; Mysia regna superioris inferiorisq; tu Peloponnesum eiectis dominis, tibi gloriose subegisti. Asia vero minoris regna circiter 12. tibi vindicasti: Pontum, Bithyniam, Cappadociam, Paphlagoniam, Ciliciam, Pamphiliam, Lyciam, Cariam, Lydiam, Phrygiam, Nicomediam, Niceam, Prusam, opulentissimam urbem: præter hæc Ioniam, Dorim, Smyrnam, Colophona, Ephesum, Miletum, item Alicarnasum, Pergamum, Ilium, insuper Tanaym, & Tauricam regionem domuisti: Armeniam quoque maiorem valido exercitu ingressus es. Tu Raguseos stipendiarios tibi effecisti: tu Chium & Cobos tibi supposuisti: tu complures urbes & ciuitates Parthorum expulso eorum Principe ad pacationes accipiendas compulisti: tu Lesbion insulam præclarissimam, Foliæ veterem & nouam, Merlinum, regno tuo adiunxisti. Tu Jacyges, & Vindelicos expugnasti: Tu Domani prouinciam, quæ Sultano parat, euertisti: tu Eubœam insulam, tu Larissam, Cephalleniam, tu Scandelorium expulso Caramano capisti: tibi munitissima Croia urbs tandem in deditionem venit: tu demum Macedoniam intraisti, Thraces euertisti, Tribalos delesti, Pænos expugnasti, Acarnanes atq; Aetholos proprijs sedibus expulisti. Quid infinitos penè populos, quos fortissime deuicisti, commemorem? Illud tantum dixisse nunc sat erit, te viginti prouincias, ducentasq; urbes ex manibus Christianorum (ut sic dicam) extorsisse. Præterea quia longum esset, quot Principes, quot duces, quotq; Reges & Cachomethana secta domueris, profligaueris, enumerare, in hoc tempore non conteram. Omnia tua potentia, tuis expeditionibus adhuc cesserunt. Jam non amplius monumenta prisca Casarem, Scipionem, Pyrrhum, Hannibalem, & reliquos urbis Roma & exterarum gentium duces, tot laudibus in cælum efferant. Omnes tibi & numero prætorum, & multitudine urbium & prouinciarum captarum absque dubio cedere videntur. Ottomanum profectò nomen ad imperandum fatale est. Breui uniuersus terrarum orbis sub iuga tua veniet: gentes omnes tibi parebunt. Id quod ad Scodra expugnationem pertinet, non te tantopere cruciet. Omnia mortalia & humana (ut scis) nonnunquam nostram opinionem fallunt: in his plerumq; fortuna dominatur. Sed huius rei securus esto: fidem meam maiestati

20. Prouincias  
& 200. urbes  
Christianorum  
subiugatae.

tua ob-

tua obstringo, modico temporis intervallo me elaboraturum, ut in tuam ditionem veniat. Nonne Croiam urbem tam munitam, diuq; exoptatam, nuperrimè in tuam redegi potestatem? Quod autem de integro Scodrensem expugnationem aggredi velis, non is sum, qui in hanc sententiam descendam: sed longè mihi alia mens est, aliusq; animus: nam tentare bellum & succumbere, facile est cuilibet: vincere autem, & triumphum de hoste referre, id pauci aut rari facere nouerunt. Oportet enim eum, qui de tam magnis arduisq; rebus consultat, ira atque cupiditate carere. Scodrensis vero amplius ad pugnam prouocandus non est. Frustra enim aduersus eum laboraremus. nam si cum florentissima recentissimaq; multitudine illum expugnare nequiuimus, quomodo nunc cum paucissimis, & cum his, qui viribus exhausti & debiles facti sunt, vincere poterimus? Perlustrauimus castra, tentoria singula exquisuimus: nullum reperi locum, nullum tabernaculum, quod gemitibus, suspirijs, ululatus & fletu vacet: ubique dolor, ubique mors, omnia mœsta, omnia luctuosa. Triginta enim millia & amplius ex nostris proximo certamine cecidere. Sauciati & corrupti innumeri: nullus est qui intactus sit, nullus qui ad rem gerendam montem conscendere audeat. Omnes perterriti & exanimati sunt. A quibus enim, quum percontarer, inuictissime Princeps, quisnam tantus terror eos inuaserit, & quam causam tam ferocissimos atq; pertinaces in primum congressum, in fugam conuerterit, aspectus, aspectus Scodrensiū, responderunt: quorum oculi ardere, flagrareque visi sunt. Torui atrocisq; vultus, & ora furibunda hunc terrorem nostris incusserunt. Quare ab oppugnatione desistendum esse arbitror. Arte tamen & consilio omnia in oppidanum experiunda sunt: nam Scodra oculus est, & totius prouinciae caput, ac ceterarum urbium sedem & principatum continet. Ea namq; imperio Veneti Senatus parat: cuius quidem quantæ sint vires terra marisq; quantaq; facultates, tuam maiestatem non fugit. Soli enim Veneti tua potestati continue resistere, soli Meumethana legi aduersari audent. Ideo urbem hanc robustissimo milite, machinis omnibus ac tormentis, ceterisq; militaribus armis, rebusq; necessarijs egregie munierunt. Sed super omnia quid de militibus Epiroticis referam? Quorum plures præcipue ex multis delecti, hanc urbem acerrime tuentur. Sunt enim Epirota stirps generosa, genus regale, sanguis Aeacidarum. In humanis rebus sic institutum est, ut unusquisq; semina naturæ suæ sequatur. Animum & vigorem Pyrrhi, à quo originem trahunt, adhuc retinent. Fuit enim Pyrrhus (ut non ignoras) Rex non immeritò inter primores potioresq; Imperatores celebratus: à quo quidem munera, insignia & ornamenta militaria fluxere. Docuit enim primo castrametari, & in Italia Romanis primus bello elephantos ostendit. Hic est inquam ille Pyrrhus Epirotarum Imperator, qui milites

Scodrenses  
non vterius  
oppugnandos.

xx 2 instru-

instruxit, ut locum castris caperent, commeatus expedirent, ab insidijs cau-  
erent, tempus pugnae eligerent, aciem instruerent, subsidijs firmarent, qua-  
lis vir est omnibus belli artibus, et pacis fuerit, plurima antiquorum mo-  
numenta declarant: nulli in certaminibus et praelijs secundus, adeo ut belli  
fulmen merito dici potuerit. Res igitur est nobis non cum mollibus Asia-  
ticis, aut effeminatis gentibus, sed cum durissimis indomitisque Epiroticis.  
Scodrensis verò fortis est, et audax in bello. Serenissime Princeps, nosti  
robur et animum Epiroticum, nosti cor intrepidum et inuictum. fera at-  
que indomita gens armis vinci nescit, parere nemini vult, nisi quem domi-  
num sibi elegit. Imperium externa gentis recusat, fidem domino suo ser-  
uat, fidelitatis nomen ei peculiare hereditariumque est. Vnum habet Regem  
et Imperatorem: vnum semper Principem Venetum habere vult, alios re-  
ijcit. Iam tricesimus ferè agitur annus, ex quo cum Epirota assiduè bellum  
gerimus: quem nec domare, nec in ditione tuam redigere possumus. Quan-  
ta autem fuerit saevitia, quantaque crudelitas belli huius, quis ignorat? Iam  
iam peragitur annus, postquam illum undique circumvallauimus, dies no-  
ctesque excogitando asperissime oppugnauimus: muros urbis undecim cras-  
sissimis tormentis, interuallo triginta sex dierum omnes funditus excidimus.  
Ommitto multa alia tormenta, machinas bellicas, omnium telorum genera,  
globos igneos, et quicquid in expugnationibus aliarum urbium vllus vn-  
quam excogitauit: haec omnia in irritum cecidere. Praeterea quicquid po-  
tuit superioribus certaminibus aut vi, aut robore, aut multitudine fortif-  
simorum militum adiungi, nihil intentatum omisimus: non calliditas Du-  
cum, non legionum impetus et ardor in certamen acerrimum defuit. Quid  
enumerem innumerabiles ictus tormentorum? Quid alia tela more densae  
grandinis in hostem immissa? nihil tamen horum Scodrenses ab urbis cu-  
stodia deterruit: quin fortiores et magis animati semper nobis aduersis  
pectoribus occurrerint. Credo equidem, illos non humanis viribus, sed di-  
uina quadam ope inniti. Credo equidem (si fas est dicere) Martis pro-  
lem esse: nec alios mortales sub sole robustiores validioresque reperiri posse.  
Hi enim nostras copias infinitas, nostram virtutem, tormenta omnia ir-  
rident, et loco ludibrij cuiusdam habent, nihil timent: vitam pro patria  
defensione exponere, lusum putant: eam veram et solidam gloriam esse exi-  
stimant. Loco suo dum pugnant, non mouentur: vel tuentur illum, vel libi-  
dem trucidantur. Verè sunt viri, verè bellicosi, summis premijs, summis  
honoribus exornandi, toto orbe semper celebrandi, et in caelum summis lau-  
dibus efferendi. Igitur, quos virtus armorum superare nequiverit, ingenij  
viribus expugnare tentemus. nam semel a parente meo, inuictissime Prin-  
ceps, dum me moribus et disciplina instrueret, hoc praclarum dictum et  
accepi et memini: quod si quis pomum aut adamantina in medio straguli

strati

strati humi capere velit, ita ut partes extremas straguli ipsius minime tan-  
gat, necesse est, ut paulatim ab ultimis fimbrijs usque ad pomum, vel ada-  
mantina paulatim inuoluat, donec illud facili manu tangere possit. Non ali-  
ter tibi faciendum esse censeo, ut si Scodram munitissimam urbem in pote-  
statem tuam redigere velis, ut in primis eam castellis pluribus circumual-  
les, et ad obsidionem ipsius frequentem et diligentem custodiam adhibeas:  
pontem super Bolianam validissimum construi iubeas, ita ut utraque in ri-  
pa turres sint munitissima. Quo peracto, urbes proxima capiendae sunt, lo-  
ca finitima sub iuga tua mittenda: deinde facili negotio Scodra undique cin-  
cta et circumvallata in tuam ditionem veniet. Est enim totius prouincia  
caput, quod iam quassatum et debilitatum est. Cetera loca, veluti mem-  
bra exhausta, attrita, et veluti manca, omnes vires suas amiserunt. Non-  
ne ciues Croia domiti fame, statim in ditionem tuam venerunt? Quare si-  
ne vlla tuorum cade compos voti eris.

Postquam Amathis sententia Principi vniuersoque concilio placuit, de-  
cretum est, ut Scodrensis amplius pugna non vexaretur: tormentis et ma-  
chinis finis imponeretur. Statim diuisae sunt urbes: mandatumque fuit praefecto  
Asia, ut cum legionibus suis ad expeditionem Driuaсти contenderet. Praefecto verò nouae  
Romae, ut Xabiacchum peteret: qui quidem prima luce pridie Kalen. Sextiles cum  
omnibus copijs suis profectus est: quem biduo multi alij equites cum impedimentis  
et sarcinulis suis, et duae cohortes Ianiz arorum, aliisque duae Asapporum sequuta  
sunt. Postea verò quarto nonas Sextiles, biremes omnes Barbarorum, quae in  
Bolianae erant, lacum conscendentes Xabiacchum versus nauigare coeperunt.  
Est autem Xabiacchus oppidum in ripis lacus situm, in confinio Dalmatiae, non  
longe ab Ascriuio positum: quod quidem sub impio cuiusdam reguli Dalmatiae  
nationis erat, in alta rupe positum, suapte natura munitissimum, distans  
ferè 40000. passuum ab urbe Scodra. Tunc ipse regulus aberat, sed generum  
suum cum alijs sua ditionis viris praefecerat: qui aut metu, aut Barbarorum  
pollicitationibus inducti, sese dederunt. Post deditioem quum praefectus  
ipse omnes ex oppido eiecisset, relicto ibi valido praesidio, 16. Kalend.  
Septembres cum cohortibus suis in castra reuersus est. Xabacchi deditio  
turpis fuit: sed Driuaстenses fortiores, et constantiores fuerunt. hi enim  
dum Scodra oppugnaretur, solti erant urbem diurno, nocturnoque tempore  
exire, et Barbarorum impedimenta, turmasque equitum, camelorum, ac  
iumentorum simul cum gregarijs militibus undique adoriri, eripere, atque  
eos captiuos ducere, castra se penumero inuadere, aliisque detrimenta, ac  
damna hosti inferre: quae cum omnia Ottomano Principi relata essent,  
is agrefereus, minabundus expectato tempore, quo ipsa iuuentus  
Driuaстensis urbem egredere-  
tur, ut facilius eam expugnaret, praefectum Asia cum omnibus copijs

Turcae de ex-  
pugnatione  
Scodrae des-  
perant.

suis tertio Idus sextiles ad expugnandum Driuastrū pramissi: qui intercepta exclusaq; virili robustissimāq; manu Christianorū extra urbē, fixis collocatisq; tormentis, Idibus sextil. muros urbis (qua parte debiliores atq; expugnatiu faciliores erant) diruere cepit. quum intra 16. dies excisi essent, Princeps ipse pridie Kal. Septemb. ad eius oppugnationem, quæ postridie futura erat, sese contulit. Manē verò ante lucem, quæ Kalen. Septemb. erant, Barbari signo dato, vndiq; cōuolantes, urbem ferè sine oppugnatore, & sine obice murorum, munimentorumq; facillimè ingressi sunt. Nam circuitus eius magnus quidē est: & iumentus omnis, qui circiter octingenti viri fuere, extra urbem (ut iam dictū est) exclusi fuerant. Præterea hi, qui in urbe erant, acerbissima pestis cōtagione indies absumebantur. Pauci verò qui hostem à muris arcere conati sunt, ad unum cæsi sunt. Reliqui capti, ad trecentorū numerū, 4. nonas Septemb. in castra adducti, iussuq; Principis in conspectu Scodrensiū omnes pariter trucidati fuere. Postridie inito consilio Barbari, decreuerunt proficisci ad Lyssum expugnandū, quod nunc recentiores Alestium nominant. abest enim à Scodra 30000. passuum, & à fluuio Drino alluitur, qui (ut nonnulli locorū periti tradunt) Epirū à Dalmatia diuidit. Eò nonis Septemb. præfectus nouæ Romæ, cū copijs profectus, vacuā urbem atq; destitutam incendio dedit, inde reuersus ad expugnandam arcem Driuastrū, quæ supererat. In ea circiter 100. homines erant, qui fame compulsi, sese dediderunt: hi quoq; sicuti ceteri ad interuicium obruncati sunt. His enim à Barbaris ita peractis, Ottomanus præcepit, ut reliqua ad obsidionem Scodra accurate, diligentissimèq; appararent & exequerentur. Ipse verò per suasu Ahamathis, relictis ingentibus copijs ad obsidionem urbis, cum reliquo exercitu Bizantium redire constituit. Itaq; 7. Idus Septemb. incensis nocturno tempore castris, manē ante solis ortū, cum magno tubarum & diuersi generis organorum sonitu, quum duo signa maxima pramississet (quorum alterum candidum erat, alterum verò rubeum) composito ornatq; exercitu, in quo ad 40000. hominum fuisse traduntur, ab urbe discessit: execratus omnem regionem Epiroticā, omnes incolas, & omnia loca: sigillatim, fruges, sata, & quicquid ubiq; frugiferum extaret: ante omnia Scodram urbem, & omnes eius & ciues, & habitatores: quod quum tot Reges, tot Principes, tot populos, facili, expeditaq; manu subegisset, nusquam tamen tantas clades, tantam suorum militum cædem, tantum dedecus, & ignominiam accepisset. Ideo fortunam ipsam vehementer incubabat: quam quum semper propitiam & fauentem habuisset, in hoc tamen bello tam aduersam & sauiam expertus fuisset: ut sibi persuasum fuisset, hoc fuisse veluti quoddam prodigium vel sui imperij, vel sui interitus. Nec hæc prædictio eum fefellit. nam haud multum temporis intercessit, quum in expeditionem Asiaticam proficisceretur, vitam cum morte commutauit. Post Lyssum,

TurciusPrin  
ceps reditBy-  
zantium.

Lyssum, oppidum conflagratū, & Principis discessum, ambo præfecti de integro ad urbem cum omnibus copijs suis reuersi sunt: qui circiter quinquaginta Christianos secum captiuos traxerunt, quos in quadam triremi nostra ceperant, quum insulam super Drinone positam expugnassent: cuius ambitus ad septem millia passuum extat. In qua multi mortales capti, qui prope urbem tracti, omnes obruncati sunt. Deinceps pontem ingentem, quem iam super Bolianam inchoauerant, ad locum qui Cathilina dicitur, pertraxerunt. Turres ad utrunque littus iuxta pontem exedificauerunt, ne forte Christianorum classis ad urbis subsidium illac pertransire posset: quarum alterā ultra amnem 14. Kalen. Octobres, quum præfectus Asia prior perfecisset, ad hybernacula cum legionibus suis in Asiam reuersus est. Præfectus verò nouæ Romæ tardius turrim suam extruxit: nam breviori itinere ad hybernacula sua illi eundem erat. Ad qua, quum utranq; turrim machinis & tormentis bellicis munisset, sexto Idus Decembris profectus est, Ahamathe ad obsidionem urbis cum 40000. ferme equitum relicto. At Scodrenses, qui ex tam præclara victoria latitiam ingentem conceperant, postquam se vndiq; circumuallatos esse viderunt, quanquā primo aspectu non parum tristati sunt: quod post victoriam solidam, & integram libertatem adepti non essent, tamen animos non desponderunt, freti tum diuino numine, & Christi vero patrocinio: pro cuius sincera fide, tot calamitates perpepsi fuissent: tum diui Marci tutela, & Veneti Senatus auxilijs, cui tam inuiolata fidem obseruassent. Verum indies penuria rerum omnium in urbe crescebat: panis & aqua tantummodo copia suppeditabat. Sed his solis homines vitam commode minime traducere possunt: hi præsertim, quibus vires exercenda sint, & quos dies, noctesq; in stationibus armatos excubare oportet. nam in principio ciues sua omnia ad communē usum obtulerant, quibus oppidani largius, affluentiusq; vsi fuerant. Crediderunt enim Ottomanum, si oppugnando urbem capere non posset, abiturum cum omni exercitu. quod si durissimam obsidionē prauidissent, parcius res omnes dispensassent. Ita enim in urbe carè obsonia vendebantur, ut vix ad usum egrotantium maximo precio, & multis precibus extorqueri possent. Longum & miserabile esset enumerare, quanta penuria, quantaq; fames oppidanos oppresserat, utq; necessitate coacti vesci omnibus rebus immundis, & obscenis ceperint: non carnibus equorum, non canum, non soricum, non eorum intestinis abstinerunt: tergora eorum quoq; vel aquis tantummodo mollibant vel decoquebant, & exiguo aceti liquore condiebant. Fide carerem si exponere vellem quanti venierit mus exiguus, quanti sarcimina ex intestinis canum confecta. Quid de summa penuria vini, olei, & aceti diluti referam? quorum tenuissimus haustus immenso precio, & supra fidem vendebatur. Hac rerum omnium penuria ac summa inopia, quam

Fames Sco-  
drensiū.



## De expugnatione Scodrensi,

quam Christiani usq; (ut aiunt) ad extremū spiritum laborarent, omnia tamē durissima perpeti (quid enim durius, quidne profecto acerbius, quam eo quod naturali aliquo sensu appetitur carere, idq; cōsequi nō posse?) et extrema experiri constituerunt potius, quā se iugo sauisimi hostis subicerent. Nam nec cibi obscenissimi, et humano usui a natura prohibiti, nec fames ultima, nec sitis detestanda, flectere animos eorum potuerunt. Agebatur iam annus, ex quo urbs in obsidione posita fuerat. Et ecce decimo tertio Kalend. Ianuarias die Dominico Itali quidam sub mœnibus apparuerunt, qui Scodrenses salutantes, eis nunciauerunt Oratorem Venetorum adesse, qui pro pace impetranda ab Ottomano Constantinopoli proficiscebatur: hortabanturq; eos, ut bonum animum haberent, quod non diu in obsidione futuri essent. Iam Byzantium petierat Ottomanus. Itaq; inter eum et Venetum Oratorem fœdus percussum est, qui composita pace pridie nonas Apriles ad præfectum classis, qui Bolianam cum classe ingressus erat, rediit. Qui communi consensu literas ad prætorem urbis, et ciues Scodrenses mi-

Pax inter Turcam & Venetos cōstitutā



serunt, qui fœdus cum Ottomano ictum esse significarunt, his conditionibus: ut Scodra Ottomano cederet, saluis ciuibus, et omnibus eorum bonis, et ut eis liberum esset, vel sub Ottomano degere, vel abire quocunque eos uoluntas ferret. Hoc quum accepissent fidsissimi et religiosissimi ciues, in frequentem concionem inierunt. Inter multas et varias sententias, illa melior et salubrior corporum et animorum saluti uisa, ut tyrannidem Ottomanis sauisimā desererent, et sarcinulis collectis, se Veneti Senatus tutela committerent: sub cuius imperio benignissimo, ut hæcenus ipsi uixissent, et sui maiores tranquillam et pacatam uitam traducerent. Verum ut in eo animo

animo perseverarent, Florius Ionima uigilum præfectus, uir et belli et pacis artibus conspicuus (cuius excubijs et uigilijs, et solertia, atq; industria urbs Scodra plurimum contra hostes inualuerat) in medium prodijt, et accuratam concionem habuit, qua ciuibus longe persuasit, ut Barbarorum iugum crudelissimum effugerent: eius hæc uerba fuere.

Neminem uestrum, ciues optimi, latere puto, quàm iniqua et iniusta et intoleranda sit Barbarorum dominatio: quorum natura efferata est, et nos non iustis de causis, sed odio natiuo et exitiabili persequuntur. Iam agitur annus tricesimus, ex quo nos exitiali, pernicioso, et assiduo bello exagitant, sua sponte non lacescit, non ulla iniuria prouocati: agros nostros depopulati sunt, omnia diuina, et humana fœde contaminarunt. his malis, et iacturis nō contenti, insuper ter urbem nostram et diris oppugnationibus, et durissima obsidione capere et excindere, et nomen nostrum penitus perdere conati sunt: sed nos diuino auxilio, et nostra fortitudine semper uictores euasimus: illi turpiter uicti cum maxima strage, et suorum cade abierunt. Quis explicare infandū eorum odium in nos posset? Omnia pollicentur, sed nulla eorum uerbis fides habenda. Omni ratione conarentur cupiditatem suam exaturandi odij explere. Nam tempore, quo Meumethes ipse, qui nunc nos opprimere conatus est, cum omnibus copijs suis ad expugnationē Croia uenisset, quam tunc ipse Scanderbegius tenebat, Meumethem Graculum noua Roma præfectum, cum 70000. equitum, ad depredandum agrum nostrum misit: qui multa loca diripuit, incendit atq; deuastauit, complures Christianos cum armentis cepit. Demum urbem ipsam circumuallando hostiliter gladiatorieq; agmine infesto oppugnavit: cum maxima tamen clade atq; ignominia a nobis depulsus, abiit. Successit deinde et aliud tetrius, acerbiusq; bellum cum ipsis Barbaris, cui Sulimannus Bassa, uir quidem strenuus, legionum noua Roma Imperator tam potētissimo, tamq; composito atq; instructo exercitu præfuit, qui maximam perniciem atq; calamitatem urbi nostra intulit. nam longa et dura nos obsidione circumuallauit, eoq; compulit, ut tria millia ex nostris fœda atq; horrenda sita extinguerentur, quanquam et ipse etiam grauissima clade accepta a nobis abiit. Nuperrimè uerò Meumethes ipse ualde inflatus, atq; succensus, copijs omnibus et uiribus suis in nos irruens, uniuersum ferme agrū euerit, urbem nostram quàm artissime undiq; cinxit, illamq; omni vi, arte, atq; ingenio, non militi parcendo, non sumptibus, neq; laboribus, annum fere die, noctuq; oppugnavit. Tandem ipse suscepta a nobis grauissima, multipliciq; strage, mœstus atq; dolens, relicta urbe obsessa, turpiter discessit. Nunc uerò postquam fallax, perfidusq; Ottomanus, qui sanguinem nostrum, liberorumq; nostrorum tanquam tygris truculenta sitibundus appetit, cum urbe nostra ita potitus est, ut de tot iniurijs, contumelijsq;, quas a nobis

Oratio Florij Ionimæ, ut Scodreses urbem relinquant.

yy semper

semper passus est, ultionem suscipiat, nos pluris facere, carosque habere dissimulat: hortaturque, ac rogat, ne à patria, ne à laribus discedamus: ne agros et bona nostra, quae iam dudum aui, proavi, atavique nostri tot sudoribus, totque laboribus comparaverunt, tam facile relinquamus. Itaque callidissimus, versipellisque hostis miseratione se moveri simulat, sed sub hac ficta specie, dolor interdum supprimitur: et qui ulcisci cupit, fronte obducta ultionem seuisissimam parat: hoc est, quod Barbarus immanis machinatur, occultis dolis agit, ut nos irretitos gravissimo supplicio afficiat, et id, quod semper in alios, quos hoc pacto in fraudem induxit, efficiat. Quod si suis ex insita immanitate non pepercit, quomodo nos, à quibus tot caedes, totque mala atque damna passus est, innoxios servabit? absque dubio nos durioribus tormentis afficiet. Ideo nullis parcit blanditijs, ut quod iam pridem de nobis concepit, ex arbitrio suo expleat. Sed ubi fides? ubi humanitas? ubi aliqua saltem (ut aiunt) umbra ingentis miserationis apud Barbarum? Qui si posset, membra nostra, nostrorumque liberorum dentibus commanducaret atque dilaceraret. Arduum et longe difficile est inter nos, et Barbaros vita consortionem fieri, à quibus et fide, moribus, et natura longe distamus, qui ad ultionem veluti seuisissima fera compelluntur. Quibus oculis nos intuebuntur, et nos vicissim eos, quum meminerint tot suorum à nostris trucidatos? Quid animi nobis erit, cum parentes nostros, aut fratres, aut liberos crudelissime, ab ipsis caesos in memoriam reuocabimus? quo tandem stomacho hostis hostem contueri poterit? nonne bilis turgescet, totumque corpus horrescet, quum urbem nostram mœnibus undique, templis atque aedificijs deformatam conspiciemus? hoc non obliteratum esse debet, domos solo aequatas, agrum omni ex parte vastatum, atque desolatum: vineas et arbores casas, segetes depopulatas atque incensas: culta omnia combusta, atque penitus subuersa, accedet maioris doloris et indignationis causa. Quo animo Barbaros ouantes ingredi urbem nostram intueri poterimus? qui domos nostras commode habitabunt, nos vero derelicta urbe, in agris humiles casas et tuguria, more pastorum, extruere cogemur. Vix foro nostro communit, templis, sepulchrisque maiorum nostrorum carebimus. Quid quum mysteria sacra religionis nostra, tanquam surdi et muti absque ullo sonitu accedemus? Nonne cor eorum, qui fideles sunt, magnopere diuulsetur, afflictabitur? Quae praeterea cum Barbaris nobis vita commercia esse poterunt? non mos idem, non ratio, non oratio, non leges, non iura, non instituta, non eadem religio, non legitima connubia. Quid dicam de victu? de habitu? de consuetudine quotidiana? de conciliabilis? de amicitia ac familiaritate? à quibus in his rebus tantum distamus, quantum homines à belluis. Nam quum antiquissima iura, et aequitatis et continentiae, omnes gentes semper obseruauerint, semperque corporeas voluptates plurimum detestata sint, hi leges nequandas promul-

mulgarunt, quibus omnia summa turpitudinis plena sibi permisissent: non supra, non turpissima corporis voluptates, nulla denique flagitia ab illis prohibentur. Neumethem illum omnis diuini et humani iuris nequandum auctorem sequuntur: qui ab orbe condito vnus inuentus est, qui omnem religionem, omnes virtutes exterminauerit, et omnia flagitia et scelera induxerit. nil ergo à belluis differunt, quin peiores habentur, quia illa tantum natura praescripto detinentur: hi vero sensu et appetitu efferato, in omnia nequanda praecipites eunt. Quapropter o ciues mei amantiissimi, si non vobis, saltem liberis atque posteris vestris consulite, ne eos omnino perdati: nam vicinitate ac contagione morbi contrahuntur, corpora inficiuntur, pereuntque. Patientissime filios vestros in tanta labe, vitiorum corruptione, morumque dissolutione alii, educarique? Creditisne vos in tam graui peste ac scelerum sentina, eos bonos probosque euasuros? Vultis tandem et vos, et eos, una et anima et corpore interire? Fugite ne vos o Patres et aliud tetrum, horrendumque Barbarorum flagitium? Eos Christianorum infantes, atque impuberes à matrum complexu rapere, et ab oculis praesentiaque parentum asportare? uxores in conspectu maritorum violare? filias corrumpere? viros utcumque liberit vexare? in seruitium trahere? et illos tanquam pecudes habere? Quis enim his haec prohibebit? Quis eorum vim comescet? apud quem conqueremur? quem iudicem adhibebimus? cuius auxilium opemue implorabimus? Ipsi vero rei, et ipsi iudices. Erit certe pro ratione voluntas. Quamobrem o ciues, o matrona, o pueri, dum licet moras tollamus: fugiamus infelicem miseramque patriam, crudelem et perditam gentem. Fortasse aliquis vestrum occurreret, quoniam vertemus iter? quo nos conferamus? quis nos recipiet? quis opitulabitur? In his non desperandum: nam quum simus orthodoxa fidei obnoxij, Christumque profiteamur, pro cuius fide catholica tam diu pugnauiamus: tantas strages et calamitates passi sumus, nihil est quod sperare non debeamus, quia Deus immortalis iustos nunquam deserit. Praeterea nobis occurret D. Marcus, quem pijs precibus veneramur, colimus, in cuius tutela nos maioresque nostri semper fuimus, eiusque pijs partes sectati sumus, ab eius Repub. nunquam defecimus, pro ea tantum diu in aeduis Barbarorum bellis elaborauimus, tot et tanta perpessi sumus. Nam postquam in Senatus Veneti ditionem sponte venimus, tot arma hostilia, tot incuriones, tot bella atque obsidiones nos maioresque nostri passisumus, ut nullo pacto Veneti imperium relinquereamus, quia nunquam alterius dominationem sensimus. Primum enim Balsa in agrum nostrum irrupit, qui utriusque Mysiae, Graeciae, et totius nouae Romae imperium tenebat, urbemque nostram in ditionem petijt: cui quum maiores nostri se dedere noluisent, eos longa obsidione oppressit: sed tandem ipso mortuo, urbs ab obsidione liberata est. Deinde Princeps ille Stephanus profectus à finibus

inferioris Mysia, ingenti multitudine urbem undiq; cinxit: sed post tres menses ipse ab urbe discedens, Maserechum quendam copijs suis praefecit, qui duos annos ciuitatem nostram opprimens, obsessam tenuit: & iam extrema rerum inopia laborans se dedidisset, nisi interim maximus exercitus ex finitimis gentibus, & totius prouincia populis coactus fuisset: qui castra hostium aggressus ita fudit, & profligauit, ut ipse Maserechus vix cum paucissimis euaserit. Postea Georgius Vuchus ipsius Stephani nepos, innumeras copias contra nos duxit, qui urbem oppugnans circumuallauit: qui tandem icto foedere cum Principe nostro discessit. Multis post annis Ioannes Regulus, supradicti Balsa consobrinus, qui quum diutius antea commoratus fuerat, se in Apuliam contulit. Deinde quorundam Regulorum suppetijs Epirum intrauit, ubiq; nostra bellum inferre cepit: sed è regno expulsus, vix in Dauniam euadere potuit. Post Stephani interitum iterum Georgius eius nepos in Epirum rediens, aduersus urbem nouum bellum excitauit, sed statim cum eo foedus ictum est hac lege, ut in eius ditionem Antibarium & Driuastru ciuitates cederent. Non multo post hos, dux Stephanus, ipsius Balsa socer, ex superiore Mysia profectus, ingenti numero militum totum agrum diripuit atq; incendit: sed demum cum toto exercitu profligatus, amissis Antibario, Driuastruq; vniuersoq; agro, turpiter aufugit. Postremo vero temporibus nostris, Altomanus cum ingenti multitudine nos inuasit: qui quum agrum depopulatus esset, & Bolianam traiecisset, fugatus à nostris prope oppidum quod Suacium vocatur, cum fratre suo captus, Venetias vincitus missus est. Non omitam Scanderbegium, quem Epirotarum Principem, una cum maioribus suis, in annos centum in Macedonia & Epiro regnasse ferunt. Hic est ille, qui tot & tanta praecleara facinora pro fide catholica aduersus Turcas gessisse dicitur: qui etate & viribus floreret, collecta magna multitudine militum, in agrum Scodrensem irrupit, & urbem vexare cepit: sed tandem cum Senatu Veneto foedus iniit, & totius prouincia Imperator declaratus, ciuitate Veneta donatus est. Praeterea Lechas Duchainus, diuturno bello urbi infestus fuit: & post varias caedes in aquas partiones descendit. Acerbior postremo pestis in nos impetum fecit. Nam viginti octo anni aguntur, ex quo Ottomanus nos assidujs incursionibus & bellis vexare cepit. Quot clades, quot vulnera, quot damna passi sumus, longum profecto esset percensere. Quare patres gratissimi, quum tot & tanta pro fide catholica, & pro Veneto imperio, nos maioresq; nostri perpepsi simus, vitam intrepide exposuerimus, & tandem patriam liberosq; pariter amiserimus, lato animo, hilariq; fronte ad sanctissimum Christianorum caetum proficiscamur, antiquam, oberrimamq; Italiam, terram omnium terrarum alumnam, eandemq; parentem numine Deum electam, Venetias omnium bonorum portum saluberrimum, urbem

terra-

errarum Principem, fidei pacisq; domicilium tutissimum petamus, qua ut diuino numine fundata est, ita perpetuum imperium habitura. Ibi nos maxima praemia, maximaq; munerum expectant. Ibi aurea corona nobis parata est. Conferamus nos tute intrepideq; ad beatum Marcum, patronum & protectorem nostrum: Ad quem omnes fessi & miseri confugere consueuerunt: qui neminem reicit, nemini ad se proficiscenti iter pracludit: sed omnes, & praesertim de se bene meritos, benignissime suscipit, ac omni ope fouet, amplectitur. Postquam Florius Ionina frequenti in concione sic perorauit, Scodrenses magis atq; magis commoti atq; persuasi, in hanc sententiam pariter omnes descenderunt, ut urbem, patriamq; (et si asperum & graue id esset) desererent, quam durissimè immanissimamq; Barbarorum iugum ferrent. Itaq; ut Veneto omnino parerent imperio, cui semper & ipsi & maiores eorum inuolabilem fidem obseruauerunt, & tanquam diuinum quoddam numen venerati sunt, certi de incolumitate sua, atq; securi ab hostium insidijs facti, quibus nunquam fides, ne in eadem & perniciem eorum quicquam moliti essent, datis ab his obsidibus, quo Scodrenses iter tutum, incolumemq; exitum haberent, urbem Barbaris cesserunt. Qui eam statim admodum ouantes summo cum plausu ac laticia ingressi sunt: ubi erectis signis & vexillis undiq; totam peruagantes, varijs organorum generibus & sonis, per voluptates (ut moris est) effusi, de urbe potita iactantes, in ingentem latitiã se extulerunt. Scodrenses vero urbe patriaq; relictã, omnes una cum sarcinulis suis & suppellectile ad classem Venetorum, qua ab urbe ad quinq; millia passuum aberat, se tuti receperunt: qui rebus omnibus, qua illis ad huiuscemodi nauigationem opus erant se praemunierunt, & omnes pariter nauigia conscendentes è portu soluerunt. Qui tum velo, tum remis (ut aiunt) in Latium tetenderunt, & in sinum clementissimum, pientissimumq; Veneti Senatus profugerunt. Pro cuius dignitate, sanctissimoq; imperio tamdiu acerrimè pugnauerant, opes, sanguinem, parentes, liberos, patriam, vitamq; deuouerant: cuius auspicio infestissimum hostem deuicerant, sub cuius umbra ad mortem usq; dies faustos letosq; ducerent, apudq; illos tandem laudabilem pro viribus suis vitam finirent.

Euentus orationis Florij,

Scodreses vrbe Turcis cederunt.

F I N I S.

IMPRESSVM FRANCOFORTI AD  
MOENVM, ARVD IOANNEM FEYER-  
abendt, Impensis Sigismundi Feyer-  
abendts.



ANNO M. D. LXXVIII.

**INDEX RERVM GESTARVM  
SCANDERBEGI, EPIROTARVM PRINCI-  
PIS, ALPHABETICA SERIE CONTEXTVS.**

<b>A</b>		
<b>A</b> ccessus Mahumetis ab vrbe Dyrrachina	225	ferret, pacem ab eo literis fraudulenter doloseq; frustra
Acris Tyranni adhortatio ad suos super		petit. 39
bello contra Scanderbegum decernenda.	63	Amuratbes audita solutione obsidionis Sfetigradi, & Scanderbegi discessu, aduentum suum in Epirum differt. 98
Adhortatio Scanderbegi ad milites, ante profectiorem suam contra Ballabanum.	213	Amuratbes parat reditum in Adrianopolim. 90
Adhortatio Scanderbegi ad milites suos ad agrum hostilem diripiendum.	32	Amuratbes timorem & ignauiam suis exprobrat. 106
Adhortatio Vranacensis vrbis prefecti ad Croienses.	102	Amuratbes per legatos petit urbem Croiam. 101
Adhortatio Castrioti ad proceres ac omnium militum ordines de regno ampliando.	124	Amuratbes, victo Mustapha Rex. 231
Adhortatio vrbis prefecti ad Belgradenses, vt urbem muniverint, fidem seruent.	136	Amuratbes Vrana contem muneribus vult corrumpere. 111
Adhortatio Scanderbegi ad milites moderata & lenis.	50	Amuratbes oratorem suum ad Castriotum pro pace preterda dirigit. 113
Adhortatio Scanderbegi ad vniuersum concilium pro uerenda orthodoxa fide.	24	Amuratbes rex. 212
Adhortatio Amuratbis Mahumetisq; ad suos.	102	Amuratbes vedit post occupatum Sfetigradium. ibid.
Adhortatio Debreæ ad suos ad fortiter pro victoria pugnandum.	128	Amuratbes moritur. 117
Adhortatio Castrioti ad milites vt fortiter pro victoria decertent.	129	Amuratbes tardus in oppugnando. 104
Adhortatio Castrioti ad suos.	207	Amuratbis copia coguntur ad obsidionem Croie. 99
Adhortatio Imperatoris Veneti exercitus ad suos.	50	Andreas Thopia. 23
Aduentus Scanderbegi ad prefectum vrbis Croie, & vasa successio eius in prefecturam & vrbis custodiam.	10	Andreas Angelus. 34
Aduentus Ferisij cum exercitu in agrum Albanum, cædes exercitus eius, irruptio Castrioti in agrum hostile.	44	Andree optimatus Didrafi adhortatio ad suos milites cædes. 54
Aduentus Scanderbegi cum reliquo exercitu & copijs suis ad vrbis obsidionem.	137	Antibarum. 51
Aduentus Amuratbis in Europam centum millibus.	38	Apparatus belli Amuratbis contra Epirosensem. 62
Abemaze consiliarius.	149	Apparatus non e oppugnationis. 205
Abematis oratio ad Turcarum principem.	265	Apulicum suis & cum hostibus manus conferunt. 134
Aletria oppidum Turcæ in Macedonia.	18	Ardor exercitus Scanderbegi. 30
Alphonfus princeps in Apuliam venit & à regina adoptatur.	174	Ariamites dat tributum Scanderbego. 26
Alphonfus superat Renatum.	ibid.	Asianus miles in Europam transportatur. 69
Alphonfus moritur, Ferdinandus succedit.	ibid.	Assambegus cum triginta millibus superatur. 190
Alybassa contemnit exercituum Scanderbegi.	31	Asappi auidæ periculorum gens. 74
Ameza adiutor consiliorum Scanderbegi.	13	Asappi secundi Lanararis. 241
Ameza animat fugientes.	164	Aurilia Mahumetis. 121
Ameza argitur.	ibid.	Auxilia Scanderbegi in Amuratbem. 11
Ameza Constantiнопoli veneno sublatus.	172	Ayradinus. 41
Ameza nepos.	53	
Ameza nepos Scanderbegi, capitur viuus.	165	<b>B</b>
Ameza iussu patris ad Alphonsum in carcere sub arcta custodia, habendus mittitur.	169	<b>B</b> allabanus Badera prefectus. 206
Ameza fit rex Epiroticus per Bassam.	161	Ballabanus fortiter agit. 211
Ameza agrum Driuastrisum perniciosè vastat.	55	Balesum oppidum. 53
Ameza in Epirum mittitur.	171	Barbari oratio super modum Tyranni vires efferent. 72
Ameza baptizatur cum socijs.	18	Barbari & Scanderbegi munera mutua. 225
Ameza petit Scanderbegi nomine deditionem vrbis Didrafi.	54	Barbari iuuantur à socijs. 96
Ameza Turca capitur.	126	Barbari oppidum. 118
Amuratbes egrè fert leges bellorum sibi dari ab infami castello.	72	Bassa Romanie cum 300 millibus armatorum. 50
Amuratbes sollicitatus à suis, vt bellum Scanderbego in-		Bassa Isaac supremus Capitaneus exercitus Turcici. 157
		Bassa prefectus noue Romie. 216
		Bassa pernicitate equi au fugit. 166
		Belgradum mittitur nuncius à Sebalia vt dubios confirmet. 140
		Belgradi oppidi descriptio. 124
		Belgradenses petunt inducias à Scanderbego. 137
		Bellum ortum inter Ioannem Castriotum, Scanderbegi patrem, & Amuratbem Turcarum principem passim inter eosdem inita. 2
		Bellum Scanderbegi cum Callis. 184
		Bellum suscipitur pacis gratia. 28
		Bellum Ferdinandi cum Ioanne Renati filio. 174
		Bellorum nerui Scanderlego à Christianis Principib. 128
		Beilarbei de ducum duces apud Turcas, Bassæ d. 67
		Bosa mulier Scodram configit, & Venetis se tradit, huius fortunæ

Rerum gestarum

Fortuna parat Scanderbegum Veneto bello.	47	Conditiones pacis inter Turcam & Scanderbegum.	192
Busogiarpeni.	61	Conflictiis apud Monticulum.	109
C			
Castra Scanderbegi à scortis immunita.	155	Coniuratio Principum Christianorum in Turcam.	201
Castra Barbarorum.	30	Consilium de ineundo federe cum vicinis principibus.	22
Castra Scanderbegi in Dibra inferiore.	ibid.	Consilium Scanderbegi armis & ferro, non fame Barbarum fugare ex Epiro.	109
Canazabeg multus copijs aduersus Scanderbegum propugnans, ignominiose, turpiterq; terga verites abiit, fugamq; arripuit.	151	Consilium augendi exercitus Scanderbegi.	169
Calapinus Rex.	232	Consilium de liberanda vxore & liberis.	172
Calapinus Amurathis filius necatur à Mabumete.	121	Constantia obessorum.	52
Captiu Epirenses Constantino polim ducti.	208	Constantinopolis capta.	233
Castriotus irridet consilium Purpuratorum.	138	Copia Scanderbegi.	58
Castriotus euocat hostium arma.	170	Corinthi Isthmum Heximilium vocant.	117
Castriotus respuit Tyranni federa.	ibid.	Croia à Scanderbegi liberata, & Venetis donata.	242
Castriotus irruit in castra Turcae.	103	Croia occupatur.	6
Castriotus Moceam venit.	45	Croia vrbs munitissima.	65
Castriotus in oppugnando Sfetigrado omnino serius.	97	Croia cor Albani imperij.	25
Castriotus rursus tentat Sfetigradam oppugnare, sed non succedit.	95	Croia claustrum Epirotici regni.	64
Castriotus mouet signa in hostem.	169	Croia conditor Carolus.	15
Castriotus à Venetis ciuitate donatus totius rei Venetiae in Epiro, Illyricorumq; summus creatus est Imperator.	62	Croia obsidio.	218
Castriotus immunis à bellorum turbine, hyemem penè totam transegit.	21	Croienfes obuiam vadunt Scanderbegi.	145
Castriotus oppresso Croiae presidio Tyranni, vrbesq; recepta, Christianos principes de ijs certiores facit, eosq; ad arma excitat.	11	Croienfes norant spernere ferrum, non tantum verba.	112
Castriotus humaniter tractat captiuum Amesam.	166	Croienfesum deditio.	241
Castriotus cladem Hungaricam egre ferens, agrum Despoticae diripit atq; incendit.	39	Cura Deo est pro Scanderbegi.	212
Castriotus mittit nuncium ad obessoros.	140	D	
Castriotus cum Moseroti pater cum insolenti filio agit.	149	Daniel Laurich Sebencinus Imperator Venetorum.	49
Castriotus affectati regni accusatur.	6	Daniel Dux venetorum fugit.	52
Castriotus improuifos obruit.	164	Dauid, Ragusinorum scriba, laudator Scanderbegi.	175
Castriotus Picenninum fedifugum vocat.	182	Daruisse.	2
Castrioti legati redit ab Alphonso.	148	Daynum oppidum.	23
Carolus Hungariae Rex contra Iobannem.	173	Daynum in coronae speciem obsidetur à Scanderbegi.	48
Catalogus malorum quae Scanderbegi intulit Turcae.	40	Daynensis obsidio frustra tentata per Scanderbegum.	52
Claves ferrei teli genus.	46	Daynenses.	47
Casa Christianorum quinque millia.	144	Debreas in iussu Tyranni inflauratus Amese copijs, & supplemento militum numero, in Scanderbegum signa mouet.	127
Cedes Turcarum & fuga Scanderbegi à castris Barbarorum in Epirum.	9	Debreas animat suos.	130
Cesaris & Pompeij ad Croiam constitus.	242	Debreas venit in Epirum.	128
Certamen Barbari & Zachariae Gropiae Albani.	150	De aduentu Moscos contra Scanderbegum cum exercitu.	148
Clementia quaedam diuina Scanderbegi in Mosen.	154	De cede Barbarorum & triumpho Castrioti Epirensium.	164
Clementia Scanderbegi iuncta Prudentiae.	10	De Scanderbegi profectioe dubitatur.	35
Christiani victores.	60	De militibus in Dauniam transportatis.	177
Christianorum discordia inter se.	203	De morte Alphonfi regis Arraganorum, optimorum omnium Mecenatis.	171
Coaceruatio factorum exercitus Scanderbegici.	52	De morte Scanderbegi.	230
Cohortatio Scanderbegi ad milites.	209	De fuga Amese ad Turcam.	155
Colloquium Regis Ferdinandi & Scanderbegi.	187	Demetrius & Nicolaus ex Bevisstorum familia.	145
Colloquium Praefecti cum senioribus Christianorum.	136	Descriptio Prsarae, Nuceriae, Troiae, Segiani montis.	183
Colloquium Scanderbegi & Picennini.	181	Deprecatio Scanderbegi ad Deum antequam solueret.	178
Colloquium Scanderbegi cum Hamur & Synam.	174	Descriptio vrbs Ragusinae.	175
Colloquium legati Turcici cum Vranaconte solo.	112	Descriptio vrbs Croiae.	8
Collatio felicitatum Turcae & Scanderbegi.	113	Descriptio Dibrarum.	85
Colchinitum maritima Venetorum vrbs.	125	Descriptio Dibrae superioris.	9
Comes Iacobus fugit.	185	Discrimen Turcarum in captiuos.	153
Comes Iacobus à fuga latitat in Italia vilis habitum.	ibid.	Distantia inter Sfetigradam & Croiam.	68
Comes Iacobus sicte multa cum Scanderbegi agit.	181	Driuaftenfis oppidi descriptio.	55
Comitia Scanderbegi & Purpuratorum in Dibra inferiore.	157	Driuafti vrbs oppugnationem induit Amesa.	53
Comitia in Lyfso oppido.	22	Driuaftenses vincunt Amesanes.	55
Comparatio etatis Scanderbegi ad hanc nostram.	121	Dolor Amurathis ob cedem Basse, suorumq; & eius indignatio aduersus Scanderbegum.	19
		Dolor & constictatio Ottomanici Principis ex morte Ballabani & dissolutione obsidionis Croiae.	225
		Notes bone & male Mabumetis.	121
		Ducllum Pauli & Camgusij.	58
		Duo Amese, alter Praefectus Turcarum, alter Epirensis.	126
		Dux Iobannes fuga sibi consulit.	186
			Edictum

Index Scanderbegi.

E	
Edictum summi Pontificis contra Turcam.	197
Exempla Sfetigradensis Constantiae.	84
Exercitus Meumetis 350000.	243
Exercitus constans ab equitum et septem peditum millib.	27
Epirus.	234
Epirensis sermo ad milites.	128
Epirenses vocat Scanderbegum.	4
Exhortatio Epirensis ad suos pro victoria.	208
Exhortatio Tyranni ad suos.	706
Exruptio Albani militis ex insidijs.	32
Excursio atq; deuastatio agri Amurathis à milite Epirensis facta.	62
F	
Fames Scodrensisum.	268
Familiaritas Scanderbegi cum Lecha Zacharia.	50
Flambura.	67
Fraus excogitatur à Scanderbegi contra Mabumetem.	106
Faeminarum labor in defendenda vrbe.	258
Ferdinandus Scanderbegi obuiam procedit.	178
Ferdinandus Rex, parentis loco habet Scanderbegum.	188
Ferdinandi Gratiudo in Scanderbegum.	174
Febricantes terrore curati.	255
Feribassa occurrit Castrioto.	81
Feribassa hortatur suos ad pugnam.	82
Feribassa prouocat Scanderbegum ad singulare certamen.	ib.
Feribassa.	75
Ferisus cum 9 millibus mittitur contra Scanderbegum.	43
Ferituitas ducum exercitus Scanderbegi.	33
Filium corporis Scanderbegi.	4
Forma circumcissionis Mabometbane.	2
Forma literarum de tollendo Scanderbegi.	132
Fortissimus exercitus confluit ad Scanderbegum.	223
Fortiter victa mors malorum & miseriarum finis.	30
Fuga Scanderbegi in obsidione Belgradae.	211
Fuga Ferisij cum reliquis copijs.	44
Fufanus abit in Siciliam.	187
G	
Gallo graeci.	15
Grata lautaq; oratio ad Venetorum Legatos, Georgij Castrioti.	61
Gratulationes ad Scanderbegum ab externis gentibus.	118
Graeciae occupata occasio.	232
Georgius Strefus sororis Scanderbegi filius.	156
Georgius Despotus.	40
Georgius Vnebouichius Atheos.	37
Georgius Strefus nepos Scanderbegi.	31
Georgius Strefus.	23
Georgius Scanderbeg.	22
Georgij Thopiae casus.	142
Germani.	20
Germani nescij cedere.	94
Gesta Amurathis sub compendio recensita.	117
Gotij.	15
H	
Helena Regina Mysorum & Illyricorum.	56
Honatus Cocles.	103
Horae.	2
Humaniter dimissus Amesa.	127
Hungarica res Scanderbegi ad consultandū commissa.	36
Hunniades.	20
Hunniadis Magnanimitas.	38
I	
Iactura apud Belgradum.	158
L	
Iaculorum sagittarumq; in aere concursus.	248
Ianiari.	67
Ianiari filij principis, boni Iudeorum & Christianorum inuadunt.	120
Incurfio hostis per Epirum: Concursus Scanderbegi in eum.	125
Inerunt à victoria Scanderbegi contigit.	106
Induciae sedecim dierum.	138
In Epiro ex omnibus gentibus miles adducitur à Scanderbegi.	92
Ingenium Scanderbegi.	3
In quibus periculis Scanderbegus fuerit.	14
Irruptio Abamati Turcarum praefecti cum 15. millibus equitum in agrum Scodrensem.	229
Insigne responsum liberorum ciuium.	52
Instauratores Scodrae.	235
Instauratio vrbs Croiae.	121
Instructio acierum Scanderbegi.	31
Instructio acierum à Ballabano ad pugnam.	214
Inundatio sanguinis Albule nomen mutauit.	166
Inuiolabile legati nomen.	113
Iacobo Piceno nubit Iobanna.	173
Ioannes filius Scanderbegi.	193
Ioannes Transiluanus.	37
Ioannes Capistranus.	ibid.
Iobannes dux Renati filius.	173
Iulianus S. Angeli Cardinalis.	33
Iuuentus Scanderbegi.	3
L	
Ladislaus Hungariae rex.	119
Lapsus Scanderbegi.	103
Lapsus & penè abolitio Ottomanorum imperij, eiusdemq; restitutio atq; augmentatio.	1
Laureatae litterae.	33
Laus Gallorum.	183
Laus Scanderbegi à patre.	33
Laus Scanderbegi à continentia exemplo Scipionis Africanani.	155
Laus Vranacotis.	98
Letia nox Scanderbegi de victoria.	105
Leccas.	43
Lecha Zacharias obruncatus.	47
Leges conciliorum vt liberè loquendi, ita patienter audiendi.	35
Legatio Turcae ad Mosen, non verbis armata sed munerebus & amore.	132
Legatio Scanderbegi ad Alphonsum, Apuliae regem.	132
Legatio Ottomanici ad inducias ab Hungaris in decennium petendas, quibus etiam Mysiam sine bello offert.	20
Legati Pontificis ad Scanderbegum.	175
Libertas Epiri.	7
Liberatoris nomen Scanderbegi sibi usurpat.	13
Litterae Amurathis Ottomanici ad Scanderbegum.	40
Litterae Vladislai Pannorum regis ad Scanderbegum.	33
Litterae Mabumetis ad Scanderbegum.	198
Litterae Castrioti ad Turcam de pace.	192
Lyffa Venetorum vrbs.	226
Locus sepulturae.	236
Lucas Zacharias.	23
Luna militare signum Turcis.	60
Luxuries orationis in auxilium.	5
M	
Macedonia deuastata.	63
Macedonia principum alitrix.	29
Macedoniae nunc Albaniae, descriptio.	234
Mabumetes inquit Mosen de Scanderbegi.	148
RR 2 Mabume-	

Rerum gestarum

Mabumetes sit Rex Turcarum. 120  
Mabumetes putat Christianis non seruandam fidem. 89  
Mabumetes vult Moſen à Scanderbego abaliſſiari. 134  
Mabumetes inuitus redit Adrianopolim. 118  
Mabumetes diſcedens à Croia & Epiro re inſecta, Ballabanum cum innumeris copijs in Croie obſidione reliquit. 219  
Mabumetes magis ſe formidabilem quam regem declarat. 121  
Mabumetes tributum petit à Scanderbego. 123  
Mabumetes fratris occiſor. 197  
Mabumeta nunciuſ cum muneribus ad Scanderbegum. 192  
Mabumetis feritas & auaritia arguitur à patre Amuratbe. 89  
Mabumetis iudicium de nuptijs Scanderbegi. 123  
Mabumetis ſedulitas & ſolertia. 101  
Mabumetis conſilia contra Scanderbegum. 106  
Mabumetis crudelitas. 104  
Mabomet bi leges. 41  
Marinus Hiſpanus. 53  
Marina tempeſtatis deſcriptio. 141  
Matbia flumini & Albulia aqua. 163  
Meumebes Rex. 233  
Milites intercedunt pro Ameſa apud Scanderbegum. 56  
Minatur atrocità Scanderbego. 204  
Miracula apud Scodrenſes. 258  
Moſes fortiffimè exhortatur ſuos. 165  
Moſes fugit. 150  
Moſes cogit abundus. 132  
Moſes à Dibris. 31  
Moſes venit Dibram inferiorem. 149  
Moſes in patriam ſtringit ferrum. 149  
Moſes fugit ex Epiro. 145  
Moſes apertiſſimus ad fallendos hoſtes. 170  
Moſes non audeſ congregari Scanderbego. 152  
Moſes poſt cladem à Caſtrioti acceptam in contemptum ab Ottomanò habitus, penitentia ductus ad Epiroſem rediit. 153  
Moſes Scanderbego aſſeſſeſ ſocius laboris. 12  
Moſes perfidus arma vertit in patriam. 144  
Moſes contemptiſſimus apud Tyrannum. 153  
Moſes cogitat de patria aduenda. 154  
Moſes redit in gratiam cum Scanderbego. 154  
Moſes ut belli ita & fugæ Dux. 152  
Moſes obiuergans exclamatio in ignaum militem. 51  
Moſis bona in ſiſcum relata. 147  
Moſ Scanderbegi labrum inferius ſciudendi, ut ſanguis eſſuat. 142  
Moſ Turcæ mendaciſſima bello illudere. 63  
Moorea. 44  
Mons Garganus. 188  
Morbus & egritudo Tyranni. 115  
Motus atque tumultus in Adrianopoli ex morte Amuratbis. 120  
Mulier ſocia conſiliorum Scanderbego. 147  
Muſachius Topia ſororius Scanderbegi. 122  
Muſachij fuga & interitus. 141  
Muſtapha. 44  
Muſtapha obtinet ab Amuratbe ut cum Scanderbego conſiſſeret. 56  
Muſtapha diſſuadet bellum contra Chriſtianos. 47  
Muſtaphas non facta ſibi copia pugnandi à Scanderbegano preſidio, agrum incendi atq; deuſtat. 58  
Muſtaphas apud Amuratbem ſe excuſat non ſine laude Scanderbegi. 47

N  
**N**egligentia apud Chriſtianos ex rebus bene geſtis. 43  
Nicolaus pontifex Romanus. 119  
Nicolai Duchagini celebrè factum. 36  
Nomen Turcarum deletum in Epiro. 12  
Nqua nomina Scanderbego, et fratribus in eorum circumſiſione iuſſu Tyranni indita, & prouiſo circa eoſdem facta. 2  
Nunciuſ Barbari ad Caſtriotum. 170  
**O**bfidio Steliſij, eius deſcriptio & deſcriptio. 15  
**O**bfidio Sfetigradi, eius deſcriptio. ibid.  
**O**bfidetur Croia à Turcâ. 100  
**O**bfides dantur Turcæ Iobannis Caſtrioti filij. 2  
**O**bfides dati ex Chriſtianiſ. 136  
**O**crida urbs dicta Alcbria. 204  
**O**cculta Tyranni conſilia. 159  
**O**dium Turcarum in iacencia corporum. 141  
**O**dium Turcæ in Caſtriotum. 111  
**O**mmes Scodrenſes in oppugnatione vulnerati. 255  
**O**ppugnationis Scodre conſtitutio. 249  
**O**ppugnationis Scodre uehementia. 250  
**O**ppugnationis uniuersalis Scodrenſium 11. Cal. Sextil. prima luce. 253  
**O**ppugnationis Scodre. 249  
**O**ratio Florij Ionime ut Scodrenſes urbem relinquât. 269  
**O**ratio legati Turcici ad obſeſſos Scodrenſes. 240  
**O**ratio Ballabani ad Ottomanum. 210  
**O**ratio Tyranni ad duces & preſectos ſuos. 201  
**O**ratio Archiepiſcopi pro bello aduerſus Mabumetem inchoando. 196  
**O**ratio Veneti oratoris Paulij Angeli ad Caſtriotum. 193  
**O**ratio Picennini ad Caſtriotum. 181  
**O**ratio Pauli Angeli Dyrachini Archiepiſcopi ad cines & Ragufinum populum. 176  
**O**ratio Caſtrioti ad duces & milites in profectione ſua ad urbem Belgradi oppugnandum. 134  
**O**ratio Scanderbegi ad ſuos ante congreſſum cum Barbaris & eius victoria. 151  
**O**ratio Scanderbegi ad congregatum exercitum. 157  
**O**ratio Perlati urbis preſecti ad Dibrenſes ſuos, ne ſe Ottomanò dedant. 86  
**O**ratio Scanderbegi ad ſuos. 78  
**O**ratio Scanderbegi ad milites morte pugnaturos. 79  
**O**ratio Scanderbegi ad milites. 12  
**O**ratio Ameſe qua deſectionem ſuam excuſat apud Ottomanum. 156  
**O**ratio Epiroſis ad principes, preſectos & uniuersum exercitum. 224  
**O**ratio Scanderbegi anteq; Muſtapham aggrederetur. 45  
**O**ratio Iacobi Monete ad Scodrenſes. 258  
**O**ratio Pauli Duchagini Regali. 35  
**O**ratio Imperatoris Scanderbegi ad Albanum militem. 28  
**O**ratio oratoris Tyranni ad Epiroſem. 113  
**O**ratio Caſtrioti ad preſectum Sfetigradenſem & Oppidanos. 66  
**O**ratio Scanderbegi qua auget ferociam ſuorum & minuit hoſtium. 59  
**O**ratio Caſtrioti ad Duces, preſectos, & milites ſuos, pro rebus bene geſtis ac imperio recuperato. 17  
**O**ratores pij Pontif. & aliorum principum ad Scanderbegum. 287  
**O**rigo & genus Caſtriotæ familie. 1  
**O**rigo & nomen Albanæ ſeu Epiroticæ gentis. 22  
**O**ronicæ loci in Dibra. 160  
Orphanes

Index Scanderbegi.

Orphanes Ottomanii filius. 231  
Ottomanus inſelicitè pugnat. 76  
Ottomanus, Turca, Salaadinus, vnus idemq; creatus Amiran ſeu Rex. 231  
Ottomanus glorioſus ſenex maledicit Humiadi. 45  
Ottomani aduentus in Epirum. 100  
**P**adua Rex. 232  
**P**alaetes à Tamburlano captus. 232  
**P**artbinorū gens inter nobiles populos Epiro habetur. 100  
**P**aulus Angelus Dyrachienſis Archiepiſcopus. 195  
**P**aulus in Epiro Chriſtum annunciat. 23  
**P**aulus Angelus Dyrachinus Archiepiſcopus. 176  
**P**auli Duchagini Pietas & liberalis promiſſio. 36  
**P**ax publica inter Turcam & Scanderbegum. 172  
**P**ax inter Turcam & Venetos conſtituta. 268  
**P**eculiare Scanderbego in prelijs à ducibus captandis & tollendis. 135  
**P**etrus Emanuel. 162  
**P**etrus Manudi. 70  
**P**etra occupata. 233  
**P**erlatuſ preſebit Dibrenſibus. 88  
**P**erlatuſ preſectus ſeſtinat ad tutandum murum. 81  
**P**etrus Parlatuſ. 65  
**P**etrus Hiſpanuſ. 23  
**P**etrella obſidetur. 14  
**P**etrella oppidum. 13  
**P**erturbatio Tyranni ex aduentu reliquarum Debreæ. 131  
**P**reſidium Ballabani & Scanderbegi. 208  
**P**reſidium Tyranni in Belgrado. 136  
**P**rius ſecundus contra Turcam. 172  
**P**rius ſecundus Papa Ancona moritur. 205  
**P**hilippus Burgundie Dux. 34  
**P**riſtippi vox in Alexandrum Regem. 229  
**P**rima Luna Turci uniuersalem pugnam auſpicatur. 256  
**P**yrreus Epirotarum Rex. 182  
**P**roceſſus Caſtrioti aduerſus hoſtem erumpentem in Provinciam. 68  
**P**oloni. 20  
**P**opuli ſubiecti Turcæ. 222  
**P**rocentiuſ Scanderbegi in Epiro. 26  
**P**ugna Caſtrioti cum Venetis apud Drinoniſ ripam. 51  
**P**ugna ad Varnam. 33  
**P**ugna Scanderbegi cū Piciniſ et Callis, eius victoria. 179  
**P**urpuratus Tyranni, qui apud Pannonos captiuſ erat quadraginta millibus aureorum redimitur. 20  
**Q**uestudia & exercitia Scanderbegi in iſſis puerilibus annis exercere, & quod morum, virtutis ac fortitudinis ſpecimen in eo dilucere cõperit. 3  
**Q**uæ Turca pmiſerit Ballabano ſi vincat Scanderbegum. 209  
**Q**uæ Caſtriotuſ ad ſalutem regni procurauerit audito Tyranni aduentu in Epirum. 64  
**Q**uerelæ Chriſtianorum. 105  
**Q**ueſtio de Scanderbegi ceſſione. 160  
**Q**uid Scanderbeg cum Ducibus & Preſectis ſuis ſuper auxilio ferendo Vladiflao Regi ſenſerit. 35  
**Q**uo animo Scanderbeg contra Chriſtianos bellarit. 5  
**R**aguſina urbs Epidaurum dicta. 176  
**R**aguſum altera Roma. 177  
**R**edituſ Caſtrioti ad urbem Croie, Dibris cum nouo delectu, relicto ibidem Moſe cum veterè preſidio. 134  
**R**epoſitio & ingreſſus Scanderbegi in urbem regiam, cum ingenti triumpho & præda poſt adeptam victoriam ex

hoſtibus proſtigatis. 217  
**R**epoſitio Epiroſis ad Oratorem Tyranni. 115  
**R**epoſitio Ameſe ad admonitorum Majiſtrum. 54  
**R**epoſitum Caſtrioti ad Picenninum. 162  
**R**epoſitum Perlati datum Turcæ petenti deditioem Sfetigradi. 71  
**R**epoſitum Vnacoſtes legato Turcæ. 111  
**R**omania. 38  
**R**omani. 20  
**R**ota oppugnata. 253  
**R**uſtica dona que Scanderbeg miſit Ballabano. 206  
**S**alina in Campuſeſcubi. 26  
**S**anzachi dignitas apud Turcam. 3  
**S**anguinem pluſ. 163  
**S**canderbegus Ballabanum viuum aut mortuum ſpenſe habiturum. 220  
**S**canderbeg deſtitutus exploratoribus. 141  
**S**canderbeg ad Dibras concedit. 126  
**S**canderbeg vixit annos 63. 227  
**S**canderbeg moritur ſuſ filium ſuum Ioannem cõmendat. 228  
**S**canderbeg alloquitur filium moriturum. ibid.  
**S**canderbeg urbem Trani accipit. 187  
**S**canderbeg Eufano loquitur. 186  
**S**canderbeg caſtra Turcæ inuadit & fugat. 46  
**S**canderbeg elapſus cum vno miniſtro. 212  
**S**canderbeg fugit cum reliquis copijs. 142  
**S**canderbeg dolet Moſis vicem & excuſat. 146  
**S**canderbeg ſua manu tria millia Turcarum occidit. 188  
**S**canderbeg Moſen conuenit. 133  
**S**canderbeg annui Ameſe. 197  
**S**canderbeg ſternit tur à Barbaro. 152  
**S**canderbeg reſpuit pacem cum Turcâ. 168  
**S**canderbeg conſcribit exercitum Hungaro auxiliaturum. 37  
**S**canderbeg operam ſuam offert Vladiflao. ibid.  
**S**canderbeg Turmenſtem occupat. 164  
**S**canderbegus cedit hoſti. 160  
**S**canderbeg præditus ingenio Numæ aut Romuli. 209  
**S**canderbeg Camarzeg vocat anum & vetulam. 101  
**S**canderbegus excipitur à Croienſibus. 118  
**S**canderbeg cum copijs ad Iſinum flumen ſe recipit. 106  
**S**canderbeg Dibrenſis et Sfetigradenſis in gratia recipit. 89  
**S**canderbeg ſuos mittit ad legenda occiſorum ſpolia. 83  
**S**canderbeg pro Deo habetur. 210  
**S**canderbeg aciem inſtruit contra Venetos. 50  
**S**canderbegus admonetur de vxore ducenda. 92  
**S**canderbegus veſtigia fugientium inſequitur. 90  
**S**canderbegus vix euadit. 103  
**S**canderbegus ingulat Feriſſam. 83  
**S**canderbeg triſtis in caſtris ſe continet. 89  
**S**canderbeg conſiliorum Turcicæ. 80  
**S**canderbeg ſolatur vulneratos et manibus ſuis attrahat. ib.  
**S**canderbeg patriæ ſalutem commendat. 65  
**S**canderbeg Croiam exit. 65  
**S**canderbeg ad obſidionem Daynenſem ſe conuenit. 61  
**S**canderbeg melius propter Balſij ruinam. 60  
**S**canderbeg firmat ſuos contra Amuratbem. 57  
**S**canderbegus grauitè expoſtulat cum Ameſa. 56  
**S**canderbeg conſtituitur Imperator & Dux belli. 26  
**S**canderbegus, Albanorum princeps vindex libertatis. 26  
**S**canderbeg Dux exercitus Turcici. 3  
**S**canderbeg pauciſſimi ſonni. 14  
**S**canderbeg ampliat imperium ſuum. 21  
**S**canderbeg ſignum dat ad cædem. 10  
**S**canderbeg victor muneribus bonatur. 5  
**R** 3 Scanderbegus

Rerum gestarum

Scanderbegus consultat de resistendo Turcæ.	218	Tanussij Thopia pietas in patrualem.	144
Scanderbegus formidolosus Turcæ.	ibid.	Tacita Amelæ querela.	58
Scanderbegus plures ab Amuratbe in Mysiam cum exercitu adversus Georgium sive Despotem missus, victor inde Adrianopolim semper reuersus.	7	Transfuge ex Turcis ad Christianos.	83
Scanderbegi consilium de regno paterno occupando.	ibid.	Talafinani.	2
Scanderbegi exercitus in tres partes diuisus.	180	Tant Caiola nouæ Romæ Bassa generalis.	218
Scanderbegi Humanitas erga reliquias cladis Varnensis.	39	Theodorus Corona Regulus.	135
Scanderbegi consiliarij Moses, Tanussius & Strefius.	99	Tentoria sub Alcbria.	169
Scanderbegi Magnanimitas & Confidentia.	27	Testamentum & verba, quibus Scanderbeg ad suos Duces & Praefectos castrorum usus est.	227
Scanderbegi conflictus cum duob. Persis, Iai et Zampsa.	4	Timor in Epiro propter Turcas.	27
Scanderbegi duellum cum Seryba.	3	Triumphus Scanderbegi & Regis Ferdinandi.	186
Scanderbegi velox consilium in Croia recuperanda.	9	Triumphus Sebalie quo venit Constantinopolim.	147
Scanderbegi pater moritur.	6	Topie rabies in hostem.	146
Scanderbegani milites leones.	209	Turca cogitat in perniciem Scanderbegi.	198
Stratagemata Scanderbegi cum duobus Turcis.	143	Turca ex astris colligit orbis imperia sibi promissa.	204
Stratagemata Scanderbegi vt frumentatores Tyranni inuadat.	108	Turca tributum petit à Scanderbego.	114
Stratagemata Scanderbegi ad alliciendū hostem ad pugna.	68	Turca cladem imputat Amese.	126
Stratagemata.	39	Turcius princeps redit Byzantium.	267
Stratagemata Castrorum.	160	Turca receptui camit infelicitate pugnant.	105
Statura Amelæ & dotes.	155	Turci petunt congregari cum Epiensibus.	110
Sebalas magnis copijs mittitur contra Scanderbegum.	139	Turca qui & vnde.	29
Sebalas munit Sfetigradum.	145	Turca de expugnatione Scodrae desperant.	167
Sebalas victoriam celebrat.	143		
Sebalie pusillanimitas.	143	<b>V</b> aticinia sive prodigia de Scanderbegi natalitate.	1
Seculo Alexandri & Pyrrhi nobilis Macedonia.	119	Valachia locus castrorum Scanderbegi.	206
Secura fiducia Scanderbegi.	50	Varna.	ibid.
Sfetigradi vrbis habitus.	66	Vladislaus occiditur spreto Humniadis consilio.	ibid.
Sfetigradum oppugnatum.	93	Vladislaus rex, dictus Lacilagus, veneno sublatas.	173
Sfetigradenfes erumpunt in Turcos.	77	Vladislaus pugna contra Bassam.	9
Sfetigradenfes praesidio damnati inferuntur.	92	Vranacontes respondet Scanderbego.	115
Selitia.	27	Vranacontes dux Amatiæ.	118
Sententia Turcæ de Scanderbego.	110	Vranacontes heros Epiensis vrbi Croie praeficitur.	65
Sententia Scanderbegi de Carabeg.	191	Vranacontis responsum datum Scanderbego.	73
Sententia Amese de Scanderbego vana.	161	Venetie columen & propugnaculum fidei Christianæ.	194
Sermo Amelæ ad Scanderbegum, de vxore & liberis.	172	Veneti aduehant alimoniam Turcis ad castra.	109
Stephanus Hercecus dux Bosnae.	54	Venetorum pecunia adiutus Scanderbegus.	98
Signa quaedam naturaliter in corpore Scanderbegi insita, membrisque eius manu velut impressa.	1	Venetorum exercitus ad urbem Scodrae.	48
Silentium nocturnum in exercitu Scanderbegi.	31	Venetorum laus.	228
Syna praefectus Turcæ cum viginti millibus vult Scanderbegum inuadere.	189	Velocitas in conficiendo exercitu vnde fuerit Scanderbego.	117
Scodra Macedoniae caput, Turcicè Scandera dicta.	235	Veterani, non milites, sed praefectores militie.	32
Scodra donata Amuratbi Turcæ & recepta atq; oppugnata Venetis.	253	Vexilla & insignia Castrorum gentis & familiae.	21
Scodra obsessa à Turcis.	237	Vita Aeneæ Syluij.	205
Scodra defensa, duce Antonio Lauretano.	ibid.	Vita, mores, ac facinora Mabumetis.	196
Scodra Romanorum oppidum.	214	Vires Scanderbegi trifariam diuise.	48
Scodrenses victores.	254	Victoria oppidanorum adversus Tyrannum.	108
Scodrenses non ulterius oppugnandos.	266	Victoria Scanderbegi & triumphus.	152
Scodrenses urbem Turcis cedunt.	271	Victoria Scanderbegi contra Seremetium.	204
Scodrenses Balesinum incendunt, funditusq; euertunt.	57	Victoria Gallorum.	174
Scodrensum perturbatio.	248	Victoria Christianis ex manibus extorta.	95
Scelopi descriptio.	249	Victoria Humniadis qui & Iancus dictus.	8
Sollicitat Ottomanus Dibranos ad deditioem vrbis.	85	Victoria Scanderbegi cedit.	76
Subordinati occisores Scanderbegi.	218	Voisana vxor.	1
Summa bellorum, quæ gessit Scanderbeg intra annos decem & octo.	184	Vbivgloria materia est Scanderbego pugnandi contra Amuratbem.	34
Studium Turcarum in imperio custodiendo.	139	Vngarie Rex profligatus.	33
Studium Mabumetis.	197	Vrsara Apuliae oppidum.	180
		Vt Scanderbegus tulerit mortem Pij secundi.	205
		Vt tractatus Moses à Tyranno.	148
		<b>Z</b> acharias Groppa.	94
		Zacharias Groppa.	149
		Zacharias victor.	150

FINIS.

IMPRESSVM FRANCOVRTI AD  
MOENV MAPVD IOANNEM FEYRABEND,  
IMPENSIS SIGISMVNDI  
FEYRABENDS.



Anno M. D. LXXVIII.